

Series II. — « ANALECTA OSBM » — Sectio I.
Серія II. — « ЗАПИСКИ ЧСВВ » — Секція I.

MYRON STASIW

METROPOLIA HALICIENSIS

(Eius historia et iuridica forma)

Ed. 2.

ROMAE 1960

PP. BASILIANI - VIA ICILIO 40 (Piazza S. Prisca)

ANALECTA ORDINIS S. BASILII MAGNI

SECTIO I

Sectio I:

OPERA

Vol. XII

MYRON STASIW

METROPOLIA HALICIENSIS

(eius historia et iuridica forma)

ROMAE

Series II. — « АНАЛЕКТА ОСБМ » — Sectio I.
Серія II. — « ЗАПИСКИ ЧСВВ » — Секція I.

MYRON STASIŲ

METROPOLIA HALICIENSIS

(Eius historia et iuridica forma)

Ed. 2.

ROMAE 1960

PP. BASILIANI - VIA ICILIO 40 (Piazza S. Prisca)

IMPRIMI POTEST

Romae, e Curia Generali Ordinis Basiliani S. Josaphat, die 15.VII.1960.

P. PAULUS MYSKIW
Protoarchimandrita - Superior Generalis

IMPRIMATUR

Romae, e Vicariatu Urbis, die 24.XII.1960.

✠ **ALOYSIUS CARD. Provicarins**

SACRAE . PRO . ECCLESIA . ORIENTALI . CONGREGATIONIS

BENEVOLENTIA

CL

METROPOLIAE . RESTAURATAE . HALICIENSIS

ANNO . VERTENTE

HISTORIAE . MEMORIAE . FUTURAEQUE . SPEI

DICARE . VALUIT

DICATQUE

Auctor

PRAEFATIO

Primis annis saeculi decimi quarti in Regno Haliciae et Volodymyriae, sub rege Georgio I, distincta a Kioviensi, Haliciensis nempe Metropolia erecta fuit, quae non semel suam existentiam sive amittebat sive denuo renovabat et cum hac varia sorte vix per unum saeculum perduravit, quia mox Kioviensi Metropoliae incorporata fuit. Tali modo Kiovienses Metropolitae abhinc etiam titulum « Haliciensis » sumpserunt et titulo « Metropolita Kioviensis, Haliciensis totiusque Rusy » sese nominare coeperunt.

Post suppressionem vero Kioviensis Haliciensisque Metropoliae (a. 1795) Ecclesia Ucraina Haliciae, a Pio PP. VII, ad antiquam metropolitanam dignitatem, anno 1807, restituta fuit. Attamen post saeculum et dimidium suae gloriosae historiae in gremio Ecclesiae Catholicae ab inimicis christianitatis violenter suppressa ad praesens manet.

Nostris in diebus, quaestio unionis Ucrainae Ecclesiae cum Sede Apostolica quasi integra manet, cum Ecclesia Ucraina a neopaganis destructa sit ac solum in catacumbis suam vitam ducere possit. De his tristibus eventibus Summus Pontifex Pius XII per suas Encyclicas litteras: « Orientales Omnes » et « Orientales Ecclesias » fideles totius mundi hortatur, ut cum praecibus Augusti Pontificis sese uniant advocentque Dominum Deum ut ucrainum populum ab extremis angustiis liberet ac, post hodiernam viam crucis et Golgothae, eorum liberatio quam primum per canticum resurrectionis sequatur.

Nos autem spem habentes, quod preces istae suo effectum non destituentur et verba Domini Jesu: « ut omnes unum sint », quam primum effectum suum sortientur, hunc modicum opus Haliciensem Ecclesiam spectans conficere compulsi sumus, ut melius ipsius historia atque Haliciensium Metropolitanarum iura cognoscantur, necnon, si tempora mutantur, gratia Dei adiuvante, antiqua iura Metropolitanarum non solum Haliciensium, sed in genere ucrainorum in integro restituantur, quaeque Sedes Apostolica iis ut digna et iusta relinquit confirmavitque. Tali modo ad Metropolitas ucrainos, in futuro, potestas instituendi consecrandique Episcopos Suffraganeos aliaque ipsis propria iura pertinebunt.

Quapropter praeparati beneque instructi esse debemus, ne nimia concedantur, sed etiam ne nimia subtrahantur, quae subtrahenda necessario non videntur. Ex hoc scopus nostrae dissertationis clare elucet, ut historiam Ha-

liciensis Metropoliae atque quaedam iura Metropolitaram praedictae Metropoliae indagemus, quae in restaurata Haliciensi Metropolia viguerunt.

In praesenti dissertatione, ex professo, de Metropolia Haliciensi agemus etiamsi, necessitate ducti, quibusdam in locis gesta Metropoliae Kioviensis Haliciensisque perstringenda erunt. Cum vero sors militantis Ecclesiae a rerum adiunctis politicis dependere soleat, eas hinc illinc opportune delineabimus.

Ut ex supra dictis haud difficile deduci potest, nostra dissertatio nonnisi duabus partibus componitur, historica nempe, ad quam praecedens introductio subnecti potest, et iuridica, in qua iura Metropolitaram in genere Haliciensiumque vero Metropolitaram itidem in specie sub luce variorum documentorum perscrutavimus.

Dissertatio nostra enim documentis tam editis quam ineditis, haec ultima in Tabulariis S. Congregationis de Propaganda Fide et Archivi Secreti Vaticani colligere potuimus, innititur. Dolendum sane, quod non potuimus, propter infausta tempora, varia Archiva in terris Ucrainae atque Archivum Caesareum Regium Viennense inspicere. His autem non obstantibus, ex collectis in Urbe documentis, rectum iudicium de historia Haliciensis Metropoliae iuribusque Metropolitaram eiusdem formari potest.

Cum mos sit gratias persolvere, eas imprimis singulatimque agimus Reverendissimis Magistris omnibusque amicis nostris, qui quocumque modo in conscriptione huius opellae nobis auxilium praestiterunt, nec non Reverendissimo A.G. Welykyj, OSBM, « Analektorum OSBM » Directori, qui editionem eius curavit.

INDEX RERUM

<i>Praefatio</i>	VII
<i>Index rerum</i>	IX
<i>Fontes et bibliographia</i>	XI
<i>Abbreviationes</i>	XIX

INTRODUCTIO

Art. 1 - Ambitus politico-religiosus	1
Art. 2 - Primus Haliciensis episcopatus	5

PARS PRIMA

CAPUT I. - Erectio Metropoliæ Haliciensi	13
Art. 1. Institutio Haliciensis ecclesiasticae Provinciae	13
Art. 2. Brevis historia Metropoliæ Haliciensis	19
Art. 3. Prima restauratio Metropoliæ Haliciensis (1371)	33
Art. 4. De sorte territorii Metropoliæ Haliciensis	39
CAPUT II. - De Eparchia Leopoliensi (1400-1772)	48
Art. 1. De Eparchiae Leopoliensis erectione	48
Art. 2. De incassa unione Eparchiae Leopoliensis. (s. XVII)	54
Art. 3. Pugna de characterе catholico Eparchiae	62
Art. 4. De periodo catholica Ep. Leopoliensis. (saec. XVIII)	83
CAPUT III. - De Restauratione Metropoliæ Haliciensis	101
Art. 1. De statu Metropoliæ Kioviensis Haliciensisque Catholicae post primam divisionem Poloniae (1772)	101
Art. 2. Novae circumstantiae et necessitates post tertiam divisionem Poloniae (1795)	118
Art. 3. Conamina Cleri et Gubernii pro restauranda Metropoli Haliciensi	125
Art. 4. Ultimae vacillationes (ann. 1805-1807)	136
Art. 4. Bulla restorationis Metropoliæ	152

PARS SECUNDA

CAPUT I. - De Metropolitaram figura iuridica in genere	171
Art. 1. De Metropolita in Oriente	175
Art. 2. De Metropolita in Occidente	182
Art. 3. De Archiepiscopo maiore	190
CAPUT II. - De peculiari figura iuridica Metropolitaram Haliciensium	193
Art. 1. De Metropolitaram erga Sedem Apostolicam relationibus	194
Art. 2. De Metropolitaram Haliciensium in sua Provincia potestate	203
Art. 3. De Synodis Provincialibus	222
Art. 4. De Metropolitaram Haliciensium in Religiosos potestate	229
CONCLUSIO	237

FONTES ET BIBLIOGRAPHIA

I - Fontes

A. Nondum editi

ARCHIVUM SECRETUM VATICANUM.

- a) Archivio della Nunziatura di Varsavia, vol. 76, 99.
- b) Archivio della Nunziatura di Vienna, vol. 149, 175, 187, 191, 209, 218, 226.
- c) Archivum Congregationis Concistorialis, Acta Camerarii, vol. 21, 24, 26, 29, 33, 39.
 - » » Series II, vol. 75, 223-224, 227, 237.
 - » » Series III, vol. 72 A, 91 a, b, 89 b.
 - » » Series IV, vol. 215 B (Miscellanea).
- d) Fondo Borghese, Series I, vol. 512.
- e) Germania, vol. 94, 704.
- f) Nunziatura di Polonia, vol. 2, 15, 95, 97, 98, 149, 238, 344/III.
- g) Processus Concistoriales, vol. 115, 181.
- h) Nunziatura di Germania, vol. 393-394.

ARCHIVUM S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

- a) Acta S. Congregationis de Propaganda Fide (Congregazioni Generali), vol. 84,
- b) Congregazioni Particolari, vol. 25, 29, 74, 93, 102, 103, 114, 120.
- c) Istruzioni diverse, vol. I.
- d) Lettere della S. Congregazione de Propaganda Fide (latine, volgari, di Mons. Segretario), vol. 56, 82, 86, 97, 101, 175, 206.
- e) Scritture riferite nelle Congregazioni Generali, vol. 61, 75, 101, 337, 535, 537, 870.
- f). Scritture riferite nei Congressi: Moscovia, Polonia, Ruteni, vol. 2, 3, 5, 7, 8, 9, 13, 14, 15, 18, 19.

ARCHIVUM S. CONGREGATIONIS ORIENTALIS

- a) Scritture riferite nei Congressi: Moscovia, Polonia, Ruteni, a. 1891.

B. Ad usum publicum editi

Acta et decreta Synodi provincialis Ruthenorum Galiciae, habitae Leopoli a. 1891, Romae 1896.

Acta historica res gesta Poloniae illustrantia, t. I. Cracoviae 1878.

Akty archeografickiej ekspedycji, t. I. Petropoli 1836.

Akty izdavajemyje Vilenskoju Archeografickeskoju Komissijeju, t. XVI, Vilnae 1889.

Akty odnosiaščiesia k istoriji Zapadnoj Rossiji, sobrannyje i izdannyye Archeografickeskoju Komissijeju, t. II, III, IV, V, S. Peterburg 1846-1851.

Akty odnosiaščiesia k istoriji Južnoj i Zapadnoj Rossiji, sobrannyje i izdannyye Archeografickeskoju Komissijeju, S. Peterburg 1865.

Archeografickij Sbornik dokumentov odnosiaščichsia k istoriji Severno-Zapadnoj Rossiji, t. II, III, VI, IX, XII, Vilnae 1867-1900.

Archiv Jugo-Zapadnoj Rossiji izdavajemyj vremennoju Komissijeju dla razbora drevnich aktov, P. I, t. I, IV, V, X, XI, XII; P. II, t. II, Kiovia 1859-1904.

- Bullae et brevia Summorum Pontificum Sacrarum Congregationum decreta nec non Serenissimorum Poloniae Regum diplomata Congregationem Ruthenorum OSBM concernentia vel Eidem opportuna, iussu Generalis Consultationis cum interventu Provincialium Officiorum sub annum 1764 celebratae, Typis Poczajoviensis edita A. 1767.*
- Bullarium diplomaticum et privilegiorum Sanctorum Romanorum Pontificum, Taurinensis Editio, t. IX, Augustae Taurinorum 1865.*
- Canones et decreta Sacrosancti Oecumenici et Generalis Concilii Tridentini, Vienna 1839.*
- Codex Iuris Canonici.*
- DE MARTINIS, *Iuris Pontificii de Propaganda Fide, Pars prima complectens decreta, constitutiones, encyclicas litteras etc.*, vol. II, III, Romae 1888, 1880.
- Encyclopedya Powszechna*, Ed. Orgelbranda, t. XXIV, Warszawa 1867.
- MANSI J. D., *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio*, t. XIV, XXII, Parisiis 1902-1903.
- MATHEUS PARISINUS, *Chronica Maior*, vol. IV (Ed. H. R. Luard), Londra 1877.
- MIGNE J. P., *Patrologia Graeca*, t. 137, 149.
- MIKLOSICH F. - MÜLLER J., *Acta et Diplomata Graeca Medii Aevi*, t. I, II, Vindobonae 1860-1862.
- Monumenta Germaniae Historica, Scriptores*, t. XXVII, Hannoverae 1885.
- Obrona Religii Graeco-Ruskiej z Kosciółem S. Rzymskim zjednoczonej*, Leopoli 1738.
- Opisanje dokumentov Archiva Zapadnorusskich Uniatskich Metropolitov*, (a. 1470-1832), t. I, a. 1897, t. II, S. Peterburg.
- Pamjatniki drevne-russkavo kanoničeskavo prava*. In *Russkaja Istoričeskaja Bibliotheca*, t. VI, Petropoli 1908.
- PETRUŠEVYČ A., *Svodnaja Halycko-Russkaja Litopys*, t. I, s. 1600 po 1770 hod, t. II, P. I, s. 1700 do konca Avhusta 1772 hoda, t. II, P. II, s. 1772 do konca 1800 hoda, Lviv 1874-1889.
- PETRUŠEVYČ A., *Dopolnenija ko Svodnoj Halycko-Ruskoj Litopysy*, t. I, s. 1600 po 1700 hod, t. II, P. I, s. 1700 po 1772 hod, t. II, P. II, s. 1772 do konca 1800 hoda, Lviv 1889-1896.
- PITRA J. B., *Juris ecclesiastici Graecorum historia et monumenta*, t. I, II, Romae 1864-1868.
- Polnoje sobranije russkich letopisej*, t. I, III, IV, V, VII, IX, X, S. Peterburg 1846-1862.
- Polnoje sobranije zakonov Rossijskoj Imperiji*, t. 16, 23, 25, S. Peterburg 1830.
- RHALLES-POTLES, *Σύνταγμα τῶν θείων καὶ ἱερῶν κανόνων...*, t. I, II, V, Athenis 1852.
- RAYNALDUS O., *Annales Ecclesiastici*, t. XIV, XV, Lucae 1755-1756.
- REGEL V., *Acta electionis Episcoporum Russiae temporibus Theognostis*, in « *Analecta Byzantino-Russica* », Petropoli 1891.
- SACRA CONGREGAZIONE ORIENTALE, *Codificazione Canonica Orientale, Fonti*, fasc. IX, *Disciplina Generale Antica* (saec. II-IX), Tip. Polyglotta Vaticana 1933.
- SACRA CONGREGAZIONE ORIENTALE, *Codificazione Canonica Orientale, Fonti*, Series II, fasc. V, *Textus selecti ex operibus commentatorum byzantinorum iuris ecclesiastici*, Tip. Polyglotta Vaticana 1939, Series II, fasc. VII, *Textus selecti iuris ecclesiastici Russorum*, Romae 1944.
- Synodus Provincialis Ruthenorum habita in Civitate Zamosciae anno 1720*, ed. III, Romae 1883.
- THEINER A., *Monuments historiques relatifs aux règnes d'Alexis Michaelowitsch, Fedor III et Pierre le Grand Czars de Russie*, extraits des Archives du Vatican et de Naples, Romae 1859.
- THEINER A., *Vetera monumenta Poloniae et Lithuaniae Gentiumque finitimarum historiam illustrantia*, t. II, III; t. IV, P. II, Romae 1861-1864.

- TURGENEV A. I., *Supplementum ad historica Russiae monumenta*, Petropoli 1848.
Volumina Legum, vol. I, II, VI, VII, VIII, Peterburg 1859-1860.
 VON WURZBACH C., *Biographisches Lexicon des Kaisertums Oesterreich*, t. I, Wien 1856.
 WELYKYJ A., *Acta S.C. de Propaganda Fide Ecclesiam Catholicam Ucrainae et Bielarussjae spectantia*, vol. I, II, III, Romae 1953-1954
 WELYKYJ A., *Documenta Pontificum Romanorum Historiam Ucrainae Illustrantia*, vol. I, II, Romae 1953-1954.
 ZACHARIAS C. E. a LINGENTHAL, *Ius Graeco-Romanum*, t. III, Lipsiae 1857.

II - Bibliographia

- ABRAHAM W., *Powstanie organizacyj Kościoła łacinskiego na Rusi*, t. I, Lwów 1904.
 ALKAR, *Książę Repnin i Polska w pierwszym czteroleciu panowania Stanisława Augusta (1764-1768)*, Kraków 1897.
 AICHNER S., *Compendium Iuris Ecclesiastici*, Brixinae 1911.
 AMMANN A. M., *Storia della Chiesa Russa e dei paesi limitrofi*, Torino 1948.
 ANDRIJAŠEV A. M., *Očerki istoriji Volynskoj zemly do konca XIV stolitija*, Kioviae 1887.
 ANDRUSIAK M., *Boroł'ba za epyskops'ku katedru*, in « *Analecta OSBM* », T. VI, Leopoli 1935.
 ANDRUSIAK M., *Józef Szumlanski pierwszy biskup unicki lwowski (1667-1708)*, Leopoli 1934.
 ANTONOVYČ V., *Rozvidka pro hajdamaččynu*, in « *Rozvidky pro narodni ruchy na Ukrajinі-Rusy v XVIII vici* », vol. XIX, Leopoli 1897.
 BALZER O., *Geneologia Piastów*, Kraków 1893.
 BANTIŠ-KAMENSKI N., *Istoričeskoje izvjestije o voznikšej v Polšje Uniji*, Vilnae 1866.
 BARSOV T., *Konstantinopolskij Patrijarch i jevo vlast nad Russkoju Tserkoviju*, S. Peterburg 1878.
 BEER A., *Die erste Teilung Polens*, t. I, Wien 1873.
 BERDNIKOV J. S., *Kratkij kurs tserkovnavo prava pravoslavnoj greko-rossijskoj tserkvi*, Kazan' 1913.
 BLAZEJOWSKYJ D., *De potestate Metropolitaram Kioviensium Catholicorum in Clerum regularem*, Romae 1943.
 BOBAK A., *De iure patronatus supremi quoad Ecclesiam Ruthenicam in Hungaria*, Romae 1943.
 BOBRZYNSKI M., *Dzieje Polski w zarysie*, ed. V, t. II, Jerosolima 1944.
 BOUDOU A., *Le Saint-Siege et la Russie (1814-1847)*, t. I, Paris 1922.
 BOUX D., *Institutiones iuris canonici in varios tractatus divisae: De Episcopo*, t. I, Parisiis 1859.
 BUČYNSKYJ B., *Studij z istoriji cerkovnoji Uniji*, in « *ZNTS* », t. 85, Leopoli 1908.
 BUNEA A., *Jerarchia Romanilor din Ardeal si Hungaria*, Blas 1904.
 CALLEY F., *Praelectiones historiae ecclesiasticae antiquae*, ed. II, Romae 1944.
Praelectiones historiae ecclesiasticae aetatis mediae et modernae, Romae 1950.
 CAPELLO F. M., *Summa iuris canonici*, ed. III, vol. I, Romae 1938.
 CARRANZA B., *Summa Conciliorum*, t. I, II, III, Augustae 1778.
 ČISTOVIČ I., *Očerki istoriji zapadno-russkoji tserkvi*, t. I, S. Peterburg 1882.
 CHODYNICKI K., *Kościół prawosławny a Rzeczpospolita Polska (1370-1632)*, Warszawa 1934.

- CHOMA J., *Maximilianus Rylo Episcopus Chelmensis et Peremysliensis (1759-1793)*, Excerpta ex Dissertatione ad Lauream in Facultate Theologica, Romae 1953.
- CHOTKOWSKI W., *Historia polityczna Kościoła w Galicyi za rządów Maryi Teresy*, t. II, Kraków 1909.
- COUSSA A., *Epitome praelectionum de iure ecclesiastico Orientali*, vol. I, Cripoterratae 1948.
- CZOŁOWSKI A., *Lwów za ruskich czasów*, in «*Kwartalnik historyczny*», t. IV, Leopoli 1891.
- DAROWSKI A., *Intryga Solomonska* (Karta dziejów Mazepy), in «*Szkice historyczne*», Ser. I, ed. II, Varsaviae 1901.
- D'AVEZAC M., *Relations des Mongols ou Tartares*, Paris 1832.
- DE BAUMGARTEN N., *Sv. Volodymyr i chreščennja Rusy*, in «*Bohoslovja*», t. IX, l. 1-4, Leopoli 1931.
- DERUGA A., *Walka z russyfikacją kościoła prawosławnego w Polsce w epoce sejmu wielkiego (1788-1792)*, Summarium ex «*Ateneum Wilenskie*», vol. XI, Wilno 1936.
- DEVOTI J., *Institutionum canonicarum libri quatuor*, t. I, Bassani 1843.
- DLUGOSZ J., *Opera omnia*, t. XII, 4, 9, Cracoviae 1864.
- DOBRYANSKYJ A., *Istorija Epyskopov trech sojedyненых Eparchij, Peremyšlskoj, Samborskoj, i Sanockoj*, Leopoli 1893.
- EVGENIJ, *Opisanije Kijevosofijskavo Sobora, Kijevskoj Jerarchiji*, Kioviae 1825.
- FJALEK J., *Srednowieczne biskupstwa Kościoła Wschodniego na Rusi i Litwie*, in «*Kwartalnik historyczny*» (a. X.), Lwów 1896.
- FILARET H., *Istorija russkoj tserkvi*, ed. V, Moscoviae 1888.
- FILEVIČ J. P., *Borołba Polši i Litvy za Galicko-Vladimirske nasljedije*, in «*ŽMNP*», t. 267, Petropoli 1890.
- FINKEL L. - STARZYNSKI S., *Historia Uniwersytetu Lwowskiego*, t. I, Leopoli 1894.
- FORST-BATTAGLIA O., *Stanisław August Poniatowski und der Ausgang des alten Polenstaates*, Berlin 1927.
- FRANKO I., *Josyf Sumlanskyj, posłidnyj pravoslavnyj Epyskop Lvovskij i jeho «Metryka»* in «*Kijevska Staryna*», t. 33, Kioviae 1891.
- GATTI-KOROLEVSKIJ, *I Riti e le Chiese Orientali*, t. I, Genova 1942.
- GELZER H., *Beiträge zur russischen Kirchengeschichte aus griechischen Quellen*, in «*Zeitschrift für Kirchengeschichte*», t. XIII, Gotha 1892.
- GELZER H., *Texte der Notitiae episcopatum, ein Beitrag zur byzantinischen Kirchen und Verwaltungsgeschichte*, München 1900.
- GIANNELLI C., *A propos de la confirmation du Metropolit de Kiev Joseph Boharynovyč par le patriarche oecuménique Joachim I*, in «*Or. Chr. Per.*», t. IX, Romae 1943.
- GOLUBINSKIJ E., *Istorija Russkoj Tserkvy*, t. I, P. I, t. II, Moscoviae 1901.
- GOLUBINSKIJ E., *Metropolit Petr*, in «*Bogoslovskij Vjestnik*», Sergijev Posad 1893.
- GOLUBINSKIJ E., *Prepodobnyj Sergij Radonežskij i sozdannaja im Troitskaja Lavra*, Sergijev Posad 1892.
- GOLUBINSKIJ E., *Teognost*, in «*Bogoslovskij Vjestnik*», Sergijev Posad 1893.
- GOLUBEV S., *Kijevskij Mitropolit Petr Mohyla i jevo spodvižniki*, t. I, II, Kioviae 1883-1893.
- GRANTOFF F. H., *Die lübeckischen Chroniken in niederdeutscher Sprache*, Hamburg 1829.
- GREGORA N., *Historia Byzantina*, t. III, Bonnae 1855.
- HALECKI O., *W drodze na sobor florencki*, in «*Oriens*», vol. VII, Varsaviae 1939.
- HALUŠČYNSKYJ T., *Un progetto per la stabilizzazione della Metropoli di Kyjiv a Leopoli*, in «*Analecta OSBM*», Ser. II, Sec. I, vol. I/VII, fasc. 4, Romae 1953.
- HANISCH E., *Geschichte Polens*, Bonn 1923.

- HARASIEWICZ M., *Annales Ecclesiae Ruthenae*, Leopoli 1862.
- HEFELE C. J., *Conciliengeschichte*, t. I, II, Freiburg 1856.
- HEFELE-LECLERQ, *Histoire des Conciles*, t. I, Paris 1907.
- HERGENROETHER-KIRSCH, *Handbuch der allgemeinen Kirchengeschichte*, t. I, Freiburg 1924.
- HERMAN E., *Appunti sul diritto metropolitico nella Chiesa bizantina*, in «Or. Chr. Per.», t. XIII, Romae 1947.
- HOFMANN G., *Die Wiedervereinigung der Ruthenen*, *Ruthenica*, in «Or. Chr.», vol. III, 2, Romae 1925.
- HRUŠEVSKYJ M., *Istoriya Ukrajiny-Rusy*, t. I - VI, Leopoli 1898-1905.
- HRUŠEVSKYJ M., *Chonolohija podij Halycko-Volynskoj Litopysy*, in «ZNTS», t. XLI, Leopoli 1901.
- ILOVAJSKYJ D., *Istoria Rossiji*, t. II, Moscoviae 1876.
- JANSSEN J., *Zur Genesis der ersten Theilung Polens*, Freiburg 1865.
- KAPTEREV N., *Vlast patriašaja i archijerejskaja v drevnej Rusi v jich otnošeniji k vlasti tsarskoj i k prichodskomu duchovenstvu*, in «Bogoslovskij Vjestnik», t. II, Sergijeva Lavra 1905.
- KARAMZIN N. M., *Istoriya gosudarstva rossijskavo*, S. Peterburg 1842-1843.
- KOJALOVIČ M., *Istoriya vozsojedinenija zapadnorusskich unijatov starich vremen*, S. Peterburg 1873.
- KOJALOVIČ M., *Litovskaja Cerkovna Unija*, t. I, II, S. Peterburg 1859.
- KOSTOMAROV M., *Istoričeskija monografiji i izsledovanija*, t. III, Petropoli 1867.
- KOSTOMAROV M., *Sobranije sočynenij, istoričeskija monografiji i izsledovanija*, L. VI, t. XV (Ruina), S. Peterburg 1905.
- KURTSCHIED B., *Historia institutionum iuris canonici*, t. I, Romae 1941.
- KRYPJAKEVYČ I., *Novi materijaly do istoriji soboriv r. 1629*, in «ZNTS», t. 116.
- LEVYCKYJ J. E., *Prykarpats'ka Rus' v XIX-m vici*, t. I, Leopoli 1888.
- LEVYCKYJ O., *Osnovnyje čerty vnutrennjavo stroja zapadno-russkoj tserkvy v XVI i XVII vv.*, in «Kijevskaja Staryna», t. IX, Kioviae 1884.
- LEWICKI A., *Sprawa unii kościelnej za Jagelly*, in *Kwartalnik historyczny* (a. XI), Leopoli 1897.
- LIKOWSKI E., *Unia Brzeska*, Poznan' 1896.
- LIKOWSKI E., *Dzieje Kościoła unickiego na Litwie i Rusi w XVIII-XIX stuleciu*, ed. II, t. I, II, Warszawa 1906.
- LINNIČENKO J., *Červonorusskoje sudoustrojstvo XIV-XV vika*, in «ŽMNP», fasc. 7, S. Peterburg 1891.
- LISIEWICZ Z., *Walka o biskupstwo, epizod z dziejów Kościoła wschodniego*, Lwów 1888.
- LIUBIENSKA M. C., *Sprawa dasydenska 1764-1766*, in «Monografie w zarysie dziejów nowożytnych», ed. Sz. Askenazy, vol. XIII, Varsaviae 1911.
- LORD K. A., *The second partition of Poland*, London 1916.
- LOZINSKIJ K., *La Russie dans la littérature française du moyen age*, in «Revue des études slaves», t. IX, fasc. 3-4, Paris 1929.
- LOZINSKI W., *Galicians, kilka obrazków z pierwszych lat historii Galicyjskiej*, Leopoli 1872.
- MAKARIJ /Bulgakov/, *Istoriya, Russkoj Tserkvi*, t. IV-a. 1888. ed. III, t. IX - 1879 - S. Peterburg.
- MALINOWSKI M., *Die Kirchen - und Staats - Satzungen bezüglich des griechisch - katholischen Ritus der Ruthenen in Galizien*, Lemberg 1861.
- MALYŠEVSKIJ I., *Aleksandrijskij Patriarch Meletij Pigas i jevo učastije v djelach russkoj Tserkvi*, t. I, II, Kioviae 1872.
- MALYŠEVSKIJ I., *Kijevskie Sobory*, in «TKDA», t. III, Kioviae 1884.
- MARKEVYČ G., *Vybornoje načalo v duchovenstve v drevne-russkoj preimuščes-*

- Ivenno juho-zapadnojoj Tserkvi do reformy Petra I, in «TKDA», t. III, Kioviae 1871.
- MASS F., *Der Josephinismus*, t. I, II, Wien 1953.
- MILASCH N., *Das Kirchenrecht der morgenländischen Kirche*, ed. II, Mostar 1095.
- MILKOWICZ W., *Monumenta Confraternitatis Staupigianae Leopoliensis*, t. I, Leopoli 1895.
- MORAWSKI T., *Dzieje narodu polskiego*, t. III, Poznań 1873.
- MOSZYŃSKI A., *Kronika Kolegium Lubieszowskiego XX-Piarów*, Cracoviae 1876.
- NEDITOVSKYJ G., *Varlaamskaja jeres*, in «TKDA», t. I, Kioviae 1872.
- NIKOLAJ (Dalmatov), *Supraslskij blagovješčenski monastyr*, Petropoli 1892.
- NILLES N., *Kalendarium manuale utriusque Ecclesiae Orientalis et Occidentalis*, ed. II, t. I, Oeniponte 1896.
- OHJENKO I., *Ukrajinska Cerkva*, Praha 1942.
- OSTATNIE PRACE STEBELSKIEGO, in «*Scriptores rerum Polonicarum*», t. IV, Cracoviae 1878.
- PAPP-SZILAGYI J., *Enchiridion iuris Ecclesiae Orientalis Catholicae*, ed. II, Magno-Varadini 1880.
- PASTOR L., *Storia dei Papi*, vol. XVI, 1, 3, Roma 1933.
- PAŠUTO V. T., *Očerky po istoriji Galicko-Volynskoj Rusi*, Moscoviae 1950.
- PAVLOV A., *O načali Galickoj i Litovskoj Mitropoliji i pervich tamošnich Mitropolitach*, in «*Russkoje obozrenije*», 1894.
- PELESZ J., *Geschichte der Union der ruthenischen Kirche mit Rom*, t. I, II, Wien 1875-1880.
- PESTY F., *Szörényi hátság és Szörényi vármegye története*, vol. I, Budapest 1878.
- PETROV N., *Kratkija izvestija v položeniji Bazylijanskavo Ordena i raznyh pere-mjenach v jevo upravljeniji ot 1772-1811 h.*, in «TKDA», t. III-IV, Kioviae 1868.
- PETROV A., *Drevnejšija gramoty po istorii Karpatorusskoj Cerkvi i jerarchii 1391-1498*, Praha 1930.
- PETRUŠEVYČ A., *Halyckij istoryčeskij sbornyk*, P. II, III, Leopoli 1854.
- PETRUŠEVYČ A., *Kratkoje istoryčeskoje izvistije o vremeny vvedenija chrystianstva na Halyckoj Rusy, osobennože ob učreždeniji svjatyteľskych stolyc v Halyči i Lvovi, i o svjatyteľach sydivšych na upomjanutyh stolycach*, Leopoli 1882.
- PETRUŠEVYČ A., *Kratkoje izvistije o cholmskoj eparchiji i svjatyteľach jeja*, in «*Naukovyj Zbornyk*», Leopoli 1867.
- PETRUŠEVYČ A., *O sposobi izbyranija i postavlenija epyskopa*, in «*Bohoslovskij Vistnyk*», t. I, Lviv 1900.
- PETRUSZEWICZ A., *Historica expositio de auctoritate, iuribus et praerogativis Metropolitani in hierarchia Ecclesiae graeco-ruthenae ab eiusdem origine usque ad nostra tempora succinte concinnata*, in «*Sematyzm Vsečesnoho Klyra Metropolnoj Archidieceziji hreko-katolyčeskoj Lvovskoj i Diieceziji Stanyslavivskoj na rik 1885*», Leopoli 1885.
- PHILLIPS G., *Kirchenrecht*, ed. III, t. II, Regensburg 1857.
- PŁOŠČANSKYJ V. M., *Prošle Cholmskoj Rusy*, Vilnae 1899.
- PRISELKOVA M. D., *Istorija russkavo ljetopisanija XI-XVII v.*, Leningrad 1940.
- PROCHASKA A., *Daženia do unii cerkewnej za Jagetty*, in «*Przeglad powszechny*» vol. 51, Cracoviae 1896.
- PROCHASKA A., *W sprawie zajecia Rusi przez Kazimierza Wielkiego*, in «*Kwartalnik historyczny*» (a. VI), Leopoli 1892.
- PROCHASKA A., *Rokosz lwowski w r. 1536/7*, in «*Kwartalnik historyczny*», Leopoli 1902.
- PULLE' G., *Historia mongolorum, viaggio di F. Giovanni da Pian del Carpine ai tartari nel 1245-1247*, Firenze 1914.

- ROMANI S., *Institutiones iuris canonici*, vol. I, Romae 1941.
- ROUËT DE JOURNEL M. J., *Nonciatures de Russie d'après les documents authentiques*: - *Nonciature de Litta (1797-1799)*, Città del Vaticano 1943; - *Nonciature d'Arezzo (1802-1806)*, P. I, II, Romae 1922, 1927.
- RUDOVYČ J., *Istoriya Halycko-Lvivskoji Eparchiji*, Zovkva 1902.
- RUDOVYČ J., *Unija v Lvivskij Eparchiji*, Leopoli 1900.
- RUDOVYČ J., *Epyskopy Szeptycki*, in «*Bohoslovskij Vistnyk*», t. II, III, Leopoli 1901- 1902.
- RUDOVYČ J., *De Synodo Cobrynensi a. 1626 habita*, in «*Bohoslovja*», t. II, L. 2-3, Leopoli 1924.
- RYKACZEWSKI E., *Relacye Nunciuszów Apostolskich i innych osób o Polsce, od r. 1548 do r. 1600*, t. I, Parisiis 1864.
- RYŽEVSKYJ V., *De Ucrainorum Episcoporum Leopoliensi conventu a. 1629*, in «*Bohoslovja*», t. VI, Leopoli 1928.
- SARANEVYČ I., *Istoriya Halycko-Volodymyrskoj Rusy*, Leopoli 1863.
- SARANEVYČ I., *Josyf Sumlanskyj Ruskij Epyskop Lvovskij (1667-1708)*, Leopoli 1895.
- SZARANIEWICZ I., *Patriarchat Wschodni*, in «*Rozprawy i sprawozdania z posiedzen' Wydziału historyczno-filozoficznego Akademiji Umiejetności*», t. VIII-X, Kraków 1878-1879.
- SCHMITT A., *Dzieje Polski XVIII i XIX wieku*, t. II, Kraków 1866.
- SKRUTEN' J., *Basilianorum vitae, excerptae ex Chirogr. collectione Metrop. Leonis Kiszka*, in «*Analecta OSBM*», t. IV, Zovkva 1931.
- SMOLKA S., *Najdawniejsze pomniki dziejopisarstwa rusko-litewskiego*, in «*Pamiętnik Akad. Umiejetności, Wydział historyczny*», t. VIII, Cracoviae 1890.
- SOLOVJEV S., *Istoriya Rossiji s drevnejšych vremen*, L. III. t. XIV, S. Peterburg 1896.
- SOLOWIJ M. M., *De restitutione Metropoliae Kioviensis in Imperio Rossiaco sub Imperatore Alexandro I (anno 1806)*, in «*Analecta OSBM*», Ser. II, Sec. II, vol I. /VII/, fasc. 2-3, Romae 1950.
- SOKOLOV P., *Ruskij Archijerej iz Vizantiji i pravo jevo naznačenija do načala XV v.*, Kioviae 1913.
- SOZANSKI A., *Dyariusz sejmu extraordinaryjnego w Warszawie (5 Octobris 1767 - 5 Martii 1768)*, Leopoli 1866.
- STADNICKI K., *O początkach arcybiskupstwa i biskupstw katolickich łac. obrz. na Rusi Halickiej i Wołyni*, Lwów 1882.
- Stepenna Knyha, in «*PSRL*», t. XXI S. Peterburg 1908.
- STUDYNSKYJ K., *Perestoroħa, ruskij pamjatnyk počatku XVII vika*, Leopoli 1895.
- SULHYN J., *Očerķ kolijevščyny po neizdannym i izdannym dokumentam, 1768 i bližajšych hodov*, in «*Kijevskaja Staryna*», Kioviae 1890.
- SUŠA J., *De laboribus Unitorum, promotione, propagatione, et protectione Divina Unionis ab initio eius usque ad haec tempora Iacobi Susza Episcopi Chelmensis anno Dni 1664*, in HARASIEWICZ M., o. c., p. 298-339.
- SUŠKO O., *Predteča Uniji*, in «*ZNTS*», t. 53, Leopoli 1903.
- SUVOROV N., *Učebnik tserkovnovo prava*, ed. V, Moscoviae 1913.
- SVIDERSKIJ L., *Joann Krassovskij, PolockijUnjatskij Archijepiskop*, Vitebsk 1911.
- TATIŠČEV V., *Istoriya Rossijskaja, s samych drevnejšych vremen*, t. III, S. Peterburg 1774.
- THEINER A., *Die neuesten Zustände der katolischen Kirche beider Ritus in Polen und Russland seit Katharina II bis auf unsere Tage*, Augsburg 1841.
- THOMASSIN L., *Vetus et nova Ecclesiae disciplina circa beneficia et beneficiarios*, P. I, I. I, Magont 1787.
- TITOV T., *Postavlennije vo dyjakona i svjaščenika i izbranije epyskopa v drevnej zapadno-russkoj ily kijevskoj Mytropoliji v XIV-XVI vv.*, in «*TKDA*», t. II, Kioviae 1902.

- TITLINOV B., *Gavriil Petrov, Metropolit Novhorodskij i Sanktpeterburgskij (1730-1801)*, Petrograd 1916.
- TOLSTOJ D., *Le catholicisme Romain en Russie*, t. II, Paris 1864.
- TOMAŠIVSKYJ S., *Vstup do istoriji Cerkvy na Ukajini*, in « *Analecta OSBM* » t. IV, Fasc. 1-2 Zovkva 1932.
- TYCHOMIROV N., *Galicka Mitropolija*, S. Peterburg 1862.
- UMINSKI J., *Niebezpieczenstwo tatarskie w połowie XIII w. i Papież Innocenty IV*, Lwów 1922.
- VOSTOKOV A., *Opisanije russkich i slovenskich rukopisej rumjantsovskavo muzeuma*, S. Peterburg 1842.
- WELKYJ A., *Annus et dies mortis Metrop. Raphaelis Korsak*, in « *Analecta OSBM* », Ser. II, Sec. II, vol. I /VII/, fasc. 1, Romae 1949.
- WELKYJ A., *Prima Unio Eparchiae Leopoliensis (a. 1607)*, in « *Analecta OSBM* », Ser. II, Sec. II, vol. I/VII/, fasc. 4, Romae 1953.
- WERNZ F. X., *Ius decretalium*, t. II, 2, Prati 1915.
- WERNZ-VIDAL, *Ius canonicum*, ed. II, t. II, Romae 1928.
- WIELEWICKI I., *Historici diarii domus professae Societatis Jesu Cracoviensis annos viginti (1579-1599)*, in « *Scriptores rerum Polonicarum* », t. VII, Kraków 1881.
- WILMERS W., *De religione revelata libri quinque*, Ratisbonae 1897.
- WINTER E., *Rom und Byzanz im Kampf um die Ukraine*, Leipzig 1942.
- WOJNAR M., *De regimine Basilianorum Ruthenorum*, vol. I, Romae 1949.
- ZALESKI S., *Czy Jezuici zgubili Polske?*, ed. II, t. I, Leopoli 1874.
- ZALESKI S., *Jezuici w Polsce*, t. I, Leopoli 1900.
- ZHISMAN J., *Die Synoden und die Episcopal-Aemter in der morgenländischen Kirche*, Wien 1867.
- ZUBRZYCKI D., *Anonim hneznenski i Joann Dlugoś*, Leopoli 1855.
- ZUBRZYCKI D., *Kronika miasta Lwowa*, Lwów 1844.
- ZUBRZYCKYJ I., *Litopys Lvivskoho Stauropihijskoho Bractva*, in « *Vremennyk Stauropihijskoho Instytutu* », Leopoli 1926.
- ZUKOVYČ P., *Kobrynskyj sobor i Torunskyj seim 1626 hoda*, in « *Chrystijanskoje Čtenije* », S. Peterburg 1910.

ABBREVIATIONES

Acta	= Acta S. Congregationis de Propaganda Fide
AkJZR	= Akty odnosiaščijesia k istoriji Jugozapadnoj Rossiji.
AkZR	= Akty odnosiaščijesia k istoriji Zapadnoj Rossiji.
AVAK	= Akty izdavajemyje Vilenskoju Archeografičeskoju Komissijeju.
Analecta OSBM	= Analecta Ordinis Sancti Basilii Magni.
AS	= Archeografičeskij Sbornik dokumentov odnosiaščichsia k istoriji Severo-Zapadnoj Rossiji.
APF	= Archivum S. Congregationis de Propaganda Fide.
Arch. Nunz. Vars.	= Archivio della Nunziatura di Varsavia.
Arch. Nunz. Vienna	= Archivio della Nunziatura di Vienna.
ArJZR	= Archiv Jugo-Zapadnoj Rossiji, izdavajemyj vremennoju Komissijeju dla razbora drevnich aktov.
ASCO	= Archivum Sacrae Congregationis Orientalis.
ASV	= Archivum Secretum Vaticanum.
CIC	= Codex Iuris Canonici.
Congr. Part.	= Congregazioni Particolari.
CIID	= Čtenija v imperatorskom obščestvie istoriji i drevnostej rossijskich.
Fonti	= Codificazione Canonica Orientale, Fonti.
MGH SS	= Monumenta Germaniae Historica, Scriptores.
N. P.	= Nunziatura di Polonia.
Or. Chr. Per.	= Orientalia Christiana Periodica.
ODUM	= Opisanije dokumentov Archiva Zapadnorusskich Uniatskich Metropolitov.
PG	= Patrologia Graeca.
PSRL	= Polnoje sobranije russkich ljetopisej.
RIB	= Russkaja Istoričeskaja Bibliotheca.
Scrutt. rif. n. Congr. Gen.	= Scritture riferite nelle Congregazioni Generali.
Scrutt. rif. n. Congr. MPR	= Scritture riferite nei Congressi: Moscovia, Polonia, Ruteni.
TKDA	= Trudy Kijevskoj Duchovnoj Akademiji.
VL	= Volumina Legum.
ZNTS	= Zapysky Naukovoho Tovarystva imeny Sevčenka.
ZIAN	= Zapiski Imperatorskoj Akademiji nauk.
ZMNP	= Žurnal Ministerstava Narodnavo Prosvješčeniija.

INTRODUCTIO

Ut in sibi propositam materiam, quae « Haliciensis Metropolia » circumscribitur titulo, ingrediamur, hoc in loco quaestionem ecclesiasticae institutionis in Haliciensi provincia, etsi summis capitibus, illustrare opportunum fore censemus. Uti patet, haec quaestio iam per se distinctum exigere potest opus. Quapropter hic paucis hisce et ieiunis paginis omni ex parte hanc quaestionem haud dubie solvere difficilis si non iam impossibilis labor putamus.

Haec nostra quaestio ob fontium, variis de causis, defectum, sat densis obvolvitur nubibus. Unde nil mirum, si hac in materia discrepantes immo inter se pugnantes dantur sententiae auctorum.

Totam materiam duobus in articulis persolvimus. Primo, de ambitu politico-religioso, secundo vero, de primo Haliciensi episcopatu agemus.

ART. 1. — AMBITUS POLITICO-RELIGIOSUS.

Ambitum politico-religiosum Haliciae et Volodymyriae considerantes, sortem Principatus Kioviensis imprimis considerare necesse est. Relationes inter utrumque iam inde a temporibus S. Volodymyri in Chronicis notantur; anteriora documenta desunt, posteriora vero tum paucitate tum confusione laborant.

Ex Chronicis eruitur, quod anno 981 Volodymyrus Magnus excursionem fecit ad occidentales confines Regni et vi armorum a polonis Peremysliam, Cerven atque alias civitates recuperavit (1). Attamen recentiora studia totam hanc quaestionem alio modo, ac in Chronicis notatur, explicant, quia territoria superioris Vistulae, unde et Cracoviense, usque ad a. 990 Regno moravorum subiecta fuisse dicunt (2).

Notum est, quod post ex parte Volodymyri Magni Cervensium civitatum occupationem, Cracovia et in posterum Regno Moraviae remansit subiecta. Alia ex parte vidua poloni principis Mieszko, confines sui principatus descri-

(1) PSRL, t. IV, (S. Peterburg 1915), *Novhorodskaja*, p. 58; PSRL, Leninhrad 1926, *Lavrentijskaja*, col. 81-82; PSRL, *Ipatijivskaja* (S. Peterburg) col. 69.

(2) COSMA PRAGENSIS, *Chronica Bohemorum*, vol. I, p. 33; Cfr. EMLER-TOMEK, *Fontes rerum bohemicarum*, vol. II, Praga 1874; *Izvestie al-Bekry*, ed. Rozen, p. 47.

bendo ipsos extendi dicit « a primo latere longum mare, fine Bruzze usque in locum qui dicitur Russe et fines Russe extendente usque in Craccova et ab ipsa Craccova usque ad flumen Oddere » (3). Unde nihil mirum, quod iam M. Hruševskij de praefatorum Chronicorum veracitate dubitavit (4). Alia ex parte difficile est dictu, utrum etiam territoria Cervensium civitatum a Regibus Moraviae occupata fuerunt (5), etiamsi historiographi bohemos hoc affirmant. Ipsi enim, ad comprobandas suas assertiones, ad Bullam fundationis Pragensis dioecesis sese appellant.

Haec vero Bulla anno 1086 ab imperatore Henrico IV data fuit, in qua antiqua Ottonis (ex secunda medietate s. X) confirmatur Bulla. Secundum tenorem dictae Bullae confines Pragensis dioecesis usque ad flumina Buh et Styr extendebantur (6). Posterior tamen fontium crisis denominationem Styr, ut erroneam, in Stryj commutavit (7), quia flumina Buh et Styr sunt parallela et proinde confines constituere non valent, dum Stryj, flumini Dnister adfluens, optime cum flumine Buh in linea recta coniungitur.

Hodie vero nullum manet dubium de spurio caractere praefatae Ottonis Bullae (7). Ipsa enim nihil aliud est quam Pragensis dioecesis conamen suam iurisdictionem ad territoria antiquae Moraviensis dioecesis extendendi. Quo autem pacto in has praetensiones Halicia introducta fuit, difficile est dictu. Videtur agi de quadam connexionem cum dominio bohemo-moravorum in Polonia. Excludi non potest opinio, saeculo Xmo simul cum Cracoviensi territorio quaedam territoria Haliciae ab ipsis occupata fuisse. Ast impossibile est, ut hoc tempore tota Halicia ipsis subiecta esset.

Annales autem de hac tractantes materia notant, Cervenses civitates a polonis expugnatas fuisse (8). Sed haec notitia quamdam invenit difficultatem et quidem ex eo, quod antequam Volodymyrus Magnus expugnaret Cervenses civitates, Cracoviense territorium bohemis subiectum erat. Unde difficile est ut admittamus, Cervenses civitates Poloniae principi subiectas fuis-

(3) *Monum. polon. hist.*, t. I, p. 149; Cfr. LODYNSKI, *Document «Dogańie index» a «Kwestya sardyńska» w XI w.* in «*Rozprawy w. hist. filos.*» LIV, 1911.; PETRUŠEVYČ A. S., *O sobornoj Bohorodyčnoj Cerkvi v horodi Halyči*, Leopoli 1898, p. 70 sq.

(4) HRUŠEVSKIJ M., *Istoria Ukrainy-Rusy*, New York 1954, t. I, p. 488s.

(5) PETRUŠEVYČ A. S., *O sobor.*, p. 51 sq.

(6) «Inde ad Orientem hos fluvios habet terminos Bug et Ztir cum Cracovia civitate»; COSMAS, *Chron. Boh.*, vol. I, p. 37; Cfr. STUMPF, *Acta imperii*, t. III, N. 76.

(7) DUDIK, *Maehrens allgemeine Geschichte*, t. I, p. 383 sq.; PALACKI, *Dějiny*, vo'. 1. p. 252. Cfr. DUEMMLER, *Pilgrim von Passau und das Erzbisthum Lorch*, Leipzig 1854; KALOÚŠEK, *O listine cisare Indricha z roku 1086*, in «*Ceski časop. historický*» 1904; SZELAGOWSKI A., *Kwestya ruska w swietle historyi*, Warszawa 1911, p. 40 sq.

(8) PSRL, *Novgorodskaja*, p. 58; *Lavrentijskaja*, col. 80-82; *Ipatijevskaja*, col. 69.

se eo tempore, quo Cracoviense territorium bohemis et Volynia, quasi ad Vistulam, principi Rus subicebantur.

Cum autem documenta ex quibus certa formari posset sententia deficiunt, auctores in diversas, suae nationi faventes, abierunt sententias. Nostrum non est, ut in hac immoremur quaestione; facilius tamen subscribimur sententiae eorum, qui tenent Cervensium civitatum territoria ab eo Principe, qui Cracoviense tenuit in sua potestate territorium dependisse.

Postquam breviter aspectum politicum in terris Haliciae et Volodymyriae exposuimus, ad aspectum religiosum transeamus delineandum.

Ex Chronicis, traditione et auctoribus constat, ecclesiasticam institutionem necnon hierarchicam organisationem Ecclesiae in antiqua Rus a Volodymyro Magno suam coepisse historiam. Adsunt tamen perplurimae, plus vel minus novae et inter se pugnantes opiniones auctorum, quas hic breviter perstringi conabimur.

Ante omnia necessarium est notare, quod de evangelisatione territorii Ucrainae ipsaque, tempore Volodymyri Magni, officiali christianismi introductione pauca notant Chronica. Alia ex parte, in dictis Chronicis plures confusi ac non raro contradictorii inveniuntur loci. Horum omnium ratio in duplici manus censorum impositione necessario est quaerenda. Primae censurae Hierarchia graeca, quae sub Sviatoslao II, Jaroslai Sapientis filio, quasi omnes occupavit Sedes, imposuit manus. Haec magno cum zelo omnes Byzantio parum proficuos nocivosve expungebat locos; praesertim eos, qui relationes ad Ecclesiam Romanam praeseferebant. Ad comprobendam dictam documentorum « purificationem » sufficeret referre hoc, quod Byzantina Ecclesia nomina sanctorum fratrum Cyrilli et Methodii non solum inter Sanctos collocare omisit, verum etiam in libris coaevs de ipsis nihil habet (9). Secunda vice dicti fontes in « tertia Roma » - Moscovia, ubi ob invansiones tartarorum delati fuerunt, diligenti censurae subiecti sunt (10). Quod in memoratis Chronicis multa erasa sunt, quaedam manuscripta Chronicorum, libera ab hac censura, probare videntur (11). His in Chronicis invenire possumus ex. g. notitiam de legationibus Curiae Romanae ad principem Volodymyrum Magnum et vice-versa (12); haec autem adnotatio in omnibus aliis deest Chronicis.

Ad mentem antiquae traditionis, christianismus in Rus a byzantinis introductus est; cum in Rus lingua graeca non calebantur, traditur byzantinos ipsos, cum Volodymyro Magno, sacerdotes bulgaros vocasse, qui secum li-

(9) TOMAŠIVSKYJ S., *Istoria Cerkvy na Ukraini*, Philadelphia, p. 83.

(10) ISAIIV P., *Zvidky Rus-Ucraina pryviala Chrystianstvo*, Philadelphia 1952, p. 8.

(11) Hic pertinent chronicae: *Nikonivskaja*, *Stepenna knyha* et opus B. TATISČEV, *Ist. Ross.*, qui antiquis documentis usus sit.

(12) PSRL, *Stepenna knyha*, p. 75.

broslavos liturgicos adtulerunt et causa propagationis ritus slavi in Rus erant.

Postquam vero probata fuit Chronicorum interpolatio, antiqua haec traditio vacillare coepit, et auctores magis ac magis hanc traditionem ipsave Chronica strictae subiecerunt crisi. Primus vero M. Priselkov (13) fuit, etiamsi iam E. Golubinskij (14) hac de re dubitavit, qui praefatam traditionem crisi subiecit. Sat mirum, inquit, graecos Rus evangelizantes non suum, sed bulgarorum introduxisse ritum. Cui notae sunt, prosequitur, non solum politicae, verum etiam ecclesiasticae byzantinorum cum bulgaris relationes, hic nullo modo memoratam traditionem ut veram admittere potest.

Inde evenit, quod auctores magis logicam quaerere incipiunt solutionem. Dicunt enim: Si in Rus introductus est bulgarorum ritus, hoc significat ipsum ex Bulgaria, et quidem ex illa, quae a byzantinis independens erat, venit. Talis vero Ochrida fuit.

Haec hypothesis acceptata est praesertim a Stephano Tomašivskyj (15), cui non pauci recentiores subscribuntur auctores (16).

Theophilus Kostruba, imprimis in opere: « *Narysy z cerkovnoi istorii* », dein vero in « *Istoria Ukrainy* », hucusque manuscripta, prolixiori calamo considerat praefatam quaestionem. Hoc in ultimo opere, inspiciendo Ochridensem patriarchatum, ad corypheos slavorum se appellat. Secundum eius sententiam, S. Methodio, a papa Hadriano I, terrae slavorum tamquam terrae missionum subiectae fuerunt. His in terris vero discipuli S. Methodii prima semina evangelii attulerunt. Huius enim praedicationis facile in terra Cracoviensi atque in partibus occidentalibus Ucrainae notantur vestigia. Hisce enim temporibus Halicia suas cum moravis et dein cum bohemiis incipit relationes.

Theophilum Kostruba sequitur Petrus Isaiv, qui hac de re ex professo tractat (17), opinionem Th. Kostruba fontibus necnon auctoritate probatorum auctorum corroborare studens. Hic neque organizationem hierarchicam discipulis S. Methodii assignare haesitat. Auctores tamen huius opinionis considerare debent exemplum ipsius Bulgariae et dein Moraviae, ubi, non obstante quod christianisatio a missionariis byzantinis perficiebatur, slavica

(13) PRISELKOV M., *Očerky po cerkovno-političeskoj istorii Kievskoj Rusi X-XII v.*, S. Peterburg 1913.

(14) GOLUBINSKIJ E., *Istoria Russkoj Cerkvy*, Mosquae 1901, t. I, p. 129 sq.

(15) TOMAŠIVSKYJ S., *Vstup do istorii Cerkvy na Ukraini*, in « *Analesta OSBM* », Žovkva 1932, t. IV, p. 81. sq.

(16) Cfr. KOSTRUBA T., *Narysy z cerkovnoji istorii Ukrainy X-XII st.*, Leopoli 1939; KOCH H., *Byzanz, Ochrid und Kiev 987-1037*, in « *Kyrios* » Berlin 1938, t. III, p. 283 sq.; PRESNIAKOV J., *Kievskaja Rus*, Moskva 1938.

(17) ISAIV P., *Zvidky*, p. 9 sq.

forma byzantinae praevaluit. Simile quid in Rus fieri potuit. Apud byzantinos enim plures linguae slavicae gnari inveniebantur missionarii, quorum opera byzantini germina fidei in Rus, propria hierarchia contenti, seminare poterant. Simile quid enim ex parte missionariorum latinorum in Bulgaria locum habuit.

His non obstantibus, opinioni, secundum quam in Ucraina Occidentali opus discipulorum S. Methodii uberrimos habuit fructus, adhaerere non haesitamus. Vestigia enim huius evangelizationis haud pauca ibi inveniuntur. Studia hac in re peracta, non solum in Haliciae et Volodymyriae territorio, verum etiam usque ad Gneznam opus discipulorum S. Methodii extensum fuisse comprobant (18). Attamen organizationem hierarchicam in terris Haliciae et Volodymyriae huic adscribere tempori, secundum hucusque nota documenta, difficile est.

E dictis patet, tempore quo Volodymyrus Magnus officialiter totam Rus baptizavit, in occidentalibus eius partibus fides christiana sat nota iam fuit atque non paucos numerabat sequaces. Ast nullo modo credibile esse videtur, hoc tempore iam omnes incolas dicti territorii eam professos fuisse.

Secundum nostram opinionem, hoc tempore in Halicia et Volodymyria deerat ecclesiastica organizatio, cum discipuli S. Methodii tamquam missionarii, ex loco ad locum migrantes, evangelizationis perficiebant opus. Haec vero organizatio cum officiali Volodymyri Magni baptismo etiam in Ucraina Occidentali initium habet.

ART. 2. - PRIMUS HALICIENSIS EPISCOPATUS.

Quaestio haec difficilis, difficultatibus et dubiis plena, etiamsi a plurimis exagitata, hucusque tamen aperta manet.

Ex documentis hucusque notis deduci potest, initium episcopatus in Halicia et Volodymyria usque ad tempora S. Volodymyri Magni reponitur, qui Volodymyriensis civitatis et eparchiae simul auctor fuit. Secundum annales, hic in comitatu duorum episcoporum usque ad flumen Dnister progressus est et totam occidentalem Rus lavacro baptismatis abluit (1). Nestorii autem chronica referunt solummodo de institutione presbyterorum ruribus et civitatibus, de exstruktionem ecclesiarum et de coactione populi ad baptismum accipiendum.

(18) PETRUŠEVYČ A. S., *Kratkoje istoryčeskoje izvistie o vvedenii chrystianstva v predkarpatskych stranach*, Leopoli 1882, p. 16 squ; SOKOŁOWSKI M., *Ruiny na ostrowie jeziora Lednicy*, in «*Pamięt. Akad. Um. w Krakowie*» 1876, t. III, p. 117; OSSOLINSKI I. M., *Wiadomości hist.-kryt. do dziejów liter. polskiej*, Cracovia 1819, t. II, p. 568; DŁUGOSZ I., *Opera Omnia*, t. XI, p. 315 squ.

(1) TATYŠČEV B., *Ist. Ros.*, t. II, p. 78 et 412.

Non pauci auctores hierarchiae constitutionem in hoc territorio anteriori adscribunt temporī (2). A. Petruševyč asserere non haesitat iam ante occupationem Cervensium civitatum a Volodymyro Magno christianismum ibi floruisse, qui suos presbyteros atque episcopos habuit (3). Sedes autem primorum episcoporum in oppido Cerven et in civitate Cracoviensi ponitur. Secundum eius sententiam, Volodymyriensi civitate exstructa, primus episcopus Stephanus nomine fuit (4), ast alio quodam in loco iam antea (a. 988) quidam Thoma, natione graecus, episcopus nominatur. Alia ex parte, Kioviensis Haliciensisque Metropolita, Leo Kiška, qui simul cathedralem Volodymyriensem obtinebat haec habet: « In antiqua charta eo gradu et ordine recensentur episcopi Vladimirienses: 1. Joannes, 2. Antonius, 3. Anythi, 4. Kodrius, 5. Helias, 6. Stephanus (5) et alii. Ex dictis patet, prosequitur, quod nominatus episcopus Stephanus quinque habuit antecessores ». Sed Volodymyriensis civitas, ante tempora episcopi Stephani nondum exstructa fuit; unde praedecessores eius vel in Cerven, a Volodymyro Magno destructa, vel alio in loco sedem suam habuere. Regnum moravorum enim, ubi christianismus floruit, usque ad flumina Buh et Stryj extendebatur. Exinde territorium inter dicta flumina positum, quod postea partem Volodymyriensis eparchiae constituebat, sine proprio episcopo fuisse vix credi potest (6).

Nobis tamen haec opinio minus arridet. Non obstante adnotatione Metropolitanae Leonis Kiška, sententia haec tantummodo ut hypothesis, nullo tamen documento corroborata, sumenda est. Ob paucitatem et insufficientiam, imo temporaneam etiam inaccessibilitatem fontium, manet ut tantummodo auctorum exponamus sententias nostramque deducamus conclusionem.

Si Volodymyriensem inspiciamus eparchiam, videtur, initio, ipsam omnes christifideles praefati territorii in sua habuisse dependentia. Solum posteriori tempore, cum principatus divisione atque christianismi expansione, distinctae et insimul independentes exoriuntur eparchiae, inter quas, nisi fallimur, prima Peremysliensis fuit eparchia.

Sub Rostyslaviensi familia, praesertim sub principe Riuryk, Peremysliensis principatus suam originem ducit, qui brevi tempore quam maxime sua extendit confinia. Hoc modo etiam in aliis processum est principatibus. Politica maturitas territorii secum etiam ecclesiasticam trahebat evolutionem.

(2) PETRUŠEVYČ A. S., *Kratkoje istor...*, p. 54 sq.; *O sobornoj Bohorodyčnoj Cerkvy v horodi Halyči*, Leopoli 1898, p. 67 sq; ISAIV P., *o. c.*, p. 25 sq.

(3) PETRUŠEVYČ A. S., *Krat.*, p. 54 sq; *O soborn.*, p. 67 sq.

(4) PSRL, *Nykonivskaja I*, p. 105.

(5) PETRUŠEVYČ A. S., *Halyckij istoryčeskij sbornyk*, Leopoli 1853, p. 144 n. 55; *Kratk.*, p. 66-67.

(6) PETRUŠEVYČ A. S., *O soborn.*, p. 68.

Ita erectionem Peremysliensis eparchiae A. S. Petruševyč initio s. XII determinat (7), fortasse sub influxu Tatyščev (8), qui asserit, anno 1156 eparchiam Peremysliensem translata fuisse Haliciam, simul cum translatione sedis principum Peremysliensium a. 1141, ut habet A. S. Petruševyč.

Questionem originis Peremysliensis eparchiae, sub quodam respectu, melius elaboravit A. Dobrianskyj (9), qui ad anteriora tempora eius originem studuit ducere. Ante omnia ipse subscribit communi sententiae, secundum quam Peremysliensis eparchia, excepta Volodymyriensi in Volynia, ad antiquiores Halicienses pertinet eparchias. Incipiendo ab anno 1124, quo Peremysliensis princeps Volodar vita est functus atque in ecclesia S. Joannis, ab ipso fundata, sepultus (10), regressum facit ad tempora anteriora.

Etiamsi, dicit ipse, I. Długosz, referens hanc notitiam, nihil habet de characterē huius ecclesiae, an cathedralis fuit necne, nulla datur ratio hac de re dubitandi. Nam Ioannes Długosz alio in loco de eadem scribens ecclesia, ipsam cathedralem esse dicit (11). Cum Nestor, prosequitur A. Dobrianskyj, sua Chronica cum anno 1110 concludit et Peremysliensem nominat eparchiam, ipsius originem ad undecimum saeculum referre est necesse (12). Hanc hypothese[m] comprobare videtur hoc, quod a. 1072 princeps Poloniae Boleslaus Audax Peremysliam occupavit, qua de causa sedis episcopalis in Staryj Sambir (13) translata fuit.

De episcopis tamen Peremysliensibus silent fontes, et exactiorem notitiam de eis ex saeculo tantummodo decimo tertio habemus (14).

Postquam princeps Daniel Haliciensis principatus sedem in civitate Uhrovska fixit, ibidem etiam episcopatum cum cathedrali ecclesia S. Heliae prophetae dicatam constituit (15). Attamen, brevi tempore, Uhrovska primatum Cholmensi civitati cessit, a Daniele a. 1237 circa exstructa. ubi Sedes principatus designata etiam fuit, optimaque positione et munimentis gaudens (16). Unde, paulo post,

(7) PETRUŠEVYČ A. S., *Hal. ist. sbor.*, Leopoli 1853, pars I, p. 140.

(8) TATYŠČEV V. N., *Istoria*, sub a. 1156.

(9) DOBRIANSKYJ A., *Istoria epyskopov trech sojedyenyh eparchij, Peremyslskoj, Samborskoj, Sianookoj*, Leopoli 1893, p. II.

(10) DŁUGOSZ I., *Op. Om.*, Cracovia 1867, t. II, p. 448, t. X, p. 533.

(11) DŁUGOSZ I., *Op. om.*, t. XI, sub. anno 1412 legimus: « ... ecclesiam cathedralem pulcherrimo opere ex petra fabricatam, in castris medio sitam ».

(12) DOBRIANSKYJ A., *Istoria*, p. II sq.

(13) ZUBRYCKYJ D., *Rys do istorji narodu ruskiego w Galicyi i Hierarchii cerkiewnej*, Leopoli 1837, p. 50.

(14) PSRL, t. III, *Novhorodskaja*, p. 38; DOBRIANSKYJ A., *Istoria*, p. 1 sq.

(15) SONEVYCKYJ L., *Ukrainskyj Epyskopat Peremyslskoj i Cholmskoj Jeparchij v XV-XVI st.*, Romae, p. 16.

(16) HRUŠEVSKYJ M., *Istoria*, t. II, p. 382.

etiam episcopus huius regionis in hac civitate Sedem suam constituere debuit, penes ecclesiam S. Joannis Chrysostomi, quam in ecclesiam cathedralem elegit (17).

Primus Cholmensis episcopus Joannes, cononicus Uhroviensis, fuit. Proh dolor, de successoribus Joannis haud multa dici pussunt. De quibusdam eius successoribus pauca tantummodo in Haliciensibus Chronicis notantur. Etiam notitiae de Cholmensibus episcopis saeculi XIV et initio s. XV pauperrimae sunt. Nomina episcoporum, quae referunt Suša et Leo Kiška non in omnibus sunt digna fide. Quaedam nullam fere videntur habere cum Cholmensi eparchia relationem, quia hi ut Volodymyrienses vel alterius Sedis episcopi notantur (18). Notari debet quoque, elenchus hic Cholmensium episcoporum nullum chronologicum sequitur ordinem.

Inde ab antiquis temporibus, praecipue autem post annum 990 (19), sub duplici aspectu (politico et ecclesiastico) civitas Kioviensis in Europa orientali primatum obtinebat. Iam anno 1169 ab Andrea Boholubskyj civitas haec ita devastata est, ut amplius non iam ad suum antiquum splendorem redire, neque pristinam suam gloriam umquam denuo adipisci potuisset.

Cum decadentia principatus Kioviensis in occidentalibus partibus Ucrainae in suo splendore atque virtute principatus Haliciensis crevit, qui sub rege Daniele (1205-1264) primas partes inter alios abtinebat (20), imo suam potestatem et auctoritatem etiam super terras Kiovienses extendit, ipsamque Kioviā per palatinum Demetrium in suis tenuit manibus (21).

Magna incursio tartarorum, orientalibus principatibus occupatis (22), et an. 1240 Kiovia funditus destructa (23), Halicia, Volodymyria, Polonia et Hungaria vastatis, usque confinia Germaniae processit, totamque Europam salutari

(17) IBIDEM; KORDUBA M., *Istoria Cholmšćyny i Pidlaššia*, Cracoviae 1941, p. 66-67.

(18) PLOŠČANSKYJ, *Prošloje Cholmskoj Rusy*, t. I, p. 11.

(19) Antiqui Annales baptismum Rus'-Ucrainae ad a. 988 referunt cum quibus et LIKOWSKI E., *Unia Brzeska*, Poznan 1896, p. 11, consentit; at recentiores auctores ad a. 990 eventum hunc reducunt. Cfr. TOMAŠIVSKYJ S., *Vstup do istoriji Cerkvy na Ukrajinu*, in « *Analecta OSBM* », t. IV, fasc. 1-2 a. 1931, Zovkva 1932, p. 78; GOLUBINSKIY E., *Istoriya Russkoj Cerkvy*, Mosquae 1901, T. I. P. I., p. 164; DE BAUMGARTEN N., *Sv. Volodymyr i chreščennia Rusy*, in « *Bohoslovnia* », t. IX. Lib. 1-4, a. 1930, p. 124; OHIJENKO I., *Ukrajinska Cerkva*, Praha 1942, p. 82.

(20) STASIV M., *Korona Danyla i Tatary*, in « *Analecta OSBM* », vol. II, p. 137 sq.

(21) HRUŠEVSKYJ M., *Istoria Ukrainy-Rusy*, Leopoli 1905, Ed. II, t. II, p. 250; t. III, p. 56; PAŠUTO V. T., *Očerky po istorii Galicko-Volynskoj Rusi*, (sine loco) 1950, p. 220.

(22) HRUŠEVSKYJ M., o. c., t. II. p. 250, t. III. p. 56.

(23) HRUŠEVSKYJ M., o. c., t. II. p. 251.

perculsit timore, ut oblitis internis contentionibus et dissidiis, de communi cogitarent salute (24).

De his incursionibus tartarorum etiam Patres Concilii Lugdunensis (a. 1245) deliberare debuerunt (25). In dicto Concilio ucrainus Archiepiscopus Petrus quidam (26) aderat, qui iam prius Patres Concilii de periculo tartarorum edocuit (27). Qua de re iam ante praefatum Concilium Legatio (28) ad tartaros a Papa Innocentio IV missa est, quae iter suum per terras Ucrainae sumpsit ac quibusdam diebus in civitate Volodymyriensi requiescens principem Vasylo eiusque subditos ad Unionem invitavit (29). Attamen nulla decisio hac in re sumpta est cum frater Principis Vasylo Daniel cum legatione ad tartaros profectus fuit (30). Inter flumina Dnipro et Don utraque legatio (Danielis domum revertentis et Joannis a Plano Carpini ex Ordine fratrum Minorum ad tartaros sese dirigentis) sibi occursum venit et ibi I. Carpini Danielelem certiore fecit de possibili pertractatione cum Sede Apostolica, quam pertractationem Daniel domum reversus instituit et anno 1253 ad desideratum effectum - unionem cum Sede Apostolica - perduxit (31). Quae tamen Unio ob causas politicas non erat longaeua; quibus non obstantibus, magnos fructus produxit, nam inde ab hoc tempore permulta de Unione instituta fuerunt colloquia et tandem aliquando anno 1596 in Synodo Berestensi ad eam perventum est.

Post mortem regis Danielis (a.1264) regnum Haliciae et Volodymyriae inter fratrem et eius filios divisum est, quod rex Georgius I (nepos Danielis) iterum univit. Tempore vero regiminis regis Georgii I Metropolia Haliciensis erecta fuit.

(24) GRANTOFF F. H., *Die lübeckischen Chroniken in niederdeutschlander Sprache*, Hamburg 1829, p. 119.

(25) UMINSKI J., *Niebezpieczeństwo tatarskie w polowie XIII w. i papież Innocenty IV*, Lwow 1922, p. 13.

(26) PULLE G., *Historia Mongolorum, Viaggio di F. Giovanni da Pian del Carpine ai Tartari nel 1245-47*, Firenze 1914, p. 19-20; MGH-SS, Hannover 1885, t. XXVII, p. 474 sq.; GROSS, *The Sources and Literature of English history*, 1915, N. 1692; MATHEUS PARISINUS, *Chronica maior*, ed. H. R. Luard, Londra 1877, Vol. IV. p. 386.

(27) UMINSKI J., o. c., p. 15.

(28) PULLE' G., o. c. p. 207; UMINSKI J., o. c., p. 27.

(29) UMINSKI J., o. c., p. 29; AMMANN A. M., *Storia della Chiesa Russa e dei paesi limitrofi*, Torino 1948, p. 47. (55)

(30) UMINSKI J., o. c., p. 29.

(31) HRUŠEVSKYJ M., *Chronolohija podij Halycko-Volynskoj Litopysy*, in « ZNTS », Leopoli 1901, t. XLI, p. 36-37.

P A R S P R I M A

Historia Metropolis Haliclensis

CAPUT PRIMUM

ERECTIO METROPOLIAE HALICIENSIS

Praesenti in capite agendum est nobis de institutione novae Provinciae ecclesiasticae in Regno Haliciae et Volodymyriae. Totam hanc materiam quatuor articulis exponere opportunum esse ducimus. In primo articulo agendum est de institutione Haliciensis ecclesiasticae Provinciae, secundo autem brevem historiam eiusdem dare est necesse. Tertio articulo primam restaurationem secundamque suppressionem eiusdem Metropolitae exponere studebimus, et in quarto, denique, sortem territorii suppressae Metropolitae perstringere conabimur.

ART. 1. — INSTITUTIO HALICIENSIS ECCLESIASTICAE PROVINCIAE.

Saeculo XIII Principes ucraini magnum influxum in activitatem pastorem Metropolitum Kioviensium, qui in eorum principatibus commorabantur, exercebant ita, ut ope Metropolitum propriam auctoritatem in subditos aliorum principatuum extendere conabantur. Metropolita vero in principatibus, ubi residebant, iura ac desideria respectivorum Principum defendebant, promovebant atque extendere conabantur, cum in suis concionibus et epistolis ad suos fideles res et gesta Principum tum in rebus politicis tum in ecclesiasticis extollerent, influxum vero sui Principis super alios Principes praearent. Hanc partialitatem Metropolitum versus suos Principes tutores sat clare acta quorundam Metropolitum, ut Petri, Theognosti et Alexii, illustrant (1).

Haec actio Metropolitum aliis Principibus quammaxime displicuit, quare remedia, quibus subditos suos a spirituali iurisdictione Metropolita Kioviensis liberarent, quaerere coeperunt. Nil mirum, si reges Haliciae et Volodymyriae, qui iam saeculo XIII ad verticem suae gloriae pervenerunt (2),

(1) Dicti Metropolita excommunicationis poena plectebant omnes, qui auctoritati Principis, qui praedictos Metropolitas protegebat, sese submittere renuebant. Cfr. PSRL, t. VII (*Voskresenska*) pp. 186, 201, t. IX. (*Nikonivska* VIII) p. 178, t. IV. (*Pskovska* I) p. 185, t. X. (*Nikonivska* VIII) p. 201-202; MIKLOSICH F. - MÜLLER J., *Acta et Diplomata Graeca Medii Aevi*, Vindobonae 1860, t. I. p. 523-525.

(2) PRISELKOV M. D., *Istoriija, russkago ljetopisaniija XI-XVII*, Leningrad 1940, p. 9; PETRUŠEVYČ A., *Halyc'kyj istoryčes'kyj sbornyk*, t. II. pp. 37, 39; - Halicia est

quorumque potentiam non solum principatus Ucrainae et Russiae verum etiam Hungariae, Poloniae, Moraviae, aliique agnoverunt, de proprio instituendo Metropolitae, sibi favente, iam antea cogitarent, quod studium tandem rex Haliciae et Volodymyriae Georgius I ad effectum deduxit et Halicienssem Metropoliam, cum Patriarchae Constantinopolitani Athanasii approbatione, erexit (3).

Ob penuriam fontium difficile est diem et annum erectionis primae Metropolitae Halicienssis constabilire. Quidam erectionem dictae Metropolitae saec. XIII, alii vero saec. XIV ponunt. Propugnatores primae opinionis suas assertiones supra Chirographa Principum saec. XIII, in quibus nomina Metropolitanorum (4) inveniuntur, fundant (5), alii, e contra, eorum autenticitatem negant et consequenter existentiam Metropolitanorum dicto saeculo reiciunt (6).

Existentia Metropolitanorum Haliciensium iam saec. XIII repugare non videtur, cum hi Metropolitae, a Rege nominati, confirmationem Patriarcharum Constantinopolitanorum haud facile obtinere potuerint, ut et anno 1392, post mortem Metropolitae Halicienssis Antonii successit. Nam cum Episcopus Luceoriensis Ioannes Antonio Metropolitae successit vi regiae tantummodo nominationis, etiamsi a Patriarchis Constantinopolitanis (Antonio IV, Calisto Xantopulos et Matheo I) numquam approbationem accepit, usque ad annum 1401 Halicienssem Metropoliam rexit (7).

enim spatiosa et opulens regio « quae nunc Ruthenia a pluribus nominatur »; LOZINSKY G., *La Russie dans la littérature française du moyen âge*, in « *Revue des études slaves* » 1929, t. IX. fasc. 3-4, p. 257-260.

(3) RUDOVYČ J., *Istoriya Halycko-Lvivskoj Eparchiji*, Žovkva 1902, p. 10; FIJALEK J., *Srednowieczne biskupstwa Koscioła Wschodniego na Rusi i Litwie*, in « *Kwartalnik historyczny* » (a. X.) Lwow 1896, p. 492-494.

(4) PETRUŠEVYČ A., *Hal. ist. sbor.*, t. II. p. 81-93 et NN. 68, 72, 75, 76; MAKARIJ (BULGAKOV) metrop. Moscoviensis, *Istoriya Russkoj Tserkvi*, S. Peterburg 1888, Ed. III. t. IV. app. II. p. 310-311.

(5) HARASIEWICZ M., *Annales Ecclesiae Ruthenae*, Leopoli 1862, p. 11-12.

(6) TYCHOMIROV N., *Galickaja Mitropolia*, S. Peterburg 1896, pp. 34, 48; KARPOV G., *Očerki iz istoriji rossijskoj tserkovnoj jerarchiji*, in « *CIID* », Mosquae 1864, fasc. 3, p. 32-33; MAKARIJ, o. c., t. IV. app. II, p. 310-311; FILARET H., *Istoriya russkoj tserkvi*, (Ed. V) Mosca 1888, N. 188, p. 118-119; EVHENIJ, *Opisanije Kijevosofijskago Sobora, Kijevskoj jerarchiji*, Kiovia 1825, p. 87-88; VOSTOKOV A., *Opisanije russkich i slovenskich rukopisej rumjantsovskago muzeuma*, S. Peterburg 1842, p. 114-116; LINNIČENKO J., *Cervonorusskoje sudoustrojstvo XIV-XV vika*, in « *ZMNP* », S. Peterburg 1891, fasc. 7, p. 145-153; ZUBRYCKYJ D., *Krytyko-istoryčna povist'vremennyh lit Cervonnoj ily Halykoj Rusy*, p. 92, n. E.

(7) RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.* p. 19-21; TYCHOMIROV N., o. c., p. 128-134.

Post secundam (circa a. 1299) Kioviae destructionem (8) necessitas erectionis novae Metropolitae in regno Haliciae et Volodymyriae magis magisque sentiebatur. Cum vero sedes metropolitana Kioviensis hoc quidem anno in civitatem Volodymyriensem ad Klazma translata sit, metropolitaram iurisdictio et pastoralis cura, ob locorum distantiam, in regno Haliciae et Volodymyriae vix exerceri potuit; imo, quidam praeiudicialis influxus principum Susdaliensium timendus erat. Modus procedendi Metropolitae Kioviensis Maximi Georgium I, regem Haliciae et Volodymyriae, quotidie fere ad hoc campellebat, ut distinctum Metropolitam, hominem sibi bene affectum, qui ipsius iura politica defenderet, in suo territorio crearet. Attamen de his Georgii I eiusque praedecessorum conaminibus silent fontes nostrani.

Unicum erectionis Metropolitae Haliciensis documentum in Annalibus graecis habemus, in quibus Metropolitae Patriarchae Constantinopolitano subditae enumerantur (9); ibi etiam de Eparchiae Haliciensis ad dignitatem metropolitanam elevatione (10), Eparchiarumque suffraganearum adscriptione agitur (11). Quaedam vero mutationes hac de re in Annalibus Parisiensibus ex annis 1356 et 1386 (12) extant, in quibus praeter annum etiam Indicti notula invenitur, quae tamen cum anno non congruit (13). Si Indictus tertius, sicut in his annalibus notatur, esset, ad annum 1304/5 referri deberet; at e contra, annum 1302/3 (14) sicut in aliis annalibus, qui Indicto carent, notatum inve-

(8) HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr. - Rusy*, t. III. pp. 190, 269-270; PELESZ J., *Gesichte der Union der ruthenischen Kirche mit Rom*, Wien 1878, t. I. p. 381.

(9) TYCHOMIROV N., o. c., p. 40-41; *Russkaja istoričeskaja biblioteka* (Ed. II.), S. Peterburg 1908, t. VI. app. col. 15.

(10) Legimus enim in eo: « Γάλιτζα, ἐπισκοπή οὐσα τῆς Ρωσίας, ἐτιμήθη εἰς μητρόπολιν παρὰ τοῦ Βασιλέως κοροῦ Ἀνδρονικοῦ τοῦ Παλαιολόγου ἐπὶ τοῦ ἀγιωτάτου πατριάρχου κοροῦ Ἀθανασίου, ὃς ἔτσι ζωῶν »; Metropoli Haliciensis locum 81 in catalogo Metropolitanarum Patriarchatui Constantinopolitano submissorum obtinuit. RHALLÉS-POTLÉS, *Σύνταγμα τῶν θείων καὶ ἱερῶν κανόνων* ..., Athenis 1852-1859, t. V. p. 494. n. 1.

(11) Metropolitae Haliciensi adiunctae fuerunt Eparchiae « ἡ βλαντιμόρη, ἡ περεμίσλη, ἡ λουτζέσκαϊ, ἡ τουρόβη, ἡ Χόλμη ».

ZACHARIAE C. E. a Lingenthal, *Ius Graeco-Romanum*, Lipsiae 1857, t. III. p. 701, n. 2; GELZER. H., *Beiträge zur russischen Kirchengeschichte aus griechischen Quellen*, in « *Zeitschrift für Kirchengeschichte* », Gotha 1892, t. XIII, p. 253.

(12) Cfr. GELZER H., o. c., t. XIII, p. 255.

(13) Indictus tertius, annus vero 6811 (a creatione mundi) seu 1302/3 positus est; IBIDEM; TYCHOMIROV N., o. c., p. 41; FIJALEK J., o. c., (a. X.) p. 493.

(14) GELZER H., *Beiträge*, t. XIII, p. 255; - Non possumus stricte designare quo anno, 1302 an 1303, Metropoli Haliciensis erecta fuit, quia in Imperio Bizantino anni a creatione mundi, numero 5508 accepto, computabantur. Novus vero annus non cum Januario, sed cum mense Septembri initium habebat. Haec computatio saec. VII introducta est et paulatim alias computationes substituit; quare scriptores Annalium et actorum officialium eam secuti sunt. Hac de causa aliquod documentum graecum huius temporis in nostram, ianuarianam dicamus, computationem commutando, si mensem

nimus; inde error evidens est et annus erectionis 1302/3 et non 1304/5 considerari debet (15). Circa personam primi Metropolitae Haliciensis antiquitatis monumenta silent et solummodo ex posterioribus, Chirographo nempe regis Poloniae Casimiri, notitia et nomen eius habetur (16). Propter fontium defectum veracitatem assertionis regis Casimiri diiudicare non possumus, attamen cum documentum, ex quo de erectione Metropolitae Haliciensis anno 1302/3 peractae notitiam possideamus ac contrariam documento comprobatae assertionem non habeamus, possumus supponere, quod primus Metropolitae Haliciensis Niphont quidam nomine, in Chirographo a rege Casimiro nominatus, esse potuit (17).

Non deerant auctores, moscovitae praesertim, qui auctoritatem Chirographi Casimiri impugnarent, nullo apparatu scientifico usi, sed unice considerationibus politicis Status Moscoviae ducti. Auctoritas autem huius documenti iam ex crisi interna istius documenti comprobatur. Casimirus enim

in quo documentum graecum extraditum est, sicut nostro in casu evenit, non habemus, annum 1302 vel 1303 haberi possumus. Cfr. IKONNYKOV, *Opyt ruskoj istoriografiji*, T. I, L. I, p. 146. Quapropter, pro erectione Metropolitae Haliciensis annum inexactum 1302/3 ponimus.

Notare oportet, quod in Ucraina et Moscovia usque ad saec. XIV novus annus a mense Martio et non Septembri computabatur. Dabantur quoque, attamen raro, septembrianae computationes et saec. XIV omnino ad byzantinam computationem revertebatur. Cfr. IKONNYKOV, *o. c.*, T. I, L. I, p. 147-148; GOLUBINSKIJ E., *Prepodobnyj Sergij Radonežskij i sozdannaja im Troitskaja Lavra*, Sergijev Posad 1892, p. 95.

(15) TYCHOMIROV N., *o. c.*, p. 41; PAVLOV A., *O načali Galickoj i litovskoj mitropoliji i pervich tamošnich mitropolitach*, in «*Russkoje Obozrienije*» 1894, p. 216.

(16) Casimirus, rex Poloniae anno 1340 Haliciam occupavit; subsequenti vero anno iuravit, quod Ecclesiae Ucrainae in dicto territorio omnia iura ecclesiastica relinqueret (Cfr. DŁUGOSZ J., *Opera omnia*, Cracoviae 1864, T. XII. 4. 9., p. 196-197), quare in internam vitam eiusdem non multum sese immiscebat et nequidem anno 1355 aliquam protestationem fecit, quando Metropolia Haliciensis Lithuaniae Metropolitae adiuncta fuit. Haud dubie in hac indifferentia, de existentia Metropolitae Haliciensis, intentio Regis, novos subditos ad ritum latinum ducere (Cfr. STADNICKI K., *O początkach arcybiskupstwa i biskupstw katolickich łac. obrz. na Rusi Halickiej i Wołyni*, Lwów 1882; ABRAHAM W., *Powstanie organizacji kościoła łacinskiego na Rusi*, T. I, Lwów 1904) non parvum influxum habuit. Cum autem princeps Lithuaniae Olgerd iura ad omnes terras Ucrainae postulavit, Rex ecclesiasticam Haliciae cum Lithuania connexionem scindere sibi proposuit, quod anno 1370 Metropolitae Haliciensis restaurationem fecit. In candidatum vero Antonium, Episcopum Haliciensem, elegit et ad Patriarcham Constantinopolitanum Philotheum cum Chirographo seu «*πρωτοκόλιον*», in quo Metropolitae Halicienses enumerantur, misit. Cfr. MIKŁOSICH F. - MULLER J., *o. c.*, t. I, pp. 577.

(17) FIJALEK J., *o. c.*, (a. X.), p. 498; - In Chirographo Casimiri legimus, quod primus Metropolitae Haliciensis Niphont fuit, cuius successores: Petrus, Gabriel et Theodorus erant. Cfr. MIKŁOSICH F., - MULLER J. *o. c.*, t. I, p. 578-580.

in enumeratione Metropolitaram Haliciensium nullam mentionem de Romano, qui hoc quidem tempore Metropolita Lithuano-Haliciensis fuit, facit, quem Romanum, si sine probato iudicio in enumeratione Metropolitaram Haliciensium ductus fuerit, neminisse potuit imo et debuit. Hoc tamen non fecit, putamus, cum solum enumerationem Metropolitaram Haliciensium, Romanus vero prius Metropolita Lithuaniae ac deinde Haliciae Metropolita quoque fuit, in suo Chirographo indicare voluisset. Authenticitas documenti probatur etiam eo, quod Casimirus ad Patriarcham Philotheum scribens, nomina, quae nunquam in indicibus Metropolitaram Haliciensium inveniebantur indicare non potuit, cum optime sciebat de talium indicum in cancellariis Patriarchatus existentia; idcirco periculo non approbationis suae postulationis ob falsificationem documentorum sese exponere noluit. Aliquod dubium tamen hac de re suboriri potest, cum Chirographum regis Casimiri aliis documentis non confirmetur; at propter defectum talium documentorum authenticitatem Chirographi Casimiri negare non possumus, quia summatim universimque notitiae de Halicia eiusque Ecclesia non habentur (18). Nobis autem notum est, quod antequam regnum Haliciae regi Casimiro iure belli cessit ibi Metropolia a Kioviensi distincta inveniebatur; idcirco suos Pastores, etiamsi nullam notitiam de eorum nominibus iuveniamus, habere debuit.

Initium activitatis metropolitanae Niphontis a Nicolao Tychomirov (19 anno 1302/3, quo Episcopatus Haliciensis ad dignitatem metropolitanam elevatus est, adscribitur, cum quo alii auctores quoque concordant (20). Hac in re discrepat assertio Juliani Pelesz, qui erectionem Metropoliae Haliciensis ad annum 1299, hoc est, ad tempus in quo sedes Metropoliae Kioviensis in civitatem Volodymyriensem ad Klazma translata fuit, refert (21). Primus Haliciensis Metropolita, secundum ipsum, nomine Niphont, Metropoliam anno 1299-1305 regebat, at ipse approbatione Patriarchae Constantinopolitani caruit, sed documenta erectionis desunt (22). Opinioni Juliani Pelesz quidam auctor nomine J. P. Filevič non solum sese opposuit, sed etiam Chirographum Casimiri omni fundamento carere asserit ac in Niphonte haudquaquam Metropolitam realem, sed figmentum quoddam Regis videt, de quo disputationem cum Juliano Pelesz fecit (23) necnon demonstrare nititur, quod si non Halicia

(18) TYCHOMIROV N., o. c., p. 47.

(19) TYCHOMIROV N., o. c., p. 48.

(20) SARANEVYČ I., *Istoriya Halycko-Volodymyrskoj Rusy*, Leopoli 1864, p. 24; PETRUŠEVYČ A., *Halyc. Ist.*, P. III, p. 11-17; PAVLOV A., o. c., p. 218; GOLUBINSKIJ E., *Mitropolit Petr*, in « *Bogoslovskij Vjestnik* », 1893, p. 22.

(21) PELESZ J., o. c., T. I, p. 381-382.

(22) IBIDEM.

(23) FILEVIČ J. P., *Borba Polši i Litvi za Galitsko-Vladimirskoje nasljedije*, in « *ZMNP* », Petropoli 1890, t. 267, p. 269-275.

saltem Volynia anno 1301 Metropolitae Kioviensi subiecta esset, cum Metropolita Kioviensis Maximus ad Synodum Constantinopolitanam dicto anno properans Volyniam visitavit. Simile quid etiam apud Macarium (Bulgakov) legere possumus (24).

Sub finem saeculi undevigesimi iam pluries a nobis citatus auctor, Nicolaus Tychomirov, assertioni Juliani Pelesz opponitur ac erectionem Metropolitae Haliciensis tempore translationis sedis metropolitanae Kioviensis impossibilem esse asseverat, cum ad hoc maius temporis spatium, ut necessitas distincti Metropolitae in mente Regnantis Haliciensis sese evolvere potuisset, requireretur (25).

Desiderata a dicto auctore evolutio iam in actu fuit et ipsa non anno 1299, uti ipse vult, incipiebat, sed quadraginta novem annis prius, quando a rege Haliciae et Volodymyriae, Daniele, in Metropolitam Kioviensem quidam Cyrillus nominatur et a Patriarcha Constantinopolitano approbatur (26). De actione Cyrilli, qui a rege Daniele nominationem, a Patriarcha Manuele II vero approbationem accipiens, e Nicea (27) revertens novamque sedem metropolitanam quaerens, suam sedem non in Haliciam, sed in Suzdalensem regionem transtulisset, mirari potest. Causa autem huius Cyrilianae translationis insoluta adhuc manet et solummodo duae suppositiones, nullo documento comprobatae, hucusque inveniuntur et quidem: Cyrillus, aut, ne malam contentionem principum septentrionalium suscicaret, cum a Rege Haliciae et Volodymyriae nominatus fuisset, aut ob quasdam actiones Danielis, forsitan ob unionisticas pertractationes eiusdem cum Innocentio PP. IV. (28), Regi adversabatur, ad septentrionem sese contulit.

Rex Daniel cum suo candidato Constantinopolitanam traditionem rupit quia hucusque Metropolitae Kiovienses a Patriarcha Constantinopolitano mittebantur. Cum autem Patriarcha candidatum Danielis confirmavit, hoc sat clare indicat qua auctoritate Rex Haliciae et Volodymyriae etiam in Aula Patriarchali pollebat. Post mortem vero regis Danielis (1264) relationes inter Metropolitam et regem Leonem deteriorabantur, quia Metropolita magis Principibus septentrionalibus favebat. Inde a morte regis Danielis urgens necessitas distincti Metropolitae sentitur at non obstantibus conatibus Regis Haliciae

(24) MAKARIJ, *o. c.*, t. IV, p. 56.

(25) TYCHOMIROV N., *o. c.*, p. 49.

(26) HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. III, p. 267; TYCHOMIROV N., *o. c.*, p. 37-38.

(27) Hoc quoque tempore Patriarcha Constantinopolitanus Niceae residebat, cum Constantinopolis a Patriarcha latino occupata esset.

(28) HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. III, p. 68 sq.; PELESZ J., *o. c.*, t. I, pp. 277, 318 sq.; D'AVEZAC M., *Relations des Mongols ou Tartares*, Paris 1832, p. 208; UMINSKI J., *o. c.*, pp. 28-29, 91-92 sq.

et Volodymyriae solum anno 1302/3, ut dicebamus, suum effectum sortitur. Magis probabile est, quod hoc ipso tempore Metropolita Haliciensis a Rege nominatus fuit, etiamsi approbatione Patriarchae Constantinopolitani carebat, quia collocatio erectionis Metropoliae Haliciensis, sicut vult Nicolaus Tychomirov, in anno 1302/3 adhuc maiores quam opinio J. Pelesz, contra quem ipse insurgit, gignit difficultates.

Si autem mentem conservativam Patriarcharum Constantinopolitanorum (29), angustias temporum (30) atque alias difficultates pertractationum respiciamus (31), difficile est intelligere hanc Patriarchae Constantinopolitani instantaneam decisionem Eparchiam Haliciensem ad dignitatem metropolitaneam elevandi. Ipsa erectio Metropoliae Haliciensis anno 1302/3 actuata praecedentem pertractationem Regum Haliciae et Volodymyriae cum Patriarcha Constantinopolitano postulare videtur. Motivum atque causam erectionis Metropoliae Haliciensis, prout dicebamus, haec duo suppeditabant: translatio sedis metropolitanae Kioviensis Volodymyriam ad Klazma et neglectus fidelium Regni Haliciae et Volodymyriae ex parte Metropolitae Kioviensis. Patriarcha autem petitionibus Regum Haliciae et Volodymyriae non statim cessit, sed per longum tempus decretum procrastinavit. Attamen pacificus Rex Georgius I (32), qui totam suam energiam in internam meliorationem sui regni convertit, desideratam a suis praedecessoribus erectionem Metropoliae Haliciensis ad felicem exitum perduxit.

Primus Metropolita Haliciensis, nobis notus, Niphont considerari debet, qui tamen eodem anno quo Metropolita Kioviensis Maximus (a. 1305) mortuus est et ipse ex hac vita migravit (33).

ART. 2. BREVIS HISTORIA METROPOLIAE HALICIENSIS (SAEC. XIV)

Post mortem Metropolitae Haliciensis Niphontis, quae, probabiliter, non serius anno 1305 subsecuta est, igumenum monasterii Ratensis Petrum rex

(29) Patriarchae Constantinopolitani canones antiquae Ecclesiae sequentes cuiusque divisioni Metropoliae contrarii erant, quia opinionis erant, quod una in unaquaque regione tantum Metropolia adesse debet, quod ex infra dictis, praesertim tempore abrogationis Metropolitae Haliciensis (a. 1347), clarius patebit.

(30) Si opinionem N. Tychomirov admittamus, ad pertractationem solum duo anni remanserunt. Hae autem pertractationes pro erectione Metropoliae Haliciensis sine dubio maiorem temporis spatium requirebant.

(31) Haud dubie oppositio Metropolitae Kioviensis in retardatione concessionis pro erectione novae Metropoliae suam partem habet.

(32) SARANEVYČ J., *Ist. Hal.-Vol. Rusy*, p. 122.

(33) PSRL, t. V (*Sofijska I*), p. 204, t. VII (*Voskresenska*), p. 184, t. X (*Nikovska VIII*), p. 176.

Haliciae et Volodymyriae Georgius I ad metropolitanam dignitatem evexit (1), de qua promotione plura in vita dicti Petri, a Metropolita Cypriano compilata, inveniuntur (2).

Cum autem insimul cum Niphonte etiam Metropolita Kioviensis Maximus e vivis decessisset, etiam haec Kioviensis metropolitana Sedes vacavit; quae circumstantia pro Duce Tverensi Michaelē stimulo fuit, ut pro Metropolia Kioviensi successorem ex suis subditis procuraret, ideoque Gerontium pro consecratione Constantinopolim misit. Dubium esse non potest, quin Michaelē ut auctoritatem suam supra florentes principatus exspanderet et praesertim ut victoriam super Principem Moscoviae obtineret, Gerontii promotionem propugnabat. Hoc tamen opus eius, uti in «*Stepenna Knyha*» legitur (3), pluribus displicuit. Ob documentorum penuriam, auctores in illustratione conaminum Ducis Michaelis et Regis Georgii I in diversas abierunt sententias et de Georgio I loquuntur ac si ipse Rex ita fecisset, ut Petrus Metropolita Kioviensis fieret quamquam Gerontio Petrum praeposuisset.

Iam a nobis citatus J. Filevič (4) in conaminibus Georgii I, proprium habendi Metropolitam, longe prospicientem consilium eiusdem regis Georgii perspicit, ut extenderet nempe suam regiam auctoritatem super ceteros principatus via electionis Petri ad Metropoliam Haliciensem, cui eparchiae Metropoliae Kioviensis etiam subiici deberent. Alia tamen est opinio A. Pavlov (5), qui asserit, Petrum prius Metropolitam Haliciensem fuisse, posterius vero, cum Principis Moscoviae et Patriarchae consensu, Metropolitam totius Rusy nominatum esse. In partibus septentrionalibus, pergit A. Pavlov, Petrus anno 1309 apparet et cum in Annalibus localibus ipsa nominatio ad praecedentem annum (1308) referatur, procul dubio ante annum 1308 tamquam Metropolita Kioviensis non agnoscebatur.

Sententia autem H. Gelzer a praecedentibus omnino differt, cum in sua expositione rei non solum reicit opiniones aliorum, sed etiam asserit, ad cathedram Metropoliae Haliciensis quidam Petrus, de quo in Chirographo Casimiri, distinctus a Petro Metropolita Kioviensi, nominatur. Auctor vero libri «*Stepenna Knyha*» vel biographus S. Petri (Metropolita Cyprianus) aut confundebat primum cum secundo aut identificabat eos ratione irregularium collatio-

(1) TYCHOMIROV N., o. c., p. 52; RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lv. Ep.*, p. 10-11.

(2) *Stepenna Knyha*, in «PSRL», t. XXI, p. 324; MAKARIJ, o. c., t. IV, p. 307, app. N. II.

(3) *Stepenna Knyha*, in «PSRL», t. XXI, p. 324; GOLUBINSKIJ E., *Sv. Petr*, in «*Bogoslovskij Vjestnik*», 1896, p. 20-23; ILOVAJSKIJ D., *Istorija Rossiji*, Moscva 1876-1890, t. II, p. 10; KARPOV H., o. c., p. 3.

(4) FILEVIČ J., o. c., p. 277.

(5) PAVLOV A., o. c., p. 220.

num. Petrus vero, a rege Georgio I nominatus, Constantinopolim missus est, exclusive hunc in finem, ut in ipso successorem pro vacante Metropolia Haliciensi obtineret (6).

His omnibus visis N. Tychomirov (7) suam profert opinionem, qua supra dictas sententias reicere conatur. Contra primam tamquam fundamentum adnotationem libri «*Stepenna Knyha*», iuxta quam rex Georgius I solum elevationem Sedis Episcopalis ad dignitatem metropolitanam intendebat, ponit, dum uberiores fructus et altiores honores non exoptabat. Dicta suppositio hoc confirmatur, quod anteactis annis studiis praedicti Regis Metropolia Haliciensis erecta fuit, cuius cathedram breviter Niphont tenebat, idcirco consentaneum erat Regi de existentia Metropolitae curare (8). Sententia autem A. Pavlov, secundum N. Tychomirov, non probatur documentis, imo adsunt documenta contraria (9). Tertiae denique sententiae obiicit Tychomirov, quod etiam auctor eiusdem, H. Gelzer, arffirmat, nempe non raro Episcopus Haliciensis elevabatur ad metropolitanam dignitatem et deinde rursus deponebatur (10). Cum autem hic Patriarcharum modus agendi, nempe Metropolitam instituendi et brevi tempore post deponendi, notus sit, cur nostro in casu hoc non obtigeret, quaerit. Alteram vero suppositionem, iuxta quam de duabus distinctis personis eiusdem nominis ageretur, considerat ad manum praeae descriptionis vitae Petri, quae pro N. Tychomirov fundamentum huius opinionis constituit, secundum quam Petrus Metropolita Kioviensis dioeceses Metropolitae Haliciensis visitasse, quod certe, si adfuisset ibi proprius Metropolita, non fecisset (11).

Secundum nostram sententiam, consideratis sententiis aliorum, nominatus atque missus a rege Georgio I Constantinopolim Petrus prius a patriarcha confirmationem in cathedra Metropolitana Haliciensi obtinuit, deinde etiam ad Kioviensem cathedram nominatus est. Patriarcha vero de morte Metropolitae Kioviensis certior factus, de abrogatione Metropolitae Haliciensis eiusque submissione Kioviensi Metropolitae cogitabat (12), quam tamen ob rationes personales, quia ipse eam erexit, nec non et probabilem oppositionem

(6) GELZER H., *Beitraege*, t. XIII, p. 257 sq.

(7) TYCHOMIROV N., *o. c.*, p. 54.

(8) *IBIDEM*.

(9) Quasi omnes Annales nominationem Petri in Metropolitam Kioviensem ad annum 1308 referunt et solum subsequenti (1309) anno eum tamquam institutum Metropolitam Kioviensem nominant. Cfr. TYCHOMIROV N., *o. c.*, p. 60.

(10) GELZER H., *Beitraege* ..., p. 261.

(11) GELZER H., *Beitraege* ..., p. 261 sq.

(12) Patriarchae Constantinopolitani semper divisioni tam Metropolitae quam Dioecesium contrarii erant, idcirco nihil mirum si capta occasione antea ob graves rationes factam divisionem abrogare conabantur.

Regis Haliciae et Volodymyriae ad praesens ad effectum deducere non potuit. Capta tamen occasione mortis duorum Metropolitanorum imprimis Nominatum Georgii I ad Metropoliam Haliciensem confirmat, aliud vero consilium in sinu cordis retinet, ex defectu causae sufficientis ad Metropoliam Haliciensem sustulendam. Iidem enim auctores, Rex et Patriarcha, in vivis adhuc erant. Suo vero circumspecto et indirecto agendi modo tum suae auctoritati tum regiae vanitati plene satisfecit et finem ultimum, suppressionem nempe Metropolitae Haliciensis obtinuit (13).

Animadversio N. Tychomirov, quod Petrus a Patriarcha in Kioviensem et non Haliciensem Metropolitam consecratus fuit, ob insufficientiam argumentorum minus probatur. De Chirographo regis Casimiri disserendo affirmat authenticitatem Metropolitanorum Haliciensium ibi nominatorum (14), quam absentia nominis Metropolitanae Lithuano-Haliciensis, Romani, inter Metropolitae Halicienses comprobare nititur, cum Casimirus exclusive Metropolitae Halicienses enumeraret (15). Oblitus tamen huius sententiae, in decursu dissertationis Petrum in Metropolitam Haliciensem consecratum fuisse negat (16). Omnibus consideratis affirmare possumus, Petrum prius in cathedram Haliciensem (17), postea vero in Kioviensem totiusque Rusy, a Patriarcha Constantinopolitano institutum fuisse (18), si modum agendi Patriarchae (19) et silentium Regis, et demum sat longam sedisvacantiam utriusque Metropolitae rationabiliter et sufficienter explicare volumus (20).

Solummodo anno 1309 adnotationes in Chirographis localibus de Petro tamquam Metropolita inveniuntur; ab hoc ergo tempore etiam in septentrione eius iurisdictio instaurata fuit, qui anno 1320 suam quoque Sedem Mosco-

(13) Nominatio in Metropolitam Kioviensem, ut iam dictum est, anno 1308 perfecta fuit et subsequenti anno (1309) Petrus Metropolita Kioviensis et totius Rusy nominatur.

(14) TYCHOMIROV N., *o. c.*, p. 44-45.

(15) IBIDEM.

(16) TYCHOMIROV N., *o. c.*, p. 55.

(17) GELZER H., *Beitraege ...*, p. 257; RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 11.

(18) RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 11.

(19) Haec omnia aguntur sub eodem Patriarcha Constantinopolitano Athanasio, sub quo etiam erecta fuit Metropolita Haliciensis.

(20) Obiectioni N. TYCHOMIROV: - cur nam Patriarcha, si Petrum in Metropolitam Haliciensem instituit, Gerontium in Kioviensem Metropolitam confirmare renuit, facile respondetur. Praemissa intentione uniendi utramque Metropoliam, quam statim exsequi non potuit, male visum Gerontium apud Principes respuat (Cfr. *Stepenna knyha*, in « PSRL », T. XXI p. 324.) et debilem principem Michaellem Tverensem postposuit, Petrum autem confirmavit et Georgium I Regem per Petrum placavit, imo de utilitate dispositionis patriarchalis persuasit.

viam transtulit (21). Annis ergo 1305-1309 Petrus tamquam Metropolita Haliciensis in Annalibus Curiae Patriarchalis notabatur (22).

Non obstante translatione sedis Metropoliae Kioviensis in septentrionem, Petrus etiam titulum Metropoliae Haliciensis tenebat, quod etiam Episcopi Luceoriensis Theodosii in funeribus Metropolitae Petri (a. 1326) praesentia comprobant (23).

Duobus quasi annis post mortem Petri (a. 1328) Metropoliam Kioviensem graecus Theognostus obtinuit (24), quem aevo suppres ob sanctitatem atque sapientiam laudibus extollunt (25). Theognostus, contra voluntatem Metropolitae Petri a Patriarcha nominatus (26), sua prudentia et in gubernando sapientia sibi animos tum Principum tum populi conciliavit, et aversionem contra graecos exortam mitigavit, Provinciae Halicensi debitam personalem attentionem tribuit (27), renovationemque Metropoliae de facto, non de iure suppressae impedit.

In Chirographo Casimiri, praeter Niphontem et Petrum, duo alii Metropolitae Halicienses, Gabriel et Theodorus notantur. De primo, excepto nomine, nihil scimus et in designatione temporis eius metropolitanae activitatis discrepant auctores (28).

Julianus Pelesz hac de re tractando dicit, post mortem Metropolitae Kioviensis Petri, aut iam tempore translationis Sedis Metropoliae Kioviensis Moscoviam in Metropolitam Halicensem quemdam Gabrielem nominatum fuisse. Sed ob activitatem Metropolitae Kioviensis totiusque Rusy Theognosti in Metropolia Halicensi eiusque Volodymyriae in Volynia residentiam (1328-1331), ubi cum Suffraganeis Metropoliae Haliciensis Episcopum Novhorodensem consecravit, vix iurisdictionem stabilire suam potuit. Praesentia horum Episcoporum in dicta consecratione inexistentiam, saltem annis

(21) CALLAEY F., *Praelectiones Historiae Ecclesiasticae Aetatis Mediae et Modernae*, Romae 1950, p. 77; RUDOVYČ J., *Ist. Hal. - Lviv. Epar.*, p. 11; HRUŠEVSKYJ M., o. c., t. III. p. 271.

(22) RUDOVYČ J., *Ist. Hal. - Lviv. Epar.*, p. 11; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr. - Rusy*, t. III. p. 271.

(23) PSRL, t. III (*Novhorodska*), p. 73; TYCHOMIROV N., o. c., p. 63.

(24) PSRL, t. I (*Troicka*), p. 230; t. III (*Novhorodska I*), p. 74; t. V (*Sofijska I*) p. 218; t. VII (*Voskresenska*), p. 201; t. X (*Nikonivska*), p. 195.

(25) HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr. - Rusy*, t. III. p. 271.

(26) In suum successorem, cum Principis approbatione, quemdam Theodorum nominavit. Cfr. HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr. - Rusy*, t. III. p. 271.

(27) PSRL, t. VII (*Voskresenska*), p. 202; t. III (*Novhorodska I*), p. 75; t. X (*Nikonivska*), p. 203.

(28) PELESZ J., o. c., t. I, p. 283; PAVLOV A., o. c., p. 222, sq; TYCHOMIROV N., o. c., p. 64 sq.

1329 - 1331, distincti Haliciensis Metropolitae probat, ideo Gabriel sive immediate post mortem sive ultimis annis activitatis Petri cathedra Haliciensi fruebatur, cum anno 1331 in Metropolitam Haliciensem Theodorus a Rege nominatus, a Patriarcha autem non confirmatus cathedram metropolitanam occupavit (29).

Secundum A. Pavlov, post translationem Sedis Metropolitanae Moscoviam, Petrus in occidentalibus partibus Kioviensis Metropoliae seu in antiqua Metropolia Haliciensi Vicarium suum nomine Gabrielem relinquit ipsique administrationem dioecesium in regno Haliciae et Volodymyriae concessit (30). De Metropolita Haliciensi ex anno 1331 cum opinione J. Pelesz, de persona autem cum opinione Macarii, concordat (31). Secundum Macarium, Theodorus Episcopus Haliciensis cum Archimandrita Theodoro, quem Petrus in suum successorem designavit, qui tamen Constantinopoli confirmationem non obtinuit, idem esse videtur. Theognostus, ut Archimandritam Theodorum placaret, eum in Episcopum Haliciensem consecravit. Hoc minime contentus, dignitatem Metropolitae Haliciensis adipisci conabatur. Hac de causa anno 1331 Constantinopolim iter fecit et in Synodo Patriarchali titulum « ὑπέρτιμος », Praeillusterrimus, obtinuit (32), sed hac litterali distinctione non obstante, ut simplex Episcopus domum rediit (33).

Nicolaus Tychomirov insurgit tam contra sententias a nobis memoratas quam etiam contra illas, quae his sententiis similes sunt. Impossibilitatem existentiae Metropoliae Haliciensis annis 1326-1329 ipse probare conatur pacifica conviventia Metropolitae Petri cum Episcopis Volyniae (34), quae etiam sub eius successore Theognosto, dum ipse decursu sui in Ucrainam itineris (a. 1328) Episcopos consecravit, viguit quodque a J. Pelesz ignorabatur (35). Modus agendi Theognosti Volyniae (36) inexplicabilis maneret, si distinctus Metropolita Haliciensis admitteretur. Maiorem fundamentum activitas metropolitana Gabrielis anno 1331 haberet, quae actibus patriarchalibus et titulo « ὑπέρτιμος » sustineri potest (37). Hoc ipso tempore, quo Gabriel in Metro-

(29) PELESZ J., *o. c.*, t. I, p. 283.

(30) PAVLOV A., *o. c.*, p. 222.

(31) MAKARIJ, *o. c.*, t. IV, p. 21 et n. 26.

(32) MIKLOSICH F. - MULLER J., *o. c.*, Titulo « ὑπέρτιμος - Praeillusterrimus » Metropolitae decorabantur. Cfr. TYCHOMIROV N., *o. c.*, pp. 65, 70.

(33) PAVLOV A., *o. c.*, p. 222-224.

(34) TYCHOMIROV N., *o. c.*, p. 68.

(35) PELESZ J., *o. c.*, t. I. p. 383; TYCHOMIROV N., *o. c.*, p. 68.

(36) Theognostus Volyniae iam anno 1328 consecravit Episcopos. Cfr. REGEL V., *Analecta Bizantino-Russica*, Petropoli 1891, p. 52-53.

(37) MIKLOSICH F. - MULLER J., *o. c.*, t. I. p. 164.

litam instituebatur, Theodorus, Episcopus Haliciensis, aut Vicarius Metropolitae Haliciensis constitutus aut ad aliam eparchiam translatus fuit; quapropter assertio Juliani Pelesz (38) sine fundamento manet (39). Hoc modo etiam opinio A. Pavlov, quae quoad personam Theodori coincidit cum opinione J. Pelesz ruere debet (40). J. Pelesz et A. Pavlov de itinere Theodori anno 1331 loquuntur, attamen ex documentis N. Tychomirov affirmat, inter annum 1330 et 1332 Theodorum domi mansisse (41). Denique, anno 1331 quidam Archiepiscopus Haliciensis in Metropolitam consecratus fuit, qui in Synodo Patriarchali partes activas habuit ac titulo « ὑπέρτιμος » condecoratus fuit (42). Inde metropolitana dignitas Theodoro, qui eodem anno ut simplex Episcopus in consecratione Episcopi Luceoriensis (43), a Teognosto peracta, partem habuit, minime assignari potest (44). Quare, nullus alius, praeter Gabrielem, in Synodo Patriarchali anno 1331 dignitatem metropolitanam obtinere potuit. De persona Gabriellis, praeter nomen, qui in Chirographo Casimiri invenitur, nihil scimus, attamen ex iam dictis, probabiliter, confici potest, quod ipsum Rex Haliciae, qui tunc temporis Georgius II (1324-1336) erat (45), Constantinopolim misit. Tamen Gabriel etiam natione graecus esse potuit et solummodo ad instantiam Regis suam Cathedram brevi tempore tenebat, quae post eius mortem, vel alia de causa, anno 1335 iterum Theognosto subiecta fuit (46).

Etsi documenta de dicto Gabriele deficiunt, secundum nostram opinionem, Metropoli Haliciensem, probabiliter, iam ultimis annis vitae Petri,

(38) Julianus Pelesz in suo opere « *Geschichte der Union* », t. I, p. 383, asserit, Theodorum anno 1331 a Rege Haliciae et Volodymyriae nominatum, approbationem Patriarchae non obtinuisse.

(39) TYCHOMIROV N., o. c., p. 68-69.

(40) TYCHOMIROV N., o. c., p. 70-71.

(41) IBIDEM; Non ita autem res se habuit cum quasi duo anni (October 1329-25 Augusti 1331) manent, in quibus Theodorus sine difficultate Constantinopolim iter arripere potuit. Cfr. REGEL V. *Analecta Bizantino-Russia*, Petropoli 1891, pp. 53-54, 56.

(42) TYCHOMIROV N., o. c., p. 72.

(43) Dicta consecratio die 6 Decembris 1331 locum habuit. Cfr. REGEL V., o. c., p. 53.

(44) IBIDEM; TYCHOMIROV N., o. c., p. 72.

(45) SARANEVYČ J., *Istoria Halycko-Volynskoj Rusi*, Leopoli 1863, p. 137; ILOVAJ-SKYJ D., o. c., t. II, p. 77.

(46) TYCHOMIROV N., o. c., p. 73.

Metropolitae Kioviensis (47) usque ad annum 1328, in quo vita functus est (48), obtinuisse.

Duobus annis post mortem Metropolitae Petri, ut dictum est, Metropolia Kioviensis a Theognosto fuit occupata. Novus Metropolitae Kioviensis secundum mentem Patriarchae et suam propriam in totam haereditatem Metropolitae Petri intrare mox studuit. Auxilio ei in hoc fuerunt tum incertae vicissitudines politicae Regni Haliciae et Volodymyriae, tum quaedam negligentia regis Georgii II (Boleslai Trojdenovyč) in rebus ecclesiasticis Haliciae. Secundum nostram sententiam, hoc eodem anno, quo Metropolitae Kioviensis Theognostus Regnum Haliciae et Volodymyriae visitavit (1328) ibique, post electionem Episcopi Haliciensis, praesentibus Suffraganeis Metropolitae Haliciensis (49) Theodorum in Episcopum Haliciensem consecravit (50), finem suum obtinuit et magno cum studio nominatas Eparchias administrare coepit (51).

Non obstante hoc temporali Theognosti successu, causa Metropolitae Haliciensis mox denuo exorta est, quia iam sub fine anni 1330 Theodorus Constantinopolim iter fecit ibique metropolitana iura dignitatemque adipiscere conatus est. Patriarcha Isaias (1323-1334) quidem iura ipsius confirmavit ac titulum Metropolitae (ὑπέρτιμος) Haliciensis restituit, quod Theodoro possibilitatem in Synodo patriarchali interveniendi dedit (52), sed Theognosto instante et Constantinopoli perorante (53), hoc eodem anno 1331 titulus metropolitanus Theodoro a Patriarcha iterum ademptus est (54). In patriam et ad pristinas relationes reversi, Theodorus ut simplex Episcopus suffraganeus in consecratione Episcopi Novhorodensis Metropolitae ad latus fuit.

Suppositio, quod Theodorus anno 1331 dignitatem metropolitanam obti-

(47) Gabriel quoque Vicarius Petri esse potuit; sed cum Petrus anno 1320 Moscoviam se transtulit suumque Ovile in partibus occidentalibus Metropoliae Kioviensis relinquit, videtur Rex Haliciae et Volodymyriae Vicarium hunc in Metropolitam Haliciensem nominavit. Utrum iste confirmationem Patriarchae obtinuit, ob penuriam documentorum nihil certum dicere possumus; at certum est, quod ipse munere Metropolitae fungebatur, cum nomen eius in Chirographo Casimiri invenitur.

(48) RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 11.

(49) Episcopi Suffraganei Metropolitae Haliciensis erant Peremysliensis, Cholmensis, Luceoriensis et Turoviensis.

(50) Dicta consecratio in Maio 1328 peracta fuit. Cfr. REGEL V., *o. c.*, p. 53.

(51) SARANEVYČ J., *Ist. Hal.-Vol. Rusy*, p. 142; TATYŠČEV V., *Istorija rossijskaja*, S. Peterburg 1768-1848, t. IV, p. 126.

(52) MIKLOSICH F. - MÜLLER J., *o. c.*, t. I, p. 164; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. III, p. 272; RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Eparch.*, p. 12.

(53) PAVLOV A., *op. cit.*, p. 223-224.

(54) HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. III, p. 272; RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 12.

nuit magis probabilis videtur illa Nicolai Tychomirov (55), quia si Haliciae hoc tempore distinctus Metropolita adesset, sicut vult citatus auctor, cui Theodorus subiectus fuit, praesentia eius in consecratione Episcopi Novhoro-rodensis ab extraneo Metropolita peracta inexplicabilis maneret. Neque ad iustificationem assertio, quod neoconsecratus Metropolita Haliciensis hoc anno adhuc Constantinopoli remanebat, sufficit, quia Theognostus etiam hoc in casu extraneus Metropolita pro Theodoro fuit. Deinde, supposita sententia N. Tychomirov, modus agendi Theognosti inexplicabilis manet, quia non explicat, quo iure Theognostus Episcopum Luceoriensem, Suffraganeum Metropoliae Haliciensis, aliis Suffraganeis (56) dictae Metropoliae Haliciensis adsistentibus, consecravit, si eodem anno Constantinopoli proprius Metropolita pro Metropolia Haliciensi institutus fuit. Hoc autem melius cum sententia nostra conciliari videtur, secundum quam Theodorus ad pristinum statum reductus, hoc est Theognosto subiectus, titulo Archiepiscopi retento, tempore reditus sui in patriam in consecrationibus a Theognosto peractis adstitit. Tali modo collatio Metropoliae Haliciensis Gabrieli anno 1331 nullum fundamentum habet et rationabilior videtur sententia, quae eam ad annum 1320 reducit, hanc vero anni 1331 Theodoro adscribit.

Si nunc ecclesiastica aut canonica causa quaeratur, propter quam Patriarcha confirmationem retractavit, haec in circumstantiis politicis huius temporis invenienda videtur. Theognosto enim Princeps Moscoviae Ivan Kalyta adstabat, tum potestate atque auctoritate tum abundanti pecuniae copia. Praeterea Magnus Dux Moscoviae momentum pro independentia Ecclesiae suae procuranda quaerebat unionemque ecclesiasticam cum Imperatore byzantino eiusque Patriarcha rumpendi expectabat (57). Theodorum autem solummodo Bullae scriptae ac iura ad Metropoliam Haliciensem sustinebant, cum Rex Georgius II (58) hac de re minime curabat ac

(55) Explicando suam sententiam asserit, quod anno 1331 Gabriel in Metropolitam Haliciensem institutus fuit. Cfr. TYCHOMIROV N., *o. c.*, pp. 68, 71.

(56) REGEL V., *o. c.*, p. 53.

(57) HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. III, p. 273; RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 12; PELEŠZ J., *o. c.*, t. I, p. 384.

(58) Post mortem ultimorum Regum Haliciae et Volodymyriae (1321-1323) optimates (bojare) Boleslaus, principem Masoviae, unanimiter sibi in Ducem et dominum elegerunt. Boleslaus in Diplomate anni 1325 vocat regem Haliciae et Volodymyriae Georgium I « avus » (Cfr. HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. III, p. 123, nn. 1, 2.) quare mater eius, filia Georgii I, nomine Maria ac natione ucraina erat. Boleslaus, cum Regnum Haliciae et Volodymyriae acciperet, aliud nomen, Georgii II, sibi assumpsit et ritum latinum in graecum mutavit, ideo sub duplici nomine in historia venit. (Cfr. HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. III, p. 123). Quoad tempus mortis ultimorum Regum Haliciae et Volodymyriae videas: RAYNALD O., *Annales ecclesiastici ab anno quo desinit Baronius*, t. XV, p. 296; PROCHASKA A., *W sprawie zajęcia Rusi przez*

forsitan eius suppressioni favebat (59).

Versus annum 1337, ut ex quodam monumento constat, in quo de Archiepiscopo Haliciensi agitur (60), iterum de restauratione Metropolitae Haliciensis causa agitur; attamen, ob ignotas nobis causas, metropolitica dignitatem Theodorus etiam tunc non obtinuit et solummodo ut Archiepiscopus, sine additamento tituli « ὑπέρτιμος » (61), nominatur et in ordine metropolitaram post Mitimensem Metropolitanam (62) ponitur. Tempore autem interregni in Imperio Byzantino (1341-1347), post mortem Andronici III (63), Theodorus Constantinopolim iterum iter fecit et cum auxilio Principis (Demetrii-Lubart) a Patriarcha Ioanne Kalekas restaurationem Metropolitae Haliciensis ad normam Bullae erectionis (1302/3) obtinuit (64).

Notitiam restaurationis Metropolitae Haliciensis Theognostus silentio non recepit ac ut denuo suppressionem obtineret, Theodorum de quibusdam culpis reum accusavit, quam accusationem tamen Patriarcha anno 1341 vel 1342 excommunicatione in omnes Theodori adversarios lata nullam declaravit (65).

Metropolitanam potestatem Theodorus solummodo sub patriarchatu Ioannis Kalekas exercere potuit, quo de cathedra deposito, sub Patriarcha Isidoro Puchira, palamita, et Ioanne Kantakuseno imperatore (66) ad abrogationem omnium, quae ab Ioanne et Anna decreta sunt, processum fuit, proinde etiam ad suppressionem Metropolitae Haliciensis.

Kazimierza W., in « *Kwartalnik historyczny* », 1892, p. 29; BALZER O., *Genealogia Piastów*, Kraków 1893, p. 453.

(59) CZOŁOWSKI A., *Lwów za ruskich czasów*, in « *Kwartalnik historyczny* », 1891, t. IV, p. 807-808.

(60) « ἱερώτατος ἀρχιερεὺς... τοῦ Γαλιτῆς », MIKLOSICH F. - MÜLLER J., o. c., t. I. p. 170 -171.

(61) IBIDEM; RHALLÉS - POTLES, o. c., t. V, p. 494; GELZER H., o. c., p. 259.

(62) Mitimna locum 88 dum Halicia 81 et 82 in ordine Metropolitaram occupabat. Cfr. RHALLÉS-POTLES, o. c., t. V, p. 494.

(63) Paulo post mortem Imperatoris, Andronici III nomine, nondum Imperio maturi, Joannis V Paleologi eius mater Anna regebat, quae camerarium Joannem Kantakusen, tamquam periculosum inimicumque Imperii, a regimine amovit. Iste tamen omnibus viribus nitebatur, ut dignitatem imperialem obtineret, quam in fine Joannes Kantakusen adeptus est. Cfr. TYCHOMIROV N., o. c., p. 78.

(64) HRUŠEVSKIJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. III, p. 273; RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 12; PELEŠZ J., o. c., t. I. p. 384; - Theodoro subdebantur Eparchiae: Haliciensis, Volodymyriensis, Cholmensis, Peremyšliensis, Luceoriensis, Turoviensis. Cfr. TYCHOMIROV N., o. c., p. 83; ZACHARIAS C. E. a LINGENTHAL, *Ius Graeco-Romanum*, Lipsiae 1857, t. III. p. 701; RIB, t. VI, app., N. 3, col. 18.

(65) REGEL V., o. c., p. 52; MIKLOSICH F. - MÜLLER J., o. c., t. I, p. 265.

(66) PELEŠZ J., o. c., t. I, p. 384; RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 13; TYCHOMIROV N., o. c., p. 78.

Theognostus et Magnus Dux Moscoviae Symeon circumstantias has constantinopolitanas in suum favorem vertere statuerunt, ut suppressionem Metropoliae Haliciensis procurarent. Princeps praeterea sumptibus non parcebat (67), et tandem imperiali Chrysobulla (Augusto 1347), in qua late longeque causae huius decisionis exponuntur (68), Metropolia Haliciensis suppressa fuit (69). Synodus autem patriarchalis mense Septembri eiusdem anni habita decretum imperialem de abrogatione Metropoliae Haliciensis « pro semper » approbavit (70). Modus agendi tonusque litteratum ad Principem Lubart ab Imperatore scriptarum seu conamina Imperatoris et Patriarchae Magnum Ducem Moscoviae Symeonem in rebus ecclesiasticis Principi Lubarto praeferre, displicuit Lubarto, ideoque Theodori favebat eumque, secundum voluntatem Patriarchae, in iudicium Metropolitae Kioviensis non detulit (71). Attamen ab Imperatore et Patriarcha solummodo negativa pars peracta fuit, pars vero positiva seu submitio Eparchiarum Metropoliae Haliciensis Metropolitae Kioviensi Theognosto relicta est, qui mox Lubartum in suas partes pertraxit (72). Post annum 1347 de Theodoro silent fontes, nec de eius Theognosto submissione ulla habetur notitia. Circumstantiae politicae Haliciae sub dominio Poloniae mentes hominum in aliam vertebant directionem. Fortasse penes Theodorum regimen Metropoliae, saltem ex parte, remansit usque ad Synodum Patriarchalem anni 1355, post quam Metropolia Haliciensis omnino existere desinit, quia omnes eparchiae eiusdem Lithuanae Metropoliae, sub Romano Metropolita, adnexae fuerunt (73).

(67) HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. III, p. 273 et d. 2; - Nicephorus Gregora asserit, tempore abrogationis Metropoliae Haliciensis principem Symeonem magnam pecuniarum copiam ad restaurandam collapsam partem ecclesiae S. Sophiae Bizantium misit. Cfr. GREGORA N., *Historia Bizantina*, ed. Bonn, t. III, p. 199-200, 516; PETRUŠEVYČ A., *Hal. Ist. Sbor.*, P. III, app. p. 178; - Symeon primus principum moscovitarum Magnum Ducem vocari praesumpsit. Cfr. FIJALEK J., o. c., p. 506.

(68) ZACHARIAS C. E. A LINGENTHAL, o. c., t. III, p. 700-703.

(69) HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. III, p. 273; RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 13; GOLUBINSKIJ E., *Theognost*, in « *Bohoslovskij Viestnik* », 1893, p. 233, n. 1.

(70) ZACHARIAE C. E. A LINGENTHAL, o. c., t. III, p. 701 sq.; FIJALEK J., o. c., p. 502-503; MIKLOSICH F. - MULLER J., o. c., t. I, p. 267-271; GELZER H., *Texte der Notitiae episcopatum*, ein Beitrag zur byzantinischen Kirchen- und Verwaltungsgeschichte, München 1900, p. 596.

(71) MIKLOSICH F. - MULLER J., o. c., t. I, p. 261; FIJALEK J., o. c., p. 509; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. III, p. 273; RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 13.

(72) Postquam Lubart cladem a Casimiro rege Poloniae anno 1349 reportavit, Theognostus venit et auxilium Magni Ducis Moscoviae ei promisit simulque ad sponsalia cum principissa Olha Rostoviensi, quacum Symeon, Magnus Dux Moscoviensis, propinqua cognatione iungebatur, persuasit. Cfr. RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 14; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. III, p. 304.

(73) BARSOV T., *Konstantinopolskij Patrijarch i jeho vlast nad Russkoju Tserko-*

ART. 3. — PRIMA RESTAURATIO METROPOLIAE HALICIENSIS (A. 1371).

Theognostus, Metropolita Kioviensis, suppressa Metropolia Haliciensi, post aliquot annos sibi noviter subiectas Eparchias visitare coepit (1). Sed conaminibus suis tum ecclesiasticis, tum politicis, quae Duci Moscoviae favebant, populum, clerum optimatesque adversos invenit (2). Iam anno 1352, Theognosto adhuc vivente, quidam Theodoretus Constantinopoli in Metropolitam consecrationem obtinere studuit (3). Quisnam autem misit ipsum Constantinopolim ac cuiusnam territorii Metropolita nominari cupiebat, nulla habetur notitia (4). Constantinopoli reiectus, Theodoretus ad Tirnaviensem Patriarcham (Bulgariae) profectus et ab ipso in Metropolitam consecratus est. Deinde Kioviam reversus, non solum a fidelibus Kioviensibus, verum etiam a quibusdam extraneis Episcopis tamquam Metropolita Kioviensis agnitus fuit (5), quam Sedem aliquot per annos occupavit. Theognosto mox vita functo, magnum dissidium Moscoviam et Lithuaniam inter exardescit, et Constantinopolim tum candidatus moscoviensis Alexius (6) tum lithuanus, consanguineus principis Olgerd, Romanus (7) missi sunt (8), ubi contentio haec,

viju, S. Peterburg 1878, p. 395; GELZER H., *Beiträge ...*, p. 272; JEVHENIJ, *o. c.*, p. 88; PELESZ J., *o. c.*, t. I, p. 339; SOLOVJEV C. M., *Istoriја Rossiји s drevniejšich vremen*, S. Peterburg, (ed. II.), p. 302.

(1) PSRL, t. X (*Nikonivska III*), p. 192; FIJALEK J., *o. c.*, (a. X), p. 499.

(2) HRUŠEVSKYJ M., *o. c.*, t. V, p. 386.

(3) MIKLOSICH F. - MULLER J., *o. c.*, t. I, p. 350-352; RIB, t. VI, app. col. 11; HRUŠEVSKYJ M., *o. c.*, t. V, p. 386; - Hac de re notitias non claras obscurasque in documentis patriarchalibus invenimus. Cfr. MIKLOSICH F. - MULLER J., *o. c.*, t. I, p. 350-352; PSRL, t. X (*Nikonivska II*), p. 222.

(4) Documenta vero Patriarchalia posteriori tempore scripta sunt, ideoque intentio scriptoris erat, ut Theodoretum quammaxime vituperaret, quia hic « Metropolita totius Rusy », vivente Theognosto, ut in eis enarratur, esse voluit. Cfr. MAKARIJ, *o. c.*, t. IV, p. 30-31; GOLUBINSKIJ E., *Istor. Rus. Tser.*, t. II, p. 178-181; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 386-387.

(5) Inter hos Episcopus Novhorodensis, qui cum Metropolita Theognosto in pace non vivebat, inveniebatur. Cfr. HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 387.

(6) PSRL, t. VII (*Voskresenska*), p. 217; t. VIII (*Voskresenska*), p. 27; t. X (*Nikonovska VIII*), p. 226; *Stepenaja Kniga* p. 450; RIB t. VI n. 9, col. 43. n. 10, col. 51; MIKLOSICH F. - MULLER J., t. I, p. 337, 347-348; *P. G.* t. 149, col. 458.

(7) GREGORA N., *o. c.*, t. III, p. 518; - Nicephorus Gregora in suo opere, sanctitatem, scientiam decorumque Romani laudibus honoribusque exornat. IBIDEM.

(8) HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 387; TYCHOMIROV N., *o. c.*, p. 95; MIKLOSICH F. - MULLER J., *o. c.*, t. II, pp. 12, 13; RIB, t. VI, n. 15, col. 93, n. 30, col. 167.

non sine pecunia, decidenda erat (9). Postremo Alexius victoriam reportavit, quod maiore pecuniae copia explicatur (10). Romanus Kioviam reversus, ab incolis dictae civitatis exceptus non fuit (11), cum ibi Metropolita Theodoretus residebat. Alexius vero Moscam reversus est (12). Haudquaquam dubitare licet, quod ab initio utrique a Patriarcha Philoteo stricte canonica territorii designatio data fuit, quia uterque tamquam Metropolita « Kioviensis totiusque Rusy » se gerebat (13). Tali modo pro Metropolia Kioviensi tres Metropolitae eiusdemque tituli instituti sunt (14). Post mortem autem Theodoreti fideles Kiovienses aequo modo reliquos Metropolitas accipiebant (15).

Tales circumstantiae utrique Metropolitae non erant admissibiles; proinde anno 1355, Constantinopoli regimine totaliter mutato (16), Romanus Byzantium profectus est, ut iura sua in Metropolitam Kioviensem probaret, Alexium vero de Sede metropolitana detruderet (17). Cum simili intentione etiam Alexius Constantinopolim venit (18).

Neque Constantinopoli certamen hoc de summa in tota Europa orientali dignitate cessavit. Quare in Synodo Patriarchali Alexius Metropolita « Kioviensis totiusque Rusy », Romanus vero « Lithuaniae et parvae Rusy », nominati sunt (19). At Romanus, reiecto decreto, insalutatoque Patriarcha domum re-

(9) In adnotatione Tvercensi habetur notitia, quod ad Episcopum huius civitatis Theodorum legationes utriusque contendentes pro collectione pecuniae venerunt. Cfr. PSRL, t. X. (*Nikonivska*), p. 204.

(10) TYCHOMIROV N., o. e., p. 99; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 389.

(11) HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 389.

(12) PSRL, t. X (*Nikonivska*), p. 227; t. VII (*Voskresenska*), p. 9.

(13) In pluribus Annalibus notatur, quod hanc ob causam in toto territorio « Rusy » confusio maxima viguit, quia Constantinopoli Patriarcha duos eiusdemque tituli Metropolitas nominavit. Cfr. PSRL, t. X (*Nikonivska*), p. 227; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 388-389.

(14) De modo agendi Theodoreti et Romani, Cfr. RIB, t. VI, n. 12, col. 68; n. 13, col. 73-74; TYCHOMIROV N., o. e., p. 101.

(15) MIKLOSICH F. - MULLER J., o. e., t. II, p. 12; RIB, t. VI, n. 30, col. 168; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 389; TYCHOMIROV N., o. e., p. 104.

(16) Anno 1355 Imperium loco imperatoris Ioannis Cantacuzeni Joannes Paleologus obtinuit, Patriarcham vero Philoteum Calistus substituit. Cfr. TYCHOMIROV N., o. e., p. 101.

(17) IBIDEM.

(18) Hac de re duae relationes, sibi contrariae, dantur. In decreto patriarchali de anno 1361 Romanum post consecrationem Alexii in « Metropolitam Kioviensem totiusque Rusy » Constantinopolim advenisse asseritur (Cfr. MIKLOSICH F. - MULLER J., t. I, p. 425). In opere autem Nicephori Gregorae Alexium post consecrationem Romani in Metropolitam advenisse asseritur. Cfr. GREGORAS N., o. e., t. III, p. 519.

(19) In Synodo dictum est, quod ab initio Romanus in Metropoliam Lithuaniae institutus fuit et solummodo ob benevolentiam Imperatoris ac pacis gratia Synodus

diit, Metropolitam « Kioviensem totiusque Rusy » se declaravit, qua in re principis Olgerd patrociniū obtinuit. Territoriis Olgerdi, ubi iurisdictionem metropolitanam exercebat, non contentus (20), omnibus mediis iurisdictionem suam extendere contendebat, qua de re ab Alexio apud Patriarcham accusatus fuit. Pro iustificatione sui Legatos Constantinopolim misit (21). Patriarcha, finem huic certamini imponere volens, Legationem propriam, ut in loco quaestionem solveret in Rus'-Ucrainam anno 1361 misit. Attamen Romanus eodem vel sequenti anno ad coelestia migravit (22). Ut videtur, Olgerdus consilio proprium Metropolitam habendi non resignavit; sed Alexius non solum propriam dignitatem retinere valuit, sed etiam Lithuaniam in suam iurisdictionem obtinuit. Imo, Patriarcha Philoteus (23) decretum, ne in posterum distincti Metropolitanae tam Lithuani quam Halicienses haberentur, edidit, quod tamen decretum, forsitam propter Principis Olgerd instantiam, mox revocavit (24).

De activitate Metropolitanae Kioviensis Romani in Metropolia Kioviensi sat bene nos edocent fontes. De eius autem activitate in Eparchiis Haliciae et Volodymyriae, quae virtute decreti Synodi Patriarchalis ipsi subditae erant, praeter hanc earum subiectionem nihil scimus (25). Sine dubio Episcopi harum Eparchiarum decisionem Synodi acceperunt; alias Romanus nec vires, nec tempus, nec possibilitatem cum Alexio contendendi habuisset.

Halicia anno 1340 occupata, rex Poloniae Casimirus subsequenti anno iuramentum emisit iura Ecclesiae Ucrainae conservandi. Ideo rebus ecclesiasticis non sese immiscebat, proinde decreto Synodi Patriarchalis ex anno 1355 nullomodo obstitit, quo Eparchiae Metropoliae Haliciensis Lithuaniensi Metropoliae adiungebantur. Ast dum princeps lithuanus Olgerd totam Rus'-Ucrainam occupandi in animum induxit, Casimirus unitatem ecclesiasticam Haliciae cum Lithuania scindere restaurationemque Metropoliae Haliciensis, tempore opportuno, obtinere studuit.

adiunxit ei etiam Eparchias « parvae Rusy », id est: Haliciensem, Peremyssensem, Cholmensensem, Luceoriensem et Volodymyriensem. Cfr. MIKLOSICH F. - MULLER J., t. I, p. 362; BARSOV T., o. c., p. 395; GELZER H., *Beiträge ...*, t. XIII, p. 272, PELESZ J., o. c., t. I, p. 339; SOLOVJEV C. M., o. c., t. IV, p. 302; MAKARIJ, o. c., t. IV, p. 45-46; EVGENIJ, o. c., p. 88.

(20) TYCHOMIROV N., o. c., p. 103; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr. - Rusy*, t. V, p. 388.

(21) HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 390; TYCHOMIROV N., o. c., p. 104.

(22) TYCHOMIROV N., o. c., p. 104.

(23) Philoteus die 8 Decembris 1364 iterum Sedem Patriarchalem obtinuit. Cfr. MIKLOSICH F. - MULLER J., o. c. t. I, p. 425-430; TYCHOMIROV N., o. c., p. 108; GOLUBINSKIJ E., o. c., t. II, p. 207; RIB, t. VI, n. 13, pp. 82, 84; n. 14, pp. 88, 90; n. 15, p. 94.

(24) MIKLOSICH F. - MULLER J., o. c., t. I, p. 448; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 390; TYCHOMIROV N., o. c., p. 108.

(25) TYCHOMIROV N., o. c., p. 105.

Plurimis tentaminibus vi armorum quaestiones politicas Poloniam et Lithuaniam inter solvendi praemissis, anno tandem 1366 inter utramque partem ob ius haereditatis Regni Haliciae et Volodymyriae acriter dimicatum est, arri-dente fortuna Casimiro (26). Quasi unicus Dominus Regni Haliciae et Volo-dymyriae factus, ecclesiasticam independentiam, a quocumque extraneo Me-tropolita, quam antecessores eius, reges Haliciae et Volodymyriae, iam prius exigebant atque obtinebant, a Patriarcha Constantinopolitano postulavit. Adiuncta temporis Casimiro quammaxime favebant. Sedes nempe Metropolita Lithuaniae inde ab anno 1362 vacabat cuiusque administrationem Metro-polita Moscoviensis Alexius accepit. Qui, Moscoviae residens, administra-tionem Lithuanae Metropolitae negligebat. Hac occasione arrepta, Rex comitia primorum virorum Haliciae convocavit, in quibus Episcopus Haliciae Antonius (27) ad metropolitanam dignitatem electus, Constantinopolim mittitur, ut a Pa-triarcha Philoteo in Metropolitam Haliciensem confirmaretur (28). Hanc suam postulationem Casimirus tam Clero latini ritus, quam Gregorio PP. XI, Aven-nionis residenti, dissimulavit.

Antonius, litteris regiis munitus, ad Constantinopolitanum Patriarcham profectus est. In dictis litteris Casimirus, postquam debitam salutationem Patriarchae reddidit, statim clare rem illustrat approbationemque in Metro-politam Haliciensis Episcopi Antonii, ab ipso proceribusque electi, exigebat. Metropolia Haliciensis « nulla novitas est », prosequabatur Rex, quum ab « an-tiquitate » Halicia hoc titulo gloriabatur, quod enumeratione Metropolitanarum Haliciensium comprobare conatur. In fine suae postulationis graviora pro-tulit verba: - Si Antonius in Metropolitam Haliciensem a Patriarcha non confirmaretur, Casimirus suos subditos in ritu latino baptizare iubebit, quia in Rus'-Ucraina Metropolita deest, territorium autem absque Metropolita esse non potest (29).

Ideo Patriarcha, ne Metropoliam Haliciensem amitteret, minis Casimiri per-territus, Antonium in Metropolitam Haliciensem confirmavit (30).

(26) ANDRIAŠEV A. M., *Očerki Istoriji Volynskoj zemli do konca XIV stolitija*, Kio-via 1887, p. 218; ŠARANEVYČ I., *Ist. Hal.-Vol. Rusy*, p. 192-195; TYCHOMIROV N., o. c., p. 109.

(27) Quod Antonius Episcopus Haliciensis fuit, textus decreti Patriarchalis de anno 1371 indicat: « προσβιβάζθη καὶ ἐγένετο οὗτος ἐξ ἐπισκόπου μητροπολίτης τῆς τοιαύτης μητροπόλεως ». HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 391, n. 1; FIJALEK J., o. c., (a. XI.), p. 31.

(28) Ut videtur, instantia Casimiri petitionibus procerum Haliciensium satis facie-bat. Cfr. HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 391; MIKLOSICH F. - MULLER J., o. c., t. I, p. 577-580; FIJALEK J., o. c., p. 27-28.

(29) MIKLOSICH F. - MULLER J., o. c., t. I, pp. 578-582; RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 15-16; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 392.

(30) RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 16; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 392.

Minae Casimiri non sine fundamento in re erant, nam fides catholica in ritu latino semper longius latiusque in territorio Regni Haliciae et Volodymyriae sese extendebat. Etiamsi Casimirus nulla vi latinum ritum propagare conabatur, tamen eiusdem propagationi favebat, creando parochias, adiuvando missionarios necnon prima fundamenta Cathedrae Leopoliensi ponendo. De his omnibus Patriarcha ab Antonio edoctus fuit, qui de instantiis Curiae Avenionensis pro expulsionem dissidentium Episcoporum e suis Cathedralis optimas habuit notitias (31).

Patriarcha periculosum statum Ecclesiae Haliciensis bene intelligens, facto examine Nominati, anno 1371 in Synodo Patriarchali Antonium in Metropolitam elevavit (32) ac sedes suffraganeas ei attribuit (33). Cum quaedam Eparchiae vacarent, statutum est, ut eas in temporalem administrationem acciperet deindeque pro unaquaque Pastorem procuraret.

Metropolita Haliciam reversus, inter vivos Regem Casimirum non iam invenit (34); gubernationem Haliciae vero cognatus Casimiri, rex Hungariae, Ludovicus accepit, cuius nomine Vladislaus Opolski rexit (35). Iam primis diebus Metropolita sibi persuasum habuit, quod novi Domini Haliciae versus Ecclesiam Ucrainae hostiliter sese gerebant. Animo intrepido et zelo indefesso Metropolita Antonius statim canonicam visitationem Eparchiarum suscepit, decursu cuius tam presbyteros quam episcopos consecravit, et simul benevolentiam apud Vladislaum consequi contendebat, saepe saepius in Aula Prin-

(31) Ex relationibus missionariorum in Curia Romana (Avenionensi) haec sententia elaborata fuit: - omnes Eparchiae dissidentium tamquam vacantes considerari debent, quia ipsae quondam tempore catholicae erant et per schisma omne ius amiserunt. Inde Rex in conscientia obligabatur, ut in omnes Cathedralis Episcopos catholicos nominaret. Sic enim Gregorius PP. XI. ad Episcopum Cracoviensem scribebat: « ... mandamus, ... quatenus omnes et singulos Episcopos predictae terrae Russiae, quos per summariam informationem schismaticos esse reperimus, ab eorum ecclesiis et episcopatibus auctoritate apostolica prorsus amoveas atque prives ». WELYKYJ A., *Documenta*, vol. I, p. 92; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 427-430; RUĐOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 16.

(32) MIKLOSICH F. - MULLER J., *o. c.*, t. I, p. 577-580.

(33) Omnes Eparchiae, quae ante annum 1347 ad Metropolitam Haliciensem, praeter Luceoriensem, quae ad Lubartum territorialiter pertinebat, enumerantur, nempe Peremyslensis, Cholmensis, Volodymyriensis et Turoviensis. Cfr. MIKLOSICH F. - MULLER J., *o. c.*, t. I, p. 578-580; RUĐOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 16; TYCHOMIROV N., *o. c.* p. 114; BARSOV T. p. 385-386; FIJALEK J., *o. c.*, p. 34.

(34) Rex Poloniae Casimirus die 5 Novembris 1370 mortuus est. Cfr. RUĐOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 17; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr. - Rusy* t. V, p. 426; ZUBRYCKYJ D., *Anonim Hneznenskyj i Joann Dlugos*, Leopoli 1855, p. 88.

(35) Vladislaus Opolski princeps Silesiae ac consanguineus Ludovici, nomine ultimi Haliciam gubernabat. Cfr. TYCHOMIROV N., *o. c.*, p. 117; HRUŠEVSKYJ M. *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 427.

cipis morando; anno 1375 Antonius, ex. gratia, cum proceribus ucrainis ut testis in quodam documento, in Horodok prope Leopolum extradito, nominatur (36). Attamen et hac vice Metropolia Haliciensis difficulter suam existentiam servare potuit.

Anno subsequenti (19. VIII. 1372) Gregorius PP. XI suum moerorem ob possessionem Eparchiarum Haliciensium ex parte dissidentium, in litteris ad Episcopum Cracoviensem, expressit (37) simulque ordinavit, ne amplius Ecclesia dissidentium evolvatur ac si, forsitan, in Cathedris quidam dissidentes Episcopi tamquam reprobi et indigni invenirentur, ut amoveantur ac horum loco Episcopi catholici instituantur. Ecclesia vero Haliciensis latini ritus a Gregorio PP. XI in Archiepiscopalem seu Metropolitanam erecta fuit (38).

Metropolita Kioviensis Alexius fortius adhuc contra erectionem Metropoliae Haliciensis exsurrexit. Brevi post erectionem Metropoliae Haliciensis Patriarcha Metropolitanam Alexium de peractis a se edocuit, sese vero pressionibus Casimiri negligentiaque Alexii in suis Metropolitanis obligationibus, ob quas Ecclesia Haliciae extinguebatur et Patriarcha eam ab inevitabili ruina salvare debuit, iustificare conatus est (39).

Conamina Casimiri de restauratione Metropoliae Haliciensis verosimiliter principem Olgerd excitarunt, ut distinctum a Moscoviensi Metropolitanam quaerere coepit. In litteris ad Patriarcham simul cum Tvercensibus principibus datis, Alexium de negligentia pastoralis ac de politica partialitate, Magno Duci Moscoviensi favente, accusabat et pro suo suorumque foederatorum territorio a Patriarcha proprium Metropolitanam postulavit (40). Pro solutione quaestionis Patriarcha suos Legatos, quibus Cyprianus praesidebat, in Lithuaniam

(36) FIJALEK J., *o. c.*, (a. XI.) p. 33; RUĐOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 17.

(37) In eis legimus enim: « Sane nuper ad nostrum non sine mentis turbatione pervenit auditum, quod in terra Russiae quamplures Episcopi schismatici fore noscuntur ». WELYKYJ A., *Documenta ...*, vol. I, n. 54, p. 92; Cfr. RUĐOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 17.

(38) Postquam Ecclesiam latini ritus ab Ecclesia Lubucensi eiusque Episcopo exemit, auctoritatem istius amovens « ecclesiam Haliciensem in Archiepiscopalem seu Metropolitanam erigimus, statuentes, quod eodem Primisiensis, Laudimiriensis, et Chelmensis ecclesiae dicte Halicziensi Metropolitanane ecclesiae sint perpetuo suffraganeae et Metropolitanico iure subiectae, privilegiis, indultis, constitutionibus et consuetudinibus contrariis non obstantibus quibuscumque ». WELYKYJ A., *Documenta ...*, vol. I, n. 58, p. 96.

(39) MIKLOSICH F. - MULLER J., *o. c.*, t. I, p. 578-582; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 392; RUĐOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 17.

(40) MIKLOSICH F. - MULLER J., *o. c.*, t. I, p. 580; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 392.

misit. Legatio hieme anno 1373/4 veniens, brevi contra Alexium plurima collegit adeo, ut Philoteus Alexium ulterius sustinere opportunum non censuit. Minis vero principis Olgerd accipiendi Metropolitam latinum perterritus Philoteus exeunte anno 1375 Cyprianum in Metropolitam instituit, assignando ei pro nunc solummodo Eparchias Lithuaniae, usque dum accusationes Alexio factae probarentur, secus solummodo post mortem Alexii etiam Eparchiae Moscovienses ei assignarentur (41). Cyprianus vero omnia tentavit, ut titulum Metropolitae « Kioviensis totiusque Rusy » obtineret, missa etiam Legatione Moscoviam, sed tantummodo post annum 1380 tamquam legitimus Metropolita a moscovitis agnitus fuit.

Post peractam unionem Metropolitae Lithuaniensis cum Kioviensi, Cyprianus totam suam attentionem in subiectionem sibi Metropolitae Haliciensis convertit, et vivente adhuc Antonio Haliciensi, iurisdictionem suam in Eparchias Halicienses extendere coepit, etiamsi in decreto Patriarchali Metropolita « Lithuaniae et parvae Russiae » nominabatur (42). Quoniam Eparchiae nominae « parvae Russiae » intelligebantur, difficile est dictu; probabiliter agitur de Eparchiis Volyniae (43), quia Eparchiae Haliciae semper adhuc, ut videbimus, a Patriarcha tamquam distinctae, seu Metropoliam Haliciensem componentes considerabantur (44). Dum Metropolita Haliciensis gravi correptus fuit morbo, Patriarcha temporalem administrationem Metropolitae, in casu mortis Antonii, Exarchae moldaviensi Symeoni (45) commisit.

Ad meliorem intelligentiam eventuum ecclesiasticorum temporum, quae sequuntur, quaedam etiam de circumstantiis politicis huius territorii dicenda veniunt.

(41) HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 393.

(42) RIB, t. VI, n. 30, col. 167.

(43) Post mortem Casimiri principes Lithuaniae terras Volyniae sibi subiectas fecerunt, quae antea Regno Haliciae et Volodymyriae, alias « parvae Russiae » incorporabantur. Cum Cyprianus ex voluntate principum Lithuaniae in Metropolitam institutus fuit simulque Eparchiae in « parva Russia » a Lithuanis recuperatae ipsi subdebantur, unde nihil mirum si Cyprianus Metropolita « Lithuaniae et parvae Russiae » vocatur. Altera vero pars Eparchiarum (Haliciensis, Peremyslensis, Cholmensis) Regno Poloniae subdebatur, ubi Metropolita Antonius residebat. Cfr. HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. I, p. 394.

(44) Dum Cyprianus Patriarchae Constantinopolitano relationem de consecratione Episcopi (a. 1396), probabiliter Peremyslensis, dedit, in responsionem obiurgationem ob intrusionem in ius alterius accepit. Cfr. PELESZ J., *o. c.*, t. I, pp. 356, 357; RUDOVYČ J., *Ist. Hal. Lviv. Epar.*, p. 20, 21; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 395; MIKLOSICH F. - MULLER J., *o. c.*, t. II, p. 282.

(45) Ad Metropoliam Haliciensem etiam fideles Moldaviae, a Vicario Metropolitano gubernati, pertinebant. Ultimis Antonii annis monachus Simeon in Moldavia munere Vicarii Metropolitani fungebatur. Ipsi vero, post mortem Antonii, Patriarcha gubernationem totius Metropolitae commisit usquedum novus Haliciensis Metropolita

Post mortem Casimiri, Halicia a rege Hungariae Ludovico dependebat (46), qui tamen iam anno 1382 e vivis sublatus est, relictis duabus filiabus, Maria (47) et Jadviga, quae ipsi successerunt, prima in regno Hungariae, secunda vero a magnatibus polonicis in reginam eorum electa fuit. Per matrimonium Jadvigae cum Jagello, filio Olgerdi (a. 1386), antiqua dissidia Poloniam et Lithuaniam inter pacifice composita sunt. Halicia autem, quodam tempore, a Maria, Hungariae Regina, pendebat; ast anno 1387 cives Haliciae, sua sponte, regimini Jadvigae, eo ipso et viro eiusdem Jagello, sese subiecerunt (48).

In his circumstantiis, Metropolita Haliciensis, expletis in dignitate metropolitana annis viginti, (49) ad coelestia migravit, anno 1391 vel 1392. Jagello, alium Metropolitam habere volens, Episcopum Luceoriensem Ioannem (50) ad hanc dignitatem nominavit, qui anno sequenti (1393) litteris Regis munitus Constantinopolim se contulit, ut institutionem in Metropolitam obtineret. Sed Patriarcha, a Metropolita Kioviensi Cypriano sinistre informatus, Joanni confirmationem negavit, imo, eum ad suum Tribunal vocavit.

De accusationibus Cypriani contra Ioannem nihil certi scimus; fortasse, agitur de quadam controversia inter Ioannem et Episcopum Volodymyriensem, qui ad Tribunal Cypriani recursum fecit (51). In insulam Phoros Ioannes se contulit, unde causam suam in Curia Patriarchali agebat, nixus regia nominatione ad Sedem Haliciensem, confirmationem postulabat (52).

Frustra etiam, ex Commissione patriarchali, Cyprianus Ioannem de cathedra Luceoriensi deposuit et novum Episcopum, Theodorum, in ea constituit, nam cathedra metropolitana Haliciensi Ioannem privare non potuit, qui a Rege protectus, et in posterum in eius mansit possessione (53). Anno 1394, Patriarcha Archiepiscopum Bethleensem Michaellem ac aulicum imperialem

institueretur. Cfr. MIKLOSICH F. - MULLER J., *o. c.*, t. II, p. 158; RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 19; TYCHOMIROV N., *o. c.*, p. 122; FIJALEK J., *o. c.*, (a. XI) p. 38.

(46) Ipse tamen Hungariae residebat et regimen Regni Poloniae matri suae tradidit, Haliciam vero eius consanguineus, Vladislaus Opolski, nomine Regis Hungariae administrabat, a quo tamen anno 1377-1379 Ludovicus hanc dignitatem ademit et ipse Haliciam gubernare coepit. Cfr. ZUBRYCKYJ D., *Anonim...*, p. 88.

(47) Maria, uxor Sigismundi Brandenburgensis, post mortem patris in Regno successit. Cfr. TYCHOMIROV N., *o. c.*, p. 124.

(48) IBIDEM.

(49) Tempore viginti annorum hanc Cathedram obtinebat.

(50) Eparchia Luceoriensis tunc temporis in dominio principis lithuani Vytovt erat, ideo nominatio Ioannis in Metropolitam Haliciensem cum consensu utriusque Domini fieri debuit. Cfr. FIJALEK J., (a. XI) p. 38-39; TYCHOMIROV N., *o. c.*, p. 124.

(51) RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 19.

(52) MIKLOSICH F. - MULLER J., *o. c.*, t. II, p. 180; GOLUBINSKIJ E., *o. c.*, t. II, p. 343; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 396.

(53) RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 20; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 396; FIJALEK J., *o. c.*, (a. XI) p. 39.

Alexium Aron Haliciam misit. Legatio haec prima vice repulsam passa tum a Rege tum a Ioanne, instantiam suam alia vice iteravit hac conditione, ut Rex Michaellem tamquam Exarcham acciperet, Ioannem vero ad Tribunal Cypriani mitteret, ubi si iustificetur, a Patriarcha in Metropolitam institueretur; secus Rex alium nominare vel candidatum Patriarchae accipere debebit (54).

Hac eadem via Patriarcha litteras ad Cyprianum dedit obiurgationis ob violationem iuris tertii, per consecrationem Episcopi Peremysliensis; intentio enim Patriarchae est Metropoliam Haliciensem conservare, non suppressere (55).

Ioannes, in sua controversia cum patriarchali Exarcha victor, Cypriano succumbere debuit, a Rege traditus, qui promissionibus Cypriani fidem praestitit de professione catholicae fidei. Anno 1401 Rex Ioannem Cypriano tradidit, qui eum dignitate episcopali privavit ac in Moscoviensi monasterio includit (56). Inde ab anno 1401 Cyprianus Metropolita totius Rus' Ucrainae, Lithuaniae, necnon Moscoviae cum titulo « Metropolitanus Kioviensis, Haliciensis totiusque Russiae » nominatur et est, (57), sed ad annum 1406 tantummodo, quo anno obiit (57).

Ulterior vero sors Ioannis incerta manet; adest quaedam notitia, secundum quam Ioannes, post mortem Cypriani, Ucrainam reversus est (58), sed utrum cathedram Haliciensem denuo obtinuit, non constat. At certe iam scimus, eum anno 1412 Cathedram hanc tenere non potuisse, quia hoc anno successor Cypriani Photius Haliciam visitavit et anno subsequenti Eparchia Haliciensis a Vicario metropolitano, Ignatio Krechovyč administrabatur (59).

(54) RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 20-21.

(55) MIKLOSICH F. - MULLER J., *o. c.*, t. II, p. 282; FIJALEK J., *o. c.*, (a. XI) p. 40: - Haec expressio Patriarchae, quod ipse Metropoliam Haliciensem conservare vult, indicat etiam, quod sub nomine « parvae Russiae » solum Eparchiae in Lithuania positae intelligebantur.

(56) KARAMZIN N. M., *Istoriya gosudarstva rossijskavo*, S. Peterburg 1842, t. V, p. 134, n. 232; FIJALEK J., *o. c.*, (a. XI) p. 42-43.

(57) TYCHOMIROV N., *o. c.*, p. 142.

(58) In Cronicis Novhorodensibus (PSRL, t. III, *Novhorodska III*, p. 223) invenitur mentio de Ioanne, qui in electione Metropolitae Gregorii Tsamvlat (Synodus Novhorodensis 1415) praesens fuit. Alia Chronica hanc adnotationem non habent, idcirco auctores inde ab Antonio Petruševyč (Cfr. PETRUŠEVYČ A., *Hal. ist. sbor.*, P. II, p. 180-181), usque ad Ioannem FIJALEK (*o. c.*, p. 43) et A. LEVICKYJ in sua « *Sprava unii kosczielnej za Jagelly* » (in « *Kvartalnik historyczny* », 1897), p. 329-330, authenticitatem memoratae notitiae reiciunt eo vel magis, quod anno 1413 Haliciae Vicarius Metropolitanus inveniebatur. Hruševskyj vero in suo opere (t. V, p. 397. n. 1) eam reicit, cum praesentia nominati Vicarii non obstat; imo, dictus Ignatius Krechovyč Vicarius Metropolitae Haliciensis et quidem Ioannis esse potuit.

(59) RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 22.

Hoc modo Metropolia Haliciensis, initio saec. XIV, ob circumstantias politicas et exigentias ecclesiasticas exorta, per unum fere saeculum obiectum principale luctarum, dissidiorum et controversiarum inter reges, principes, patriarchas et metropolitam exstitit, donec ob solam canonice non provisam sedem, in suo esse sat difficili cessavit.

ART. 4. — DE SORTE TERRITORII METROPOLIAE HALICIENSIS.

Obstaculis erectionis et restorationis Metropoliae Haliciensis plusminusve visis, in hoc articulo de sorte territorii, inde ab anno 1401, ad Metropoliam Haliciensem pertinentis et praesertim de Eparchia Haliciensi, necnon de Vicariis Metropolitaram Kioviensium, indagare sibi proposuimus.

Rex Poloniae, Lithuaniae et Haliciae Jagello, post inanes conatus Ecclesiam dissidentium ad gremium Ecclesiae Catholicae perducendi, non solum de novo Metropolita Haliciensi, sed etiam de institutione Episcopi pro Haliciensi Eparchia minime sane curavit (1.)

Sic etiam Metropolita Kioviensis Photius Episcopum in Haliciensem cathedram instituere noluit, quia timebat ne institutione Episcopi Haliciensis conatus restorationis Metropoliae Haliciensis reviviscant (2). Ipse Metropolita per Vicarium Haliciensem Eparchiam administrare ac proventus ex bonis eiusdem Eparchiae percipere voluit (3). Hae et similes rationes institutionis Vicarii metropolitani, anno 1413, pro Eparchia Haliciensi in persona Ignatii Krechovyč in causa erant. Haliciae autem usque ad annum 1414 (4) cathedra Archiepiscopi latini ritus aderat et cum tam Rex quam Archiepiscopus noluissent, ut Vicarius metropolitani Haliciae commoraretur, Ignatius Krechovyč in monasterio Krylosensi prope Haliciam residebat (5). Solummodo sub fine saec. XV Vicarii metropolitani Leopolim, ad monasterium S. Georgii, sedem suam transtulerunt (6).

(1) RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 22; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 431.

(2) HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 432; RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 22; TYCHOMIROV N., *o. c.*, p. 154.

(3) RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 22.

(4) Archiepiscopus de facto Leopoli residebat ibique de translatione Cathedrae e Halicia Leopolim occupatus erat. Anno 1412 Ioannes PP. XXIII Cathedram latinae Metropoliae ex Halicia Leopolim transtulit, sed Archiepiscopus Ioannes Rzeszowski ingressum suum Leopolim anno tantummodo 1414 fecit. Cfr. WELYKYJ A., *Documenta...*, vol. I, n. 61, p. 101-103; SARANEVYČ I., *Ist. Hal.-Vol. Rusy*, p. 312.

(5) RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 22.

(6) RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 23.

Antequam Vicarius a Metropolita, Rege consentiente, constitueretur, Metropolita diplomata et potestatem spiritualem, Rex vero nominationem Vicario dederunt. Anno 1509 Archiepiscopus Leopoliensis latinus ius nominandi atque instituendi Vicarium metropolitanum a Rege Poloniae, Sigismundo I, sibi procuravit (7).

Vicarius metropolitanus sat magnam et amplam potestatem habuit, quod ex posterioribus, quippe cum anteriora deperdita fuerunt, diplomatibus Metropolitanarum et litteris regiis constat (8). Agitur de plena potestate in presbyteros et fideles: ecclesias consecrandi, ordinandos examinandi, nomine Metropolitanae litteras dimissorias conficiendi et ordinandos pro Sacramenti Ordinis susceptione ad quemcumque propinquum Episcopum mittendi. In relatione ad ecclesiasticos et fideles Vicarii in omnibus vices Metropolitanae gerebant, qua de causa tempore nominationis Vicarii Metropolita ad omnes principes, proceres, Archimandritas, Protopresbyteros, Superiores, presbyteros, diaconos et Christi fideles litteras dirigebat et advocabat eos, ut Vicarium honoribus afficiant, ei obediant ac nulla in re ius eius laedant neve ipsum offendant (9).

De Ignatio Krechovyč, ut primo Vicario Eparchiae Haliciensis, eiusque propinquieribus successoribus ob penuriam fontium, praeter factum existentiae eorum, nihil scimus. Nequidem de ipso Ignatio quo tempore sua dignitate pollebat dici potest, neque nobis notum est, utrum anno 1415, quo princeps Lithuaniae Vitoldus Metropolitanae Kioviensi Photio Eparchias in proprio territorio sitas ademit, in dictis Eparchiis etiam Vicarium iurisdictione privavit (10).

Eodem anno, Novhorodecii, Synodus convocata fuit, in qua Episcopi Lithuaniae et Haliciae (11) in Metropolitam, faventem Unioni, Gregorium Tsamvlak (12) elegerunt et Eparchias Halicienses iterum Metropolitanae Kievo-

(7) TURGENEV A. I., *Supplementum ad Historica Russiae Monumenta*, Petropoli 1848, n. 50. HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 432.

(8) HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 432.

(9) EVGENIJ (Bolkhovitinov), *Opisanije Kijevosofijskago sobora i Kijevskoj jerarchiji*, Kiovia 1825, app., p. 37, 38.

(10) Photius neque ingenio neque studio pastoralis suo praedecessori par erat. Natione graecus, Patriarchae Imperatorique deditus erat; unioni ecclesiasticae obstabat, nec non rerum temporalium cupidine laborabat. Occidentales Eparchias visitare omittebat, nisi casus collectionis pecuniae excipias, quas Constantinopolim vel Moscam exportabat. Inde Magnus Dux Lithuaniae, Vitoldus, Eparchias sui territorii ipsi subtraxit. EVGENIJ, o. c., p. 100; RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 23.

(11) HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 401-402; RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 23-24.

(12) HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 400-402.

Lithuano subiecerunt, quas Gregorius usque ad suam mortem anno 1419 (13) in sua tenuit iurisdictione. Pace cum Magno Duce Vitoldo inita, Photius statim Eparchias sibi antea subtractas administrare coepit. Anno iam 1420 Metropoliam Haliciensem visitavit eiusque Eparchias usque ad suam mortem (a. 1431) iure metropolitano administrabat (14). Successor eius, Gerasimus, magnus fautor ecclesiasticæ Unionis in Rus' - Ucraina (15), probabiliter, ob penuriam temporis Haliciam ne una vice visitavit, maxima ex parte in Lithuania, apud Magnum Ducem Svidrigajlo commorando. Hic, ob suspicionem conspirationis contra Ducem venit, qua de causa die 26 Iulii 1435, Vitebsci, ad mortem in igne condemnatus fuit (16).

Post mortem Gerasimi Ionas, a Moscoviensi Duce in Metropolitam nominatus (17), novum iter Constantinopolim arripuit, sed et hac vice nihil profecit, nam Constantinopoli dignitatem Metropolitæ Kioviensis anno 1436 Isidorus obtinuit (18). Patriarcha enim Constantinopolitanus, Iosephus III (1416-1439), magnus fautor unionis cum Ecclesia Romana, in Kioviensi cathedra virum eiusdem sibi mentis habere voluit (19).

Anno 1437 Isidorus Moscoviam venit ibique brevi tempore commorans, legationem in Synodum Ferrarensem parabat. De eius itinere ad Concilium

(13) LEVICKI A., *Sprava uniji...*, p. 336; PROCHASKA A., *Dażenia do unii cerkiewnej za Jagielly*, in « *Przegląd powszechny* », Cracovia 1896, vol. 51, p. 58-59; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 402-403, n. 4.

(14) ŠARANEVYČ I., *Ist. Hal...*, p. 336; RUĐOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 24. HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 403.

(15) Ob defectum documentorum nihil certi de activitate Gerasimi pro Unione dici potest, attamen quod ipsa Unio quammaxime evoluta erat, litteræ Eugenii PP. IV illustrant, in quibus legimus: « Cum Venerabilis frater noster Gerasimus Ruthenorum Metropolitanus pro ordinis christiane fidei et nostris ac Romane Ecclesie negotiis ad presentiam nostram venire vel oratores suos mittere desideret, Nos in presens ipsos Metropolitanum sive oratores praesentes ostensores cum sociis et famulis suis usque ad numerum quadraginta ... et cum equis, armis, valisiis, arnesis et bonis et rebus aliis pro nostra et sedis apostolice reverentia benigne recomendatos habentes ... absque contradictione vel impedimento quocumque transire et morari libere permittatis ...; » WELYKYJ A., *Documenta ...*, vol. I, n. 64, p. 112.

(16) SMULKA., *Najdawniejsze pomniki dziejopisarstwa rusko-litewskiego*, in « *Pamiętnik Akad. umiejętności wydź. historyczny* », Cracovia, t. VIII, p. 18-19; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr. Rusy*, t. IV, (a. 1903), p. 187; t. V, p. 403-404.

(17) Ionas iam ante Gerasimum candidatus in Metropolitam Kioviensem fuit. Cfr. HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 404; TYCHOMIROV N., *o. c.*, p. 144; PELESZ J., *o. c.*, t. I, p. 365; AMMANN A. M., *o. c.*, p. 120..

(18) AMMANN A. M., *o. c.*, p. 121; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 404;

(19) AMMANN A. M., *o. c.*, p. 121.

Ferrarense, quod iter quasi per annum duravit, nota est nobis solum pertractatio cum Magno Duce Lithuaniae, Sigismundo Kejstutovyč (20), quae octo hebdomadis duravit (21). Postea iter per mare arripuit, legatio vero, cum permissu praedicti Ducis, per eiusdem territoria iter terrestre fecerat (22). Ob supra relata dissidia Isidorus legationem ex territoriis Ducis Sigismundi formare non valuit; attamen Moldaviensis legatio formata fuit, quae territoria Haliciae quoque repraesentare debuit (23). Isidorus cum sua legatione Unionem cum Ecclesia Romana in Concilio Florentino subscripsit. Cardinalitia dignitate insignitus (24) ac Legatus a latere « Lithuaniae, Lyvoniae et Russie provinciis, necnon civitatibus, terris et locis Lechie » (25) magnis cum facultatibus institutus, in Rus', praedicans Unionem, reversus est.

In Rus'-Ucrainam ac Moscoviam Isidorus reversus, primum in Eparchiis Haliciensibus quodam tempore commoratus est, ex his vero cumprimis Eparchiam Peremysliensem, quammaxime ad occidentem sitam, visitavit (26), eamque in deplorabili statu invenit. Sedes enim episcopalis (27) vacabat, ecclesia cathedralis a latinis inde ab anno 1412 (28) occupata, Clerus vero ab his ultimis oppressus erat. Isidorus in optimo ordine omnia disponere conabatur et maxima cum probabilitate asseverari potest, illum in ha civitate Unionem proclamasse ac in vacantem cathedram Episcopum Athanasium Drohojevskij instituisse (29).

Ex hac Eparchia iter Leopolim deinde Haliciam suscepit. Haliciens Eparchia in peioribus adhuc conditionibus versabatur, cum ipsa ab anno 1413 per Vicarium seu Vicesgerentem Metropolitae Kioviensis administrabatur, qui dignitate episcopali carebat. Supra ruinas eiusdem Eparchiae haud pauca

(20) Magnus Dux Lithuaniae, probabiliter, ratione Unionis Isidoro opponebatur. Cfr. BUČYNSKYJ B., *Studiji z istoriji tserkovnoji Uniji*, in « ZNTS », Leopoli 1908, t. 85, p. 22; HALECKI O., *W drodze na sobor florencki*, in « Oriens », Varsavia 1939, vol. VII, pp. 68, 69.

(21) BUČYNSKYJ B., *o. c.*, p. 22.

(22) Anno 1438 ineunte legatio iter arripuit. IBIDEM.

(23) Tempore administrationis Eparchiae Haliciensis a Vicariis metropolitanis candidati pro ordinatione ad Episcopos Moldaviae mittebantur, idcirco inter has provincias quaedam unio spiritualis vigeat, unde communis Legatio Moldaviae et Haliciae in Concilio Florentino explicari facile potest.

(24) THEINER A., *Vetera Monumenta Poloniae et Lithuaniae*, Romae 1861, t. II, n. 51, p. 41.

(25) WELYKYJ A., *Documenta ...*, vol. I, n. 66, p. 119-120.

(26) BUČYNSKYJ B., *o. c.*, p. 28; Cfr. AMMANN A. M., *o. c.*, p. 123-124.

(27) DOBRJANSKYJ A., *Istoriya Epyskopov trech sojedyenykh eparchij, Peremyslskoj, Samborskoj, i Sanockoj*, Leopoli 1893, p. 27-28.

(28) IBIDEM, p. 21-23 et n. 4.

(29) IBIDEM.

Hierarchia latini ritus invexit (30). Ut omnia ad ordinem duceret, Isidorus duobus mensibus in Eparchia permansit, ubi non tantum oppositionem disunitorum, verum etiam catholicorum invenit (31). Denique, mense Maio 1440, Leopoli et Haliciae Unionem proclamavit atque inde ad Cholmensem Eparchiam venit Unionemque proclamavit.

Dein Moscam iter arripuit, ubi tamen non acceptus, sed in carcerem detrusus est. Ex carcere aufuga, in territoria Lithuaniae et Haliciae, ubi decursu unius anni commoratus est (32) ac tamquam legitimus Metropolita ab Episcopis harum partium agnitus, sese contulit. Haec enim omnia denominatio Episcopi Cholmensis « unitus », quem Isidorus consecravit, et consecrationes tam Peremyslensis quam Volodymyriensis (33) Episcopi comprobare videntur.

Exeunte autem anno 1443 Metropolitam Isidorum Sienae, ubi Eugenius PP. IV commorabatur, invenimus. Sub fine mensis Augusti Metropolita Constantinopolim versus iter arripuit (34).

Cum incarceratione clandestinaque Isidori fuga iam pluries nominatus a nobis Ionas dignitatem metropolitanae obtinere studuit, quam revera obtinuit, attamen sine approbatione Patriarchae Constantinopolitani. In principio solas Eparchias, quae in dominio Magni Ducis Moscoviae Basilii erant administrabat, sed iam anno 1451 a Casimiro IV, rege Poloniae, formale decretum iurisdictionis in terras Ucrainae et Lithuaniae obtinuit (35), immo et Haliciensem Metropoliam sibi subiicere magno conamine moliebatur (36), sed a Vicario Isidori repulsam passus est (37).

Callistus PP. III, magis quam eius antecessor Nicolaus PP. V, de causa unionis in Rus' - Ucraina curabat; resignatione Isidori a dignitate Metropolitae Kioviensis accepta, ne Ecclesiam Haliciensem periculo schismatis ob influxum Moscoviae exponeret, de restauratione Metropolitae Haliciensis cogitabat. In primum Metropolitam catholicum pro Halicensi Metropolia Ma-

(30) IBIDEM; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, pp. 433, sq. 520 sq.

(31) AMMANN A. M., o. c., p. 123-124; BUČYNSKYJ B., o. c., p. 29, 32-33, 40; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 523, 526.

(32) BUČYNSKYJ B., o. c., p. 41; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 525.

(33) Anno vero 1447 nominatus Episcopus Volodymyriensis, Daniel, Constantino-poli episcopalem consecrationem ab Isidoro obtinuit. Cfr. BUČYNSKYJ B., o. c., p. 34; AMMANN A. M., o. c., p. 125.

(34) AMMANN A. M., o. c., p. 125; BUČYNSKYJ B., o. c., p. 39.

(35) RIB, t. VI, n. 67, col. 563-566.

(36) *Akty archeografičeskoj ekspedicii*, Petropoli 1836, t. I, n. 80; *Pamjatniki drevne-russkavo kanoničeskavo prava*, vol. I, in « RIB », t. VI, Petropoli 1908, n. 66; Cfr. PETRUŠEVYČ A., *Istoryčeskoje izvistiye o vremeny vedeniya chrystijanstva na halyckoj Rusy*, p. 12.

(37) RUĐOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 25.

carium « de Servia », monachum monasterii S. Cypriani constantinopolitani Ordinis S. Basilii elegit (38) ac ei plenariam curam Metropolitae Haliciensis tam in spiritualibus quam in temporalibus commisit (39). Macarius tamen Haliciam non pervenit, et in documentis historicis necnon in Bulla provisionis Metropolitae Kioviensis in persona Gregorii II, die 3 Septembris 1458, nulla mentio de eo habetur (40).

Alia ex parte notum est nobis, Macarium itinerantem ad suam Haliciensensem sedem, ob ignotas nobis causas, in regno Hungariae remansisse atque ibi, haud dubie, de Hungariae Regis permissione, initio in Transilvania dein in cetero Hungariae territorio in orientales iurisdictionem exercuisse (41a). Hanc ob causam ex parte latini cleri magnas habuit difficultates (41b). Attamen post a. 1470 de Macario ne in Hungaria quidem habetur notitia (41c).

Postquam vero Isidorus in favorem Gregorii II Metropolitae Kioviensi resignavit, Pius PP. II eam in persona Gregorii II providit (42), hoc modo opus Callisti PP. III ad felicem effectum perducendo (43), et Metropoliam Kioviensem in partem inferiorem et superiorem, seu ucrainam et moscoviensem exdividendo.

(38) In epistulis Calisti PP. III. legimus: « Cum itaque hodie de fratrum nostrorum consilio ecclesiam gallicensem, que ... olim ... archiepiscopatus Russie fuerat et quam venerabilis frater noster Isidorus episcopus Sabinensis in comendam obtinebat, *ex certis rationalibus causis* in cathedralem ecclesiam duxerimus auctoritate apostolica erigendam et commendandam huiusmodi, revocando nos ad provisionem ipsius ecclesie Gallicensis celerem et felicem *de qua nullus preter nos hac vice intromittere potuit sive potest*, ecclesiam ipsam ne longe vacationis subiaceat incommodis, paternis sollicitudinibus intendentes, ... eidem ecclesie personam utilem et eciam fructuosam ... monachum monasterii sancti Cipriani constantinopolitani Ordinis sancti Basilii (Macarium) ... preficimus in episcopum et pastorem ... »; WELYKYJ A., *Documenta* ..., vol. I, n. 78, p. 139.

(39) IBIDEM, p. 138-140.

(40) WELYKYJ A., *Documenta* ..., vol. I, n. 2, p. 145-147; - De activitate Gregorii II, Metropolitae Kioviensis catholici, videas: BUČYNSKYJ B., *o. c.*, t. 88, p. 1-22.

(41a.) BUNEA A., *Jerarchia Romanilor din Ardeal si Hungaria*, Blas 1904, p. 116-121; Cfr. PESTY F., *Szörenyi bñnság és Szoreny varmegye tortenete*, vol. I, Budapest 1878, p. 347, n. 3.

(41b) Cfr. BUNEA., *Jerarchia* ..., p. 116-121; - In « *Katholicus Szemle* », a. 1897, p. 46, invenies epistolam Macarii ad Pium II contra vexationes ex parte latini cleri, ab ERDUJHELYI publicatam.

(41c) BUNEA A., *Jerarchia* ..., p. 116-121; PETROV A., *Drevnejšia gramoty po istorii Karpatorusskoj Cerkvi i jerarchii 1391-1498*, Praga 1930, p. 160-161.

(42) WELYKYJ A., *Documenta* ..., vol. I, n. 82, p. 146; PELESZ J., *o. c.*, t. I, p. 471-473.

(43) « Cum itaque postmodum idem predecessor litteris apostolicis super provisione huiusmodi non confectis, sicut domino placuit, rebus fuerit humanis exemptus nos (Pius PP. II) ... volentes, quod a predecessore predicto actum extitit, plenum sortiatur effectum, ac sperantes, quod dicta Chievensis Lituania et Russie inferioris ecclesia una cum suffraganeis predictis sub tuo felici regimine, ..., regeretur utiliter ..., discretionis tue

Accepta consecratione a Patriarcha Gregorio Mammas (44), novus Metropolita Gregorius II ad cathedram sibi assignatam se contulit (45), et maxima ex parte in Lithuania, in civitatibus Vilnensi et Novhorodensi commorabatur. Saepe Kioviam se conferebat ac Eparchias Halicienses in sua cura habuit, quorum tamen regimen spirituale in manibus Vicarii manebat. Bona tamen Mensae Haliciensis, inde ab anno 1457 vel 1458, in manibus viri saecularis Romani Ostalovyč (46) inveniebantur, quae tamen, post longas lites (a.1470), Gregorius II Ecclesiae recuperavit (47), quae etiam ipse abhinc administrabat (48).

Gregorio II Metropolita vita functo Misaël Druckyj in dignitate hac successit (1474-1477), qui probabiliter Eparchias Halicienses nequidem una vice visitavit (49). In partibus enim Haliciae Vicarius seu Vicesgerens Metropolitae, Andreas Svistelnickyj, cui Rex monasterium Krylosense in commendam, pro augmento redditus administrationis (50), « in crastina exaltatione S. Crucis », anno 1475, dedit. Ex defectu fontium, de tempore eius administrationis nec non de eius successore nihil scimus. Secundum Annales successor eius Ioasaf, Archimandrita monasterii S. Georgii Leopoliensis, fuit, quo vita functo (a.1493), Athanasius, Archimandrita eiusdem monasterii, ei successit (51). Post vero huius ultimi mortem (a.1509) (52), Archiepiscopus Leopoliensis latini ritus, Bernardinus Wilczek, ius nominationis Vicarii sibi vindicabat, cui

per apostolica scripta mandamus, quatenus iugum Domini tuis impositum humeris ... suscipiens curam et administrationem predictas sic exercere studeas sollicitate ... »;
WELYKYJ A., *Documenta* ..., vol. I, n. 82, p. 146-147.

(44) AMMANN A. M., o. c., p. 134; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 407; PELESZ J., o. c., t. I, p. 471.

(45) RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 25.

(46) Dicto anno Haliciensis Eparchiae bona Rex in tutelam Praefecto Haliciae cum omnibus privilegiis, quas Metropolitae habebant, dedit. Iste autem die 28 Iunii 1458 Romano Ostalovyč cum omnibus iuribus ea cessit, qui usque ad annum 1470 ex his bonis fructus percipiebat. Cfr. RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 25.

(47) IBIDEM.

(48) « Gregorius II Metropolita anno 1458 Sede Kioviensi exul post dismembrationem Pianam Inferioris Russiae a Superiori penes illam (i. e. cathedram Haliciensem) praesidebat, praefatumque Monasterium Krylosense cum villa Perehirsko juxta privilegium Casimiri IV anno 1470 administrabat »; RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 25-26; PETRUŠEVYČ A., *Hal. Ist. Sbor.*, P. III, pp. 52. CXLI-CXLII.

(49) RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 26.

(50) PETRUŠEVYČ A., *Hal. Ist. Sbor.*, P. III, p. CXLII.

(51) Hanc notitiam J. Rudovyč « *Ex libro historiae monasterii S. Georgii Martyris* », (f. 108-113, « *Traducta series Hegumenorum* », desumit. Cfr. RUDOVYČ J., *Ist. Hal. Lviv. Epar.*, p. 26, n. 4.

(52) IBIDEM.

postulationi Mareschalcus Regni Poloniae et Leopoliensis Camenecensisque Capitaneus, Stanislaus de Chodeč, opponebatur, qua de causa inter utrumque lites exortae sunt ita, ut ad regem Poloniae Sigismundum I causa delata sit (53). In conventionem generali Petricoviensi, die 15 Aprilis 1509, in favorem Archiepiscopi causa resoluta fuit, sub praetextu propagationis fidei catholicae in hoc territorio (54).

Obtenta hac confirmatione, Archiepiscopus sibi iura Metropolitae Kioviensis in Vicarium arrogare coepit (55), qua de causa Metropolita cum proceribus Haliciae ad Regem appellabant, pro nominatione regia obtinenda (56), quam et obtinuerunt. Sigismundus I, in epistula ad Archiepiscopum data, dicit, se alio modo querelas subditorum ritus graeci sistere non potuisse, nisi promittendo illis abhinc «ipsi nos (Rex)» Vicarium seu Locumtenentem constituere (57). Ut ulteriorem et persistentem violationem iuris tertii impediret anno 1515 Rex Archiepiscopo in vitam internam Ecclesiae Ucrainae Haliciensis se intrudere prohibuit, ne subditis Regni alterius nationis iura a praedecessoribus confirmata laedantur (58).

Anno 1522 Basilio Pletenskyj, prima vice a Rege nominato, in vicaria dignitate Isaacius Ioachim Hdašyckyj, Archimandrita Leopoliensis monasterii S. Georgii successit (59), qui brevi tempore odium Metropolitae Iosephi (1524-1534) in personam suam excitavit, a quo ab exercendo munere suspensus, anno tandem subsequenti (1526) a Metropolita absolutionem obtinuit (60).

In successorem Isaacii Archiepiscopus Leopoliensis, una cum Rege, Iacobum Sikora nominavit. Cum ipse in omnibus voluntatem Archiepiscopi sequebatur, magnati proceresque regionis eius destitutionem non solum de Vicariatu, verum etiam ab Archimandria procuraverunt. In novum Vicarium, cum approbatione Metropolitae et Regis, monachus Iosephus electus fuit (61). Attamen nequidem hic in hac dignitate remansit, quia eodem anno nobilis Macarius Tučapskyj in Vicarium a nobilitate Haliciensi electus et pro bene-

(53) HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 93.

(54) HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 93-94.

(55) RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 27 et n. 2.

(56) RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 27-28.

(57) IBIDEM; - Rex revera Vicarium in persona Basilii Pletenskyj nominavit.

(58) RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 28.

(59) TURGENEV A. I., *o. c.*, nn. LI, LII.

(60) HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 435-436; Isaacius Hdašyckyj ob suam cum Metropolita reconciliationem aliisque de causis a munere Vicarii a Rege destitutus est. IBIDEM.

(61) AKZR, t. II, n. 182, p. 337; ARJZR, P. I, t. X, n. 11; RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 29.

dictione ad Metropolitam Kioviensem missus est (62). Recepta benedictione, Macarius Haliciam reversus est et cum magno zelo, ut ex litteris fidelium ad Metropolitam missis (63) patet, officio Vicarii fungebatur.

(62) AkZR, t. II, n. 185, p. 338.

(63) IBIDEM; TURGENEV A. I., *o. c.*, n. 53.

CAPUT SECUNDUM
DE EPARCHIA LEOPOLIENSI
(a. 1400 - 1772)

Praesenti capite non iam de Metropolia, sed de Eparchia Haliciensi agemus, quae in historia novo sub titulo venit: Eparchia Leopoliensis. Primo in articulo sermo erit de Vicarii metropolitani, Macarii Tučapskyj, ac Nobilium Procerumque circa erectionem Eparchiae Leopoliensis activitate, in secundo de incassa Unione eiusdem Eparchiae, in tertio de pugna pro characterе catholico eiusdemque, in quarto denique de periodo catholica eiusdem disseremus.

ART. 1. - DE EPARCHIAE LEOPOLIENSIS ERECTIONE.

Non obstante decreto regio, contra Macarium tum Jacobus Sikora ab Archiepiscopo Leopoliensi latini ritus in Vicarium nominatus, tum ipse Archiepiscopus, quasi a Rege in iure suo iniuriam passus, progressi sunt. Archiepiscopus Macarium ad « tribunal commissariale » detulit, insistendo iuri suo, sibi anno 1509 dato, nominandi Vicarios Halicienses. Cui actioni respondendo, Sigismundus iudicialiter de consistentia asserti privilegii Archiepiscopi indagare iussit (1).

Omnibus exploratis, protectores Macarii, ad suas partes et alios magnates ducere conabantur, ut in « tribunali commissariali » causam eius defende-

(1) TURGENEV A. I., o. c., n. 53; AkZR, t. II, n. 185; n. 197; Quod tamen ad documentum n. 197 attinet, nempe ad litteras civium Haliciensium ad Metropolitam missas, et documentum n. 198, haec ad annum 1539 pertinere non possunt, de quo iam MAKARIJ, o. c., t. IX, p. 244, notavit, attamen praefatus auctor chronologiam eorum gestaque in ipsis enarrata non illustravit, quae tantummodo M. HRUŠEVSKYJ, *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 437, nota 3, illustrare conatus est. Brevis Ioannis Chojenski, cancellarii, dignitas et Macarii Tučapskyj in Episcopum nominatio chronologiam fere exactam possibilem faciunt. Prima epistula ante Comitias autumnalia anni 1536/7 (Cfr. *Volumina legum*, t. I, p. 253-254; PROCHASKA A., *Rokosz lwowski w r. 1537*, in « *Kwartalnik historyczny* », [a. 1902], p. 210sq.), et quidem die 8. IX. 1536 scripta est. Historia autem conanium civium Haliciensium de annulatione privilegii Archiepiscopi initium initio anni 1537 habet. Praesentia Regis Leopoli tempore aestivo (tempore « belli gallini »), longa autem commoratio Macarii « Cracoviae » (Poloniae intelligi

rent (2). Eorum tamen tentamina contra privilegium Archiepiscopi, anni 1509, nihil valuerunt (3). Appellatione ad Comitata Generalia facta, anno 1536 habita, Archiepiscopus victor evasit, Macario vero inclusio in monasterium Tyne-cense minitabatur. Tunc protectio Reginae Poloniae Bonae, donatione ducen-torum capitum bovum, tentata fuit et obtenta. Brevi tempore Regina a Sigi-smundo I revocationem decreti, quod in favorem Archiepiscopi iam iam prom-ptum erat (4), obtinuit. Sigismundus I, Leopoli commorans a Macario novam donationem accepit, ob quam Cracoviam pro privilegii consecutione a Rege vocatus fuit, sed ultimis diebus Leopoliensis commorationis Archiepiscopus Regem ad suas partes pertrahere nitebatur, de quo Procancellarius Regni Ma-carium certiores fecit (5), de necessitate novarum oblationum ei mentem insinuando. Expectando emissionem privilegii seu decreti regii ad Comitata Generalia, initio anni 1538 convocata, venit, ubi tamen praesentiam Episco-porum in Comitibus Cracoviae congregatorum evitare debuit (6). Tandem aliquan-do Macarius nominationem in Episcopum Haliciensem, Leopoliensem et Camenecensem obtinuit (7), ad Metropolitam Kioviensem pro consecratione remissus. Cum primis diebus Decembris 1538 Leopolim reversus fuisset (8) Archiepiscopus eum in suam domum cum litteris nominationis convocavit; sed Macarius apud Archiepiscopum visitationem recusavit, qui in haec pro-rupit: « hoc non relinquam, usque dum vivam; Rusj mihi subiecta est, Rex sine me talia privilegia emittere non potuit. » (9). Oppositio Archiepiscopi a Rege praevisa fuerat, qui, ut novam appellationem Archiepiscopi ad Comitata

debet) anno 1537/8 et Decembri 1538, ante nova Comitata Cracoviam pro fine anni 1538 convocata, locum habuit, quo tempore litterae ad Metropolitam, N. 198, scriptae sunt.

(2) HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 438.

(3) AKZR, t. II, n. 198, p. 359-361; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 438; RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Vol. Epar.*, p. 30.

(4) TURGENEV A. I., *o. c.*, nn. 54, 56: (data anni 1539 erronea). Curator negotio-rum Reginae (Bonae) Hannibal Strozzi, a Secretario Status iam paratum privilegium receptum destruxit et ad Archiepiscopum iussu Regis scriptum est, quod res suspen-ditur usquedum autenticum documentum anni 1509 praesentaret; ideo Macarius in dignitate ad novam decisionem manere debet. Cfr. AKZR, t. II, n. 198, p. 359-361; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 438-439.

(5) HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 438-439.

(6) IBID.; RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv., Epar.*, p. 30.

(7) HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 438-439; TURGENEV A. I., *o. c.*, n. 55, p. 142-143; ARJZR, P. I, t. X, n. 11; HARASIEWICZ M., *Annales Ecclesiae Ruthenae*, Leopoli 1862, p. 94-96.

(8) HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy* t. V, p. 439.

(9) IBID., p. 440; Cfr. RUDOVYČ J., *Ist. Hal. Lviv. Epar.*, p. 31.

Regni an. 1539 praeveniret, Macario ante initium dictorum Comitiorum ad Metropolitam Kioviensem iter faciendi iniunxit (10).

Iam medio mense Decembri Macarius, in comitatu magnatum, « ne aliquis nobilis vir polonus vel Archiepiscopus eum ad interficiendum insequeretur, nam pluribus vicibus Archiepiscopus occidi Macarium iussit » (11), pro consecratione ad suum Pastorem profectus fuit, addita ei epistula, ad Metropolitam directa, ut supradictum Macarium Tučapskyj in Episcopum consecraret (12), quibus in litteris, praeter subscriptiones cleri, triginta tres Nobiles Proceresque sua nomina apposuerunt (13).

Episcopatus Leopoliensis, originaliter Haliciensis et Camenecensis Podoliae, die 22 Octobris 1539 ex Eparchia Metropoliae Haliciensis erectus et eformatus fuit privilegio Sigismundi I Regis Poloniae, ad instantiam Nobilium, Procerum, incolarumque Haliciensium in persona Metropolitan Vicarii et S. Georgii extra muros civitatis Leopoliensis Archimandritae, « honorabilis Macarii Tučapskyj ». (14) Assignando ei « Ecclesiam Haliciensem Metropolitanam in qua quondam Archiepiscopus alias Metropolitanus praesidebat » et a Metropolita postulando, ut « ad eam dignitatem Vladicatus insignitus praemissa omnia, quae ad ritum fidei eorum pertinere videbuntur » administrare posset et valeret (15).

Haec tamen regia nominatio Metropolitae timorem incutiebat, quod ex clausulis in ordinatione Macarii clare patet. Metropolita Eparchiae Haliciensis redditibusque istius resignare noluit, instituendo Episcopum cum titulo « Haliciensis », quo in casu proprium titulum « Haliciensis » cedere debuit, cum periculo reviviscentiae restorationis Metropoliae Haliciensis conaminum (16).

Sed neque Regis civiumque Halicensium petitionibus satisfacere non valuit ideoque a Macario securitatem de non laedendis iuribus Metropolitanorum postulavit, qua obtenta eum in episcopum consecravit. Haec assecuratio, Hommagium dicta, bene illustrat animum Metropolitae eiusque timores. In dicto Hommagio Macarius notum faciebat, quod « illustrissimus Archiepiscopus Metropolita Kiovensis totiusque Rusy, de voluntate et gratia sua necnon de iure metropolitico » (17), eum Episcopum suum Curialem (18) instituit digna-

(10) HRUŠEVSKYJ M. *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 440.

(11) *IBID.*; AKZR, t. II, n. 198; HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 99.

(12) TURGENEV A. I., *o. c.*, n. 55, p. 142; HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 98.

(13) HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 98; Cfr. AKZR, t. II, n. 193, p. 349.

(14) HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 96.

(15) TURGENEV A. I., *o. c.*, n. 55, p. 143.

(16) Cfr. p. 45-46, 50-51.

(17) Hommagium Macarii Tučapskyj (22. II. 1540) Metropolitae Kioviensi. TURGENEV A. I., *o. c.*, n. 57, p. 145; Cfr. AKZR, t. II, n. 201, p. 364-365.

(18) TURGENEV A. I., *o. c.*, n. 57, p. 145.

tusque est Metropolim *suam* Haliciensem ex brachio suo comittere, quam Macarius successoresque eius pro sua proprietate non sit reputaturus, nec tentaturus, ut eam a Metropolia Kioviensi seiungeret, sed eam ipse et eius successores ex voluntate, largitione atque benedictione « illustrissimi Metropolitae Kioviensis, Haliciensis totiusque Russiae » administrare (19), et Antimensia quoque subscribere nomine eiusdem Metropolitae necnon mediam partem fructuum ex hac Eparchia Metropolitae tradere tenebuntur.

De erectione Eparchiae Leopoliensis nullum formale documentum Metropolitae extat, nequidem ex dicto Hommagio quidquid in approbationem erectionis deduci potest; e contrario, dictum Hommagium oppositum quid asserere videtur, cum Macarius Episcopus Curialis a Metropolita instituitur. Attamen ex posterioribus, et quidem ex modo agendi ipsius Macarii Ту́даськыј eiusque successorum deducere possumus, quod erectio *Eparchiae Leopoliensis*, a Rege facta, metropolitana auctoritate, hac institutione Episcopi, confirmata fuit.

Macarius Leopolim reversus, de institutione Capituli (Krylos) operam navavit, quod et constituit. In documentis constitutionis capituli, confirmationis statutorum Confraternitatis Leopoliensis nomen suum cum titulo « Vladyka (Episcopus) Leopoliensis et Camenecensis » (20) apposuit, quem titulum etiam eius successores adhibuerunt (21). Erectio Eparchiae Leopoliensis etiam ininterrupta serie Episcoporum Leopoliensium, usque ad nostra tempora probatur ac a Romano Pontifice Clemente VIII, in Bulla « *Decret Romanum Pontificem* » (22), illa Eparchia Leopoliensis sicut Eparchia rite instituta considerabatur.

Vivente adhuc Macario Nobilis Marcus (23) Balaban a Rege nominationem in Episcopum Leopoliensem obtinuit, ut post mortem Macarii ei succederet (24). Sed tamen post obitum Macarii Archiepiscopus Leopoliensis ad Regem recursum fecit de praesumpto iure an. 1509 praesentandi et instituendi Episcopum Leopoliensem. Cuius privilegii quidem confirmationem obtinuit, sub conditione ut hac vice Marcum, in vita monastica Arsenium (25), Balaban pro consecratione in Episcopum Metropolitae (a. 1549) mitteret (26).

(19) IBIDEM.

(20) MILKOWICZ WL., *Monumenta Confraternitatis Stauropighianae Leopoliensis*, Leopoli 1895, t. I, nn. 10, 13; HARASIEWICZ M., o. c., p. 102, p. 104.

(21) MILKOWICZ WL., o. c., n. 15, n. 36, 39; HARASIEWICZ M., o. c., p. 109.

(22) WELYKYJ A., *Documenta ...*, vol. I, n. 152, p. 267.

(23) Ipse Marcus Balaban et eius familia multum laborabant pro Episcopi Leopoliensis institutione.

(24) HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 441; RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 32; Cfr. AKZR, t. II, n. 205, p. 370-372.

(25) HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 441; ARJZR, P. I, t. X, n. 167.

(26) ARJZR, P. I, t. X, n. 23.

Electio Episcoporum eorumque nominatio hoc tempore unice a voluntate Regis pendebat, qui saepe homines saeculares vel incapaces nominabat, ob merita politica vel militaria. Plurimi etiam candidati, magna pecuniae quantitate Regi elargita, cathedras episcopales vacantes obtinebant, aut plures simul sedes episcopales sibi procurabant, quas neque una vice visitabant, fructus autem regulariter percipiebant. Hanc praxim in Ecclesia Poloniae latina Petrus Skarga S. J. (27) duris verbis increpabat. Nil mirum, si conditio Ecclesiarum dissidentium deplorabilior adhuc evasit, quae in omnibus a Rege pendebant.

Non semel accidit cessio Eparchiae ab Episcopo vivente magna pecuniae summa exbursata. Imo saepe Rex ipse nominationem in unam eandemque vacantem sedem episcopalem pluribus concurrentibus dabat, qui deinde inter se rem componere debebant, vel pecunia, vel armorum vi adhibita (28). Huiusmodi candidati de consecratione episcopali non curabant et per annos dioecesim vel archimandriam tamquam personae saeculares cum titulo Episcopi vel Archimandritae nominati gubernabant. Nil mirum si tales Episcopi non de elevatione et educatione Cleri, de bono Ecclesiae, sed de bonis temporalibus curabant, Clerumque inferiorem simul cum Dominis terrestribus opprimebant (29) de eiusque vita morali parum vel nihil curabant (30). Si adiungatur hisce omnibus nulla fere Patriarcharum Constantinopolitanorum cura et protestantismi influxus, tunc status Ecclesiae Ucrainae miserrimus funestissimusque considerari debet.

Tempore, quo Arsenius Balaban Leopoli sedebat, in Poloniae Regno cum magna celeritate (31) haereses occidentales (32) propagabantur ita, ut saec. XVI Polonia asylum haereticorum appellabatur. Secundum relationem Fulvii Ruggeri (a. 1568), non una haeresis, sed omnes haereses apertum ac securum

(27) SUŠKO O., *Predteča Uniji*, in « ZNTS », t. LIII, p. 28.

(28) STUDYNSKYJ K., *Perestoroha, ruskyj pamjatnyk počatku XVII vika*, Leopoli 1895, p. 21; PLOŠČANSKYJ V. M., *Prošle Cholmskoj Rusy*, Vilnae, 1899, p. 104; Cfr. ARJZR, P. I, t. I, n. 24; AKZR, t. II, n. 158.

(29) STUDYNSKYJ K., o. c. p. 22-23.

(30) AKZR t. IV, n. 29.

(31) Tres dantur causae: 1. Filii nobilium, studia universitaria extra Patriam perficientes, domum spiritu reformationis imbuti revertebantur; 2. Relationes mercatoriae cum Statibus peste haeresium imbutis; 3. Luctamen sociale Clerum et nobilitatem inter. Cfr. SUŠKO O., o. c., p. 10-15.

(32) Tres principales « fides » haereticae praedicabantur initio in Polonia: Lutheri nempe, Calvinii et Fratrum Bohemorum (Valdensium); deinde tam multiplicatae sunt, ut historici triginta duas sectas saec. XVI in Polonia enumerant. Cfr. ZALENSKI S. *Jezuici w Polsce*, Leopoli 1900, t. I, p. 27; Iuxta autem Antonium Possevino anno 1583 in sola Cracovia 36 variae sectae aderant. Cfr. ASV, *Germania*. vol. 94, f. 7; PELESZ J., o. c., t. I, p. 508-509.

asylum in Polonia inveniebant (33), quae gravissima vulnera etiam Ecclesiae Ucrainae intulerunt, Ecclesiamque dissidentium ad suas partes, in odium Ecclesiae catholicae, pertrahere omnibus conabantur viribus. Ipsa etiam Ecclesia Catholica Poloniae interna laborabat decadentia (34), cuius causa non postrema sane influxus saecularium in nominationem Episcoporum erat (35-6).

Arsenius de periculo protestantismi non curabat, litibus cum Confraternitate Leopoliensi nec non Archiepiscopo Leopoliensi latini ritus occupatus (37). De bonis propriis et familia potius curabat ita, ut filio suo Gregorio, in vita monastica Gedeoni, nominationem in Episcopum a Rege procuraret (a.1566), qui, vivente patre, curam Eparchiae Leopoliensis assumpsit et postea (1568) ei in sede episcopali Leopoliensi successit (38).

Attamen Archiepiscopus Leopoliensis Ioannes Demetrius Solikowski eodemque anno, privilegio anni 1509 nixus, nobilem virum Ioannem Lopadka Ostalovskyj in Episcopum Leopoliensem nominavit. Rex vero sine ulla haesitatione suum privilegium Gregorio Balaban datum revocavit, nominationem vero Archiepiscopi non solum approbavit, sed etiam Praefecto Leopoliensi nominatum Ioannem Lopadka-Ostalovskyj in sedem introduci iussit (39). Nequidem Metropolita Kiovensis Jonas III tali nominationi sese opposuit, et Ioannem in Episcopum Leopoliensem consecravit. Gregorius vero, cum Nobiles necnon inferiores classes dissidentium secum habuit, cedere noluit, Leopolum tamen relinquere debuit, sola Halicia contentus (40), usque ad mortem Episcopi Ioannis, qua Gregorio Balaban ad occupandam sedem episcopalem Leopoliensem iter liberum apertum fuit (41).

(33) RYKACZEWSKI E., *Relacye Nunciuszow Apostolskich i innych osob o Polsce*, od r. 1548 do r. 1690, Parisiis 1864, t. I, p. 186; AMMANN A. M., o. c., p. 168.

(34) Cfr. memoriale Capituli Cracoviensis ad Synodum Petricovianam an. 1551, in « *Acta historica res gestas Poloniae illustrantia* », t. I, p. 447-449.

(35) Decadentiam vitae Episcoporum catholicorum Poloniae relatio Nuntii Apostolici Varsaviensis comprobatur; cfr. ASV, *Fondo Borghese*, III, vol. 72 A, f. 727-730, cuius titulus est: « *Imago vera Episcoporum Regni Poloniae* », anno 1569 exarata.

(36) Tale ius Reges Poloniae sibi attribuebant, contra quos Secretarius Status Gregorii PP. XIII, Cardinalis Comensis, Nuntio Poloniae Bolognetti scribebat: « Ma ho d'avvertir V. S. d'un inconveniente che passa nelle lettere di S. M.tà, nelle quali s'usano termini di nominare e di presentare, et chiaro è che la Corona di Polonia non ha tal facoltà, ma è solita di supplicare semplicemente ... », (Roma 19. IV. 1583); ASV, *N. P.*, vol. 15, f. 221.

(37) RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 32.

(38) *IBID.*; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 441.

(39) RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 32.

(40) Arsenius Balaban in suum vicum Stratyn se contulit et litem cum Episcopo Ioanne ducebat. Cfr. RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 32-33.

(41) *IBID.*, p. 33.

ART. 2. - DE INCASSA UNIONE EPARCHIAE LEOPOLIENSIS
(SAEC. XVII).

Deploranda Ecclesiae Catholicae in Polonia saec. XVI conditio magis adhuc Ecclesiam tangebatur Ucrainam, ut ex introductione ad Bibliam Ducis Constantini Ostrogensis sufficienter patet (1). Tam prima, quam etiam et altera Ecclesia de mediis reformationis vitae et avertendo periculo protestantismi curare coepit, quae solum Deus et S. Sedes suppeditare potuit (2). Sapientes Concilii Tridentini (a. 1545-1563) decisiones pro catholica restauratione viam pararunt, etiamsi Episcopi polonici non omnia decreta, ast tantummodo quae ipsis favebant (3) receperunt.

Ad restorationem Ecclesiae Catholicae maiorem impulsum Gregorius PP. XIII, statim ac ad Summum Pontificatum assumptus fuit, dedit, secundum programma Tridentinum.

Sine difficultate asserere possumus quod decisiones Concilii Tridentini indirectum influxum etiam in reformationem Ecclesiae dissidentis exercebant, quae exemplo Ecclesiae Catholicae ad restaurandam vitam religiosam et ecclesiasticam processit. Imprimis ipsi simplices fideles hac de re curare coeperunt. Quam necessitatem etiam tota Hierarchia non videre non potuit.

Leopoliensis Episcopus Gedeon Balaban, qui sine dubio ingenio patrem suum superabat, elevationem Cleri ucraini totiusque Ecclesiae solummodo ope scholarum, de quarum fundatione operam navabat, obtineri posse videbat. Hac in re inhibitio Gubernii polonici obstabat, quae anno tantummodo 1585 decreto Regis Stephani Bathory, calendarii veteris usum permittente, quoad scholas, hospitalia et id genus sublata fuit (4).

(1) « Vidi Ecclesiam Christi sanguine eius immaculato a vinculis legis redemptam ubique ab inimicis et a lupis in mundum venientibus sine misericordia dissipantem ... Quis non lugebit videns divisam Ecclesiam Christi et collapsam gloriam eius ». STU-
DYNKYJ K., o. c., p. 17.

(2) « Haeresim ipsam iam inter aliquos ex vestris (Episcopis) ita irrepere ac caeteros omnes perturbare coepisse, ut nulla spes apud nos, praeter quam in Deo ipso atque in hac Sancta Sede relicta esse videatur ». RAYNALDUS O., *Annales Ecclesiastici*, Lucae 1755, (ad an. 1555 et 1556), t. XIV, p. 572 sq.; Cfr. SUŠKO O., o. c., p. 21; RY-
KACZEWSKI E., o. c., t. I, pp. 18, 26, 38, 46-49.

(3) « I Vescovi di Polonia non osservano il Concilio di Trento se non in quella parte che li favorisce ». Ita Nuntius Varsaviensis anno 1572 Romam scribebat; ASV, N. P., vol. II, f. 32.

(4) AKZR, t. III, n. 130, n. 140; TURGENEV A. I., o. c., n. 59, p. 48; LIKOWSKI E., *Unia Brzeska*, Poznan 1896, p. 89.

Nobiles vero, alique fideles Confraternitatis Leopoliensis elevationem moralem quam Cleri tam totius populi ucraini procurare intedebant, cui intentioni Episcopus Leopoliensis Gedeon sese opposuit, quia saecularium influxum in regimen Ecclesiae amovere Confraternitatemque solus gubernare voluit, qua de causa maximae inter eos lites vigeabant.

Hoc non obstante ipse officinam typographicam fundavit ac libros suis sumptibus excudendos curavit, ad sublevandam Cleri fideliumque ignorantiam.

Hac in sua activitate a Patriarcha Constantinopolitano nullum auxilium sperare poterat. Idcirco ad Sedem Apostolicam - fontem veritatis et scientiae - se conferre statuit. Socii Confraternitatis Leopoliensis, statim ac de Episcopi Gedeonis intentionibus notitiam acceperunt, Hieremiam II, Patriarcham Constantinopolitanum, certiozem fecerunt, ac Patriarcham Antiochenum Joachimum, anno 1586 Leopoli commorantem rogaverunt, ut Confraternitatem eiusdem civitatis melius rectiusque constitueret et ordinaret (6). Prima vice, inde ab origine Ecclesiae Ucrainae, anno 1588-1589 Patriarcha Constantinopolitanus Leopoli venit (7). Cum primum Moscam (8) adire intendebat, in suo reditu longius in terris Ucrainae manere spondebat; qua de re Vilnae, mense Iulio 1589, Synodum convocavit (9). Moscovia reversus, Hierarchiam ucrainam (10), Nobiles et Confraternitates invenit, Synodum tamen non celebravit, sed Metropolitam Onesiphorum Divočka deposuit (11), in cuius successorem Rex Sigismundus III (12) Michaëlem Rahoza, Archimandritam Minscensem, nominavit, quem Patriarcha, ut videtur invitatus, die 1 Septembris in Metropolitam consecravit (13). Vilna cum neoelecto Michaële Rahoza, Episcopis aliisque praesentibus, Patriarcha Berestium se contulit (14), ubi Synodus celebrata fuit, in qua Cyrillus Terleckyj, Episcopus Luceoriensis, ad dignitatem Exarchae elevatus est, Metropolita vero singulis annis Synodum convocare obligatur (15). Institutione Exarchae Patriarcha Metropolitam maxime sibi infensum fecit

(5) RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Iviv. Epar.*, p. 33.

(6) *IBID.*

(7) LIKOWSKI E., *Unia ...*, p. 90.

(8) Ibi enim distinctum Patriarchatum constituere debuit.

(9) THEINER A., *Vetera Mon. Pol. et Lit.*, t. III, n. 46, p. 41-42.

(10) LIKOWSKI E., *Unia ...*, p. 91.

(11) *IBID.*, p. 92; PELESZ J., *o. c.*, t. I, p. 513.

(12) Rex hoc tempore Vilnae praesens erat.

(13) AkZR, t. IV, nn. 19, 20 et p. 207; LIKOWSKI E., *Unia ...*, p. 92; Cfr. PELESZ J., *o. c.*, t. I, p. 513; HRUŠEVSKYJ M., *o. c.*, t. V, p. 554.

(14) LIKOWSKI E., *Unia ...*, p. 92-93.

(15) ArJZR, P. I, t. I, p. XXXV; Cfr. AkZR, t. IV, n. 21; MAKARIJ, *o. c.*, p. 488 sq.; PELESZ J., *o. c.*, t. I, p. 513-514.

simulque fundamentum divisionis Hierarchiae Ucrainae, ubi quam maxima unitas exigebatur, iecit.

Hoc eodem tempore Patriarcha etiam Confraternitates ex iurisdictione tam Episcoporum quam Metropolitae exemit easque stauropégiacas constituit, eisque non solum in Clerum, sed etiam in Episcopos munus vigilantiae et de omnibus ad se relationis commisit. Hac anticanonica actione, ut recte M. Kostomarov animadvertit, non solum de omnibus scire, sed etiam in sua potestate Ecclesiam Ucrainam tenere voluit ipsamque iuxta sententiam: « divide et impera », regere (16).

Viso statu deplorabili Cleri Ecclesiaeque, data hac actione et intentione Patriarchae, haud mirum igitur, quod ipse Exarcha, cui vigilantia super Episcopos concredita fuit, primus omnium de reintegratione Unionis cum Sancta Romana Ecclesia meditare coepit et cum Gedeone Balaban (17) promotor istius motus fuit.

In Synodo Berestensi (1589) statutum fuit, ut sequenti anno Synodus in civitate Belz celebraretur, sed Metropolita eam ad diem 25 Junii 1590 Berestium iterum convocavit. Paucis vero diebus ante ipsam Synodum quatuor Episcopi: Luceoriensis — Cyrillus Terleckyj, Leopoliensis — Gedeon Balaban, Pinscensis — Leontius Pelčyckyj et Cholmensis — Dionysius Zbirujskij in civitate Belzensi convenerunt (18), ubi de scissione unionis cum Patriarcha subiectioneque Romano Pontifici declarationem dederunt, (19) qua facta ad Synodum in Berest convocatum profecti sunt. In hac Synodo de necessitatibus, defectibus et afflictionibus Ecclesiae tractabatur. Constitutiones Synodi in litteris synodalibus, ad fideles datis, inveniuntur (20). Cyrillus autem a Synodo mandatum accepit, ut simul cum querelis Hierarchiae de afflictionibus Ecclesiae Ucrainae et Bielarusjae a catholicis, etiam supra dictam declarationem de unione cum Romana Ecclesia Regi porrigeret, quod mandatum ob negotia personalia (21), necnon ob quasdam haud claras circumstantias Regis

(16) KOSTOMAROV M., *Istoričeskija Monografiji i Izsledovanija*, Petropoli 1867, t. III, p. 193.

(17) Metropolita Potij, de discessu Gedeonis Balaban scribens, asserit, quod Episcopus Gedeon Balaban primus erat, qui de unione cum Romana Ecclesia tractare coepit; en eius verba: « ... nie kto inny, jeno on (G. Balaban) naprzód te jedność był zaczął i patryjarchów odstąpił ». TURGENEV A. I., *o. c.*, n. 186; LIKOWSKI E., *Unia ...*, p. 100.

(18) AKZR, t. IV, p. 34-36; PELESZ J., *o. c.*, t. I, p. 515-516.

(19) PELESZ J., *o. c.*, t. I, p. 516-517; LIKOWSKI E., *Unia ...*, p. 109; Cfr. AKZR, t. IV, n. 55.

(20) AKZR, t. IV, n. 25; LIKOWSKI E., *Unia ...*, p. 110.

(21) Propter infirmitatem quodam tempore Sandomiriae remanere debuit. Cum autem domum reversus est, lites in Tribunalibus cum invasoribus (Zdan Borowicki

(22), temporisque ad novam Synodum (a. 1591) celebrandam propinquitatem non explevit. Solummodo post Synodum an. 1591 Cyrillus declarationem hanc Regi tradidit, ad quam die 18 Martii 1592 responsio Regis venit, qua suum gaudium et gratitudinem nec non auxilium promittebat, et de conservatione et ampliacione iurium, privilegiorum dignitatumque assecurationem dedit (23).

Usque ad annum 1593 hac in re nihil factum fuit; ne in Synodo Berestensi a. 1593 quidquid actum est (24). Materia enim Synodi lis inter Gedeonem et Confraternitatem Leopoliensem erat, ob quam Episcopus ab administratione Eparchiae interdicebatur. Anno sequenti Metropolita cum quibusdam Episcopis, inter quos erant Hypatius Potij, Volodymyriensis, et C. Terleckyj, ad Synodum celebrandam Berestam pervenerunt quidem, sed certiorati a Primate Poloniae de inhibitione cuiuscumque comitii, solummodo sententiam contra Episcopum Leopoliensem quoad quaestiones iam in praecedenti Synodo tractatas, perlegit ac publice eum excommunicavit (25), quam Cyrillus subscribere noluit; relicta vero Berestensi civitate in Zydzensem Archimandriam sese contulit, ubi cum Gedeone protestationem contra dictam excommunicationem, tamquam insynodaliter factam (26), confecit. Dein simul in oppidum Sokal profecti, cum aliis Episcopis (27) congregati, antiquam declarationem Belzensem de Unione cum Romana Ecclesia renovarunt (28).

Episcopi in scriptis notum fecerunt, quod introspicientes vocationem suam, ut semetipsos et oves sibi concreditas ad Unionem promoverent, prout Sal-

et Alexander Siemaszko) beneficiorum eparchialium causa ducere debuit. ArJZR, P. I, t. I, n. 72-73, n. 75-76 et p. XLII; Cfr. LIKOWSKI E., *Unia ...*, p. 112.

(22) Hoc tempore notitiae sparsae erant, quod Rex Regno abdicare intendit. THEINER A., *Vet. Mon. Pol. et Lit.*, t. III, n. 138, pp. 186, 188; MORAWSKI, *Dzieje narodu polskiego*, Poznan 1871, t. III, p. 146.

(23) HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 163; LIKOWSKI E., *Unia ...*, p. 113; PELESZ J., *o. c.*, t. I, p. 517-518.

(24) Nequidem tempus huic tractationi aptum erat, cum Rex iter in Suetiam, pro capienda possessione haereditatis, parabatur (Cfr. LIKOWSKI E., *Unia ...*, p. 120), qua de causa in Comitii Generalibus anno 1592 decretum editum fuit, quo omnia Comitii anni proximi prohibebantur.

(25) HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 573; LIKOWSKI E., *Unia ...*, p. 121. - Decretum excommunicationis cum Metropolita solus Hypatius Potij subscripsit. Cfr. ArJZR, P. I, t. I, n. 107; AkZR, t. IV, n. 48, n. 49; MAKARIJ, *o. c.*, t. IX, p. 546.

(26) KOJALOVİČ M., *Litovskaja Cerkovna Unija*, S. Peterburg 1859, t. I, p. 114.

(27) Praesentes erant Episcopi: Luceoriensis - Cyrillus Terleckyj, Leopoliensis - Gedeon Balaban, Cholmensis - Dionysius Zbirujskyj, Peremysliensis - Michael Kopystenskyj, qui prima vice in his tractationibus habuit partem. Cfr. PELESZ J., *o. c.*, t. I, p. 523.

(28) HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 575; CHODYNICKI K., *Kościół prawosławny a Rzeczpospolita Polska (1370-1632)*, Warszawa 1934, p. 279 sq.; LIKOWSKI E., *Unia ...*, p. 122.

vator Christus Jesus id docuit et sanguine suo obsignavit, Romano Pontifici se submittere decreverunt, nam Patriarcha hac in re hucusque nihil fecit, quia sub infidelium potestate deget. In fine declarationis varias clausulas apposuerunt (29). Cyrillo autem commissum fuit ut alios Episcopos ad Unionem inclinaret et ab iisdem consensum, in scriptis, obtineret; revera iam mense Octobri anni 1594 omnium, excepto uno, Episcoporum consensum obtinuit (30).

De his secretis pertractationibus Episcoporum primus silentium rupit Episcopus Leopoliensis, Gedeon Balaban, qui die 28 Januarii 1595 in Synodo dioecesana Leopoli convocata (31), postquam longe lateque de malo divisionis Ecclesiae locutus est, simul cum praesentibus (32) Patriarcham relinquere ac Summo Pontifici sese submitti publice declaravit, Metropolitam aliosque Episcopos exemplum suum sequi invitabat.

Inde a Congressu Sokaliensi Episcopi quasdam pertractationes cum Metropolita habuerunt, qui pro die 12 Junii Synodum convocavit, in qua litteras super eorum Unione cum S. Romana Ecclesia omnes subscripserunt (33) His litteris sic dictos « articulos seu conditiones Unionis » (34), iam prius elaboratos, adiecerunt. Horum autem articulorum confirmationem tam a Romano Pontifice quam a Rege Poloniae habere postulabant, qua de causa duobus

(29) LIKOWSKI E., *Unia ...*, p. 123 sq.; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 575 sq.; - Hierarchia ucraina a Romano Pontifice conservationem ritus cum omnibus ceremoniis Ecclesiae Orientali propriis, et a Rege aequalitatem iurium cum Clero latini ritus necnon Episcoporum numero Senatorum adiunctionem postulabat. Cfr. AKZR, t. IV, n. 59; MILKOWICZ WL., *o. c.*, t. I, n. 332 sq.; HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 111-449.

(30) Solummodo Metropolita M. Rahoza consensum suum nondum dedit, quod epistula Hypatii Potij ad Metropolitam ex Januario 1595 comprobatur. Cfr. MILKOWICZ WL., *o. c.*, t. I, n. 332; ASV, *Fondo Borghese*, III, 91 a-b, f. 226. Minus recte fortasse affirmat E. LIKOWSKI in « *Unia ...* », p. 123, Metropolitam ante 2. XII. 1594 Unioni consensisse.

(31) In hac Synodo nullus ex Episcopis ucrainis, praeter Gedeonem, aderat. Inveniebantur tamen Metropolita Bilgradensis, Episcopus Vieranensis, Archimandrita quidam montis Athos atque quam plures Archimanditae et Protopresbyteri ex terris Ucraniae et Bielarusiae et alii. Cfr. HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 580; LIKOWSKI E., *Unia...*, p. 126.

(32) AKZR, t. IV, n. 58.

(33) LIKOWSKI E., *Unia ...*, p. 126-130; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr. - Rusy*, t. V, p. 577-581; Cfr. PELESZ J., *o. c.* t. I, p. 536-538.

(34) In articulis ad Summum Pontificem relatis, inviolabilem conservationem confirmationemque proprii ritus pro se suisque successoribus eo modo, quo « tempore Unionis » fruebantur, postulabant, in illis vero quae ad Regem directi erant, omnia iura, qui-

confratribus suis, Hypatio videlicet et Cyrillo, commiserunt, ut confirmationem dictorum articulorum a Romano Pontifice et a Rege Poloniae eorum nomine obtinerent. Episcopi Legati die 17 Junii 1595 (35) Cracoviam venerunt ibique primis diebus subsequenter mensis tam a Nuntio Apostolico Malaspina quam e Rege promissionem approbationis dictorum articulorum obtinuerunt (36). Obtenta promissione approbationis articulorum, Legati domum reversi sunt, ut ad iter Romam faciendum sese praepararent (37). Haec praeparatio brevis erat, cum in medietate mensis Septembris Legati Episcoporum ucrainorum (Hypatius et Cyrillus) Cracoviae iam inveniuntur ac die 27 Septembris cum litteris commendatitiis Nuntii et Regis ad Summum Pontificem, Romam iter susceperunt (38). Die 15 Novembris Legati Romam venerunt; tertia autem die ab Universali Pastore Clemente VIII in audientia suscepti fuerunt eique litteras Regis tradiderunt. Subsequentibus autem diebus (29. XI) ad Episcopum Leopoliensem Balaban epistulam scripserunt (39).

Quasi unius mensis spatio privatae consultationes Cardinalium sunt subsecutae ac die 23 Decembris 1595 Unio Ecclesiae Ucrainae et Bielarusiae cum Romana Ecclesia locum habuit (40). Dicto vero die in palatio Vaticano, in aula Constantini, coram Cardinalibus et Praelatis, Legati Hierarchiae Ucrainae, Hypatius et Cyrillus, Romano Pontifici Clementi VIII litteras synodales necnon articulos pro Unione perficienda, quos prius Nuntio Apostolico in Polonia obtulerunt, exhibuerunt (41). Dein Legati proprio suorumque confratrum nomine Unionis suscipiendae desiderium manifestarunt necnon professionem fidei catholicae emiserunt. Eodemque die Clemens PP. VIII.

bus Clerus latini ritus fruebatur, exigebant. Cfr. HOFMANN G., *Die Wiedervereinigung der Ruthenen*, Ruthenica I, in « *Orientalia Christiana* », vol. III-2, n. 12 (a. 1925), p. 140-141; HARASIEWICZ M., o. c., p. 194; AkZR, t. IV, nn. 53, 54; PELESZ J., o. c., t. I, p. 528-531, 532-534.

(35) Cfr. WIELIWICKI, *Historia Diarii*, in « *Scriptores rerum Polonicarum* », t. VIII, p. 203.

(36) ASV, *Fondo Borghese*, III, vol. 91 b, f. 194, necnon apud HOFMANN G., o. c., 158; AkZR, t. IV, nn. 78, 79; MAKARIJ, o. c., t. IX, 571-580; HARASIEWICZ M., o. c., p. 182-183, p. 185-188; PELESZ J., o. c., t. I, p. 531-532, 534-535.

(37) LIKOWSKI E., *Unia ...*, p. 133.

(38) *IBID.*, p. 157.

(39) HARASIEWICZ M., o. c., p. 198-201; ArZR, P. I, t. I, n. 116, p. 482-485; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 597; - Ante Legatorum Romam missionem Grædeon Balaban suam subscriptionem in favorem Unionis revocavit, qua de re litterae Legatorum ad Ep. Leopoliensem suam iustificationem habent. Cfr. PELESZ J., o. c., t. I, p. 540 et n. 156.

(40) PELESZ J., o. c., t. I, p. 541; LIKOWSKI E., *Unia ...*, p. 158-159.

(41) HARASIEWICZ M., o. c., p. 193-195; THEINER A., *Vet. Mon. Pol. et Lit.*, t. III, n. 135, p. 232-249.

Constitutionem « Magnus Dominus », super Unione Nationis Ucrainae cum Ecclesia Romana, edidit (42).

Ultimis diebus Februarii Episcopi, pluribus litteris pontificiis ad diversas personas Regni muniti, iter in patriam arripuerunt et sub finem Aprilis eiusdem anni fines Patriae attigerunt (43). Romanus vero Pontifex, in litteris ad Regem Poloniae et in Brevi ad Episcopatum ucrainum scriptis, Metropolitam Michaellem Ragoza paterno adhortatur animo, ut Synodum Provinciale in-diceret, suosque Episcopos convocaret, ut « singuli profiteamini in publico conventu fidem catholicam ex eadem formula integre, quemadmodum Episcopi duo Oratores vestri hic professi sunt » (44). Qua de re Rex Sigismundus III litteras circulares dedit, quibus Metropolitae supra nominatam Synodum in civitate Berestensi pro libitu temporis convocare concessit (45). Praehabitis his litteris Metropolita in urbem Berestensem pro die 6 Octobris 1596 Synodum convocavit, ad quam ex utraque parte, tam adversarii, quam fautores Unionis, magno convenerunt numero (46).

Episcopi ucraini negotium Unionis ecclesiasticae initio, uti diximus, secrete perficiebant, attamen iam autumno 1594 Magnum Cancellarium Regni Poloniae, Zamojski, obsecrabant, ut in casu molestiarum afflictionumque ex parte Ducis Constantini Ostrogensis creatarum (47), suum auxilium eis dedisset (48). Anno vero subsequenti (Januario) Episcopus Cyrillus Terleckyj, cum de desiderio Hierarchiae ucrainae unionis cum Ecclesia Romana cum Rege locutus sit, timorem quoque molestiarum ex parte Ducis expressit (49).

(42) WELYKYJ A., *Documenta* ..., vol. I, n. 132, p. 236-243; HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 202-214; LIKOWSKI E., *Unia* ..., p. 407-416.

(43) LIKOWSKI E., *Unia* ..., p. 163, p. 165.

(44) WELYKYJ A., *Documenta* ..., vol. I, n. 145, p. 259; HARASIEWICZ M., *o. c.* p. 218.

(45) HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 228-230.

(46) *IBID.*, p. 231; PELESZ J., *o. c.*, t. I, p. 550-551.

(47) Ipse vero iam ab anno 1583 de Unione Ecclesiae ucrainae cum Ecclesia Romana, tum cum Nuntio Apostolico in Polonia Alberto Bolognetti, quam cum Antonio Possevino, Legato Apostolico (cui a Gregorio PP. XIII varia negotia in septentrione commissa fuerunt) tractabat. Cfr. MYLANYK J., *Constantini Senioris Ducis de Ostrog pro Unione Ecclesiastica activitas* (Thesis ad Lauream in Facultate theologia apud Pont. Athenaeum Urbanianum de Prop. Fide, nondum edita) Romae 1940, p. 104-175.

(48) « Il S.r Gran Can.re di questo Regno me ha fatto sapere, che due Vescovi Greci di Russia sono stati da lui ... l'hanno pregato, ch'egli piglia il loro patrocinio, caso che il duca di Ostrogia scismatico per questa causa li molestasse ». ASV, *Fondo Borghese*, III, vol. 91 a-b, f. 226.

(49) « Li Vescovi Rutheni et Lithuani hanno mandato da me il vescovo loro di Lu-ceoria con uno scritto formato da essi, et munito col loro sigillo, dal quale si vede che desideranno di unirsi con la Chiesa catholica ... Ha il sopradetto vescovo trattato con Sua Maestà ancora, ma in secreto, per il timore che ha del duca di Ostrogia, palatino

quae molestiae inde a mense Maio eiusdem anni, dum notitia de Unione spargebatur (50), non tantum a Duce verum etiam ab haereticis iam in actu erant (51). Constantinus Ostrogensis bene sciebat, quod quoadusque nullum Episcopum secum habebit, nihil proficiet. Qua de causa omnia fecit, ut ad suas partes Episcopum Leopoliensem Gedeonem Balaban perduceret (52). Hoc in casu dissidia Episcopi cum Leopoliensi Confraternitate Ducem quammaxime iuvarunt; hoc modo enim solutionem dictae controversiae in suum favorem sperare potuit. Haud mirum ergo quod Episcopus Leopoliensis Gedeon Balaban, die 1 Junii 1595, Volodymyriae coram Duce aliisque insignibus viris suam subscriptionem in charta blanca alium in finem quam pro Unione cum Ecclesia Romana ineunda datam fuisse affirmavit (53). Brevi tempore Gedeoni Episcopus Peremysliensis Michaël Kopystenskyj sese adiunxit (54).

Cum indictum tempus (6. X. 1596 iuxta vetus calendarium) quo Synodus indicebatur advenerat, non modo omnes Episcopi ucraini, duobus exceptis (55), alique multi ex ecclesiasticis viris una cum Legatis regiis (56), sed etiam tres Antistites Ecclesiae Catholicae latini ritus Regni (57), qui Romani Pontificis personam agerent, ad Brestensem urbem pro celebratione dictae Synodi se contulerunt.

Venerunt quoque adversarii Unionis et sibi aliam Synodum Cleri cum laicis coëgerunt (58).

di Kiovia ». ASV, *Fondo Borghese*, III, vol. 89 b, f. 38; HOFMANN G., *o. c.*, p. 134. n. 1.

(50) LIKOWSKI E., *Unia ...*, p. 143-144.

(51) Cfr. MYLANYK J., *o. c.*, p. 229 et nota 2.

(52) LIKOWSKI E., *Unia ...*, p. 147.

(53) Huic autem Episcopi Leopoliensis Gedeonis assertioni nequidem auctores dissidentes fidem praebebant. Cfr. ARJZR, P. I, t. I, n. 109; AKZR, t. IV, n. 113; MAKARIJ, *o. c.*, t. IX, p. 588; KOJALOVIC M., *o. c.*, t. I, p. 95; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 591-592.

(54) LIKOWSKI E., *Unia ...*, p. 148.

(55) Episcopus Leopoliensis Gedeon Balaban et Peremysliensis Michaël Kopystenskyj, a non semel dato consensu pro Unione cum Romana Ecclesia misere defecerunt ac in castris adversariorum magnas partes gesserunt. Cfr. *IBID.*, p. 175. sq.

(56) Regia enim legatio principe Nicolao Christophoro Radziwill, cancellario lithuano Leone Sapieha et Demetrio Halecki, urbis Berestensensis praefecto, componebatur. Haec vero legatio die subsequenti (7. X.) ad Synodum pervenit. Cfr. *IBID.*, p. 175-176.

(57) Archiepiscopus Leopoliensis Joannes Demetrius Solikowski, et Episcopi: Luceoriensis - Bernardus Maciejowski, Cholmensis - Stanislaus Gomolinski in Synodo personam Romani Pontificis gerebant. Cfr. *IBID.*, p. 173; WELYKYJ A., *Documenta ...*, vol. I, nn. 146, 147, 148, p. 260-263.

(58) Synodo dissidentium praesidebat Protosyncellus Ecclesiae Constantiopolitanae Nicephorus. Aderant quoque Protosyncellus Patriarchae Alexandrini (Meletii Pi-

Sabato, die 9 Octobris, Metropolita in assistentia Episcoporum Missam solemnem celebravit, in qua Archiepiscopus Polocensis Gregorius Chrebtovyč nomine praesentium Episcoporum declarationem accessus sui ad Unionem perlegit, atque hoc modo Nationis Ucrainae cum Ecclesia Catholica coniunctio confirmata et conclamata fuit (59). Eodemque die epistula Metropolitae Michaelis Rahoza aliorumque Episcoporum de depositione Episcoporum Leopoliensis et Peremysliensis, qui a dato antea consensu Unionis misere defecerunt, data est (60). Sequenti die Episcopi una cum Metropolita litteras pastorales pro universo Clero omnibusque fidelibus ediderunt, in quibus de conclusione S. Unionis necnon de depositione atque excommunicatione Episcoporum Peremysliensis et Leopoliensis certiores reddiderunt (61).

Rex Sigismundus III vero, ab Episcopis Hypatio et Cyrillo de actis dictae Synodi edoctus, die 15 Decembris litteras ad subditos exaravit, quibus Unionem Ecclesiae Ucrainae et Bielarusjæ cum Ecclesia Romana confirmabat ac omnibus prohibuit, ne Episcopis Gedeoni Balaban et Michaëli Kopystenskyj obediant, utpote depositis a munere episcopali (62). Attamen, non obstante Regis declaratione, contra Episcopos unitos oppositio popularis exurgit, a Duce Ostrogensi excitata. Depositio autem Episcoporum Leopoliensis et Peremysliensis nullum valorem habuit, quia potentia Constantini Ostrogensis nixi, suam iurisdictionem episcopalem in posterum exercebant. Anno vero 1599 privilegio regio iurdictio Patriarchae Constantinopolitani in fideles ucrainos Regni Poloniae agnoscebatur (63) et eo ipso etiam iurdictio Episcoporum excommunicatorum.

ART. 3. — PUGNA DE CHARACTERE CATHOLICO EPARHIAE.

Quibusdam mensibus post Synodum Berestensem administrator vacantis sedis patriarchalis Constantinopolitanae, Meletius Pigas, Patriarcha Alexandrinus, litteras die 27 Aprilis eiusdem anni ad Ducem Constantinum Ostro-

gas), Cyrillus Lucaris, Episcopi ab Unione apostatae, Leopoliensis videlicet et Peremysliensis, necnon plurimi Archimandritae, Delegati Nobilium et Confraternitatum, quorum columna Dux Constantinus Ostrogensis erat. HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 606-607; LIKOWSKI E., *Unia ...*, p. 173-174.

(59) PELESZ J., *o. c.*, t. I p. 553 sq.; LIKOWSKI E., *Unia ...*, p. 182.

(60) IBID., p. 182-186; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 612; AKZR, t. IV, n. 107, p. 146.

(61) AKZR, t. IV, n. 109, p. 148.

(62) HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 234-240; LIKOWSKI E., *Unia ...*, p. 192 sq.

(63) HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 241.

genssem et totam Nationem ucrainam dedit (1), omnes resolutiones antisynodi, cui Nicephorus praeerat, collaudando, depositionemque Metropolitae ac Episcoporum, qui Unionem cum Romana Ecclesia inierunt, confirmando (2), eosque audacter excommunicando (3). Simul Gedeonem Balaban (4), Protosyncellum Cyrillum Lucaris et Ducem Constantinum Ostrogensem in Exarchas nominavit (5). Hanc excommunicationem Clemens PP. VIII, ne pusillorum scandalum exoriretur, suis litteris «invalidam, nullam, irritam, et inanem, nulliusque valoris, roboris, vel momenti fuisse, et esse» (6) declaravit.

Episcopus Leopoliensis, ad dignitatem Exarchae elevatus, caput Ecclesiae ucrainae disunitae evasit, et simul inimicus Unionis, in qua inimicitia usque ad mortem (a. 1607) remansit. Cum vero anno 1604 Metropolitae catholicus Hypatius Potij Leopolum visitaret, ecclesias claudi iussit, ut tali modo celebratio Liturgiae Metropolitae non permetteretur (7). Cum sectis autem protestanticis facilius uniebatur, quia in ipsis auxilium pro expugnatione catholicismi inveniebat. Sub finem vero vitae suae, a Rege pro suo consanguineo Isaia Balaban, Archimandrita Unioviensi, nominationem in cathedram Leopoliensem, post sui mortem, procuravit (8). Gedeone Balaban vita functo, Sedem Leopoliensem Isaia occupavit, cui tamen Confraternitas Stauropegiana Leopoliensis, Nobiles necnon latini ritus Archiepiscopus Leopoliensis Ioannes

(1) LIKOWSKI E., *Unia* ..., p. 199.

(2) Disuniti in sua Synodo congregati, die 9 Octobris Metropolitam Michaëlem Rahoza Episcoposque cum eodem unitos destituerunt. Acta autem declarationesque propriae Synodi ad Patriarcham Constantinopolitanum post diem 10 Octobris miserunt. Cfr. IBID., p. 186; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 612.

(3) WELYKYJ A., *Documenta* ..., vol. I, n. 162, p. 278; AMMANN A. M., *o. c.*, p. 182, p. 592.

(4) Episcopus Leopoliensis, postquam a Patriarcha Exarcha nominatus fuit, omnes Eparchias etiam unitas visitabat ac sacerdotes consecrabat. Cfr. LIKOWSKI E., *Unia* ..., p. 205.

(5) MALYŠEVSKIJ I., *Aleksandrijskyj Patriarch Meletij Pigas i jeho učastije v dielach ruskoj Cerkvi*, Kiev 1872, t. I, p. 417, t. II, App., p. 17-26; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 613.

(6) WELYKYJ A., *Documenta* ..., vol. I, n. 162, p. 278-279; Cfr. PELESZ J., *o. c.*, t. II, p. 23-24.

(7) PETRUŠEVYČ A., *Svodnaja Halycko-Russkaja Litopys s 1600 po 1700 hod*, Leopoli 1874, t. I, p. 22; PETRUŠEVYČ A., *Dopolnenije ko Svodnoj Halycko-Russkoj Litopysy s 1600 po 1700 hod*, Leopoli 1891, t. I, p. 18; RUDOVYČ J., *Ist. Hal. Lviv. Epar.*, p. 35; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. V, p. 570.

(8) Hunc vero privilegium, cum adhuc in gratia Regis Sigismundi III erat, die 5 Maii 1595 procuravit; Cfr. TURGENEV I. A., *o. c.*, n. 185; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. VI, p. 586; WELYKYJ A., *Prima Unio Eparchiae Leopoliensis* (a. 1607), in «*Analecta OSBM*», vol. I/VII/, fasc. 4, p. 553; Cfr. PELESZ J., *o. c.*, t. II, p. 103.

Zamojski (9) obstiterunt, et cum ipse legitime electus non fuit, Hieremiam, in vita monastica Eustachium, Tyssarovskij in successorem Gedeonis Poloniae Regi praesentaverunt (10).

Metropolita autem Kioviensis catholicus cum de morte Episcopi Leopoliensis notitiam accepit, ad Nuntium Apostolicum, Franciscum Simonetta, litteras misit, in quibus instanter ipsum rogavit, ut apud Regem procuraret, ne quis in dictam vacantem episcopalem sedem, inscio atque invito Metropolita Kioviensi, nominaretur (11). Hac in re Nuntius autem multum laboravit, ut ius patronatus Archiepiscopi ritus latini in praesentatione candidati in hanc sedem agnosceretur (12), qua in re conamina Archiepiscopi excitavit adiuvitque.

Nuntius candidatum catholicum pro Eparchia Leopoliensi obtinere non desperabat eo vel magis, quod Isaías Balaban nondum consecratus fuit, etiamsi inde ab anno 1595 in possessione respectivi privilegii erat. Qua in re tamen decisio Regis expectanda erat (13), quam Rex ob circumstantias politicas de die in diem procrastinabat. Tandem die 18 Octobris 1607 Praefecto ac Consulibus Leopoliensibus nominationem Eustachii Hieremiae Tyssarovskij in Episcopum Leopoliensem notificavit (14), die vero 31 dicti mensis decretum nominationis exaravit (15). In hac nominatione haud dubie Archiepiscopus Leopoliensis latini ritus suas partes habebat quem ipse iam prius in candidatum proposuit. Nuntius autem Poloniae, inanibus conatibus de candidato catholico praemissis, apud Regem operatus est, ut Nominatus coram ipso professionem fidei catholicae emitteret, quam facultatem a Rege obtinuit. Dictam professionem non mandato regio, sed persuasionibus obtinere sperabat, ac, fortasse, privilegium Eustachio consignare debuit.

Actum hunc Cracoviae locum habuisse, ubi Eustachius Tyssarovskij formulam Berestensis Unionis acceptavit, ac professionem fidei, secundum

(9) PETRUŠEVYČ A., *Dopolnenije ...*, t. I, p. 37; PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. I, p. 32; WELYKYJ A., *Prima Unio ...*, p. 553; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. VI, p. 587; RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 35.

(10) In electione Eustachii Tyssarovskij quamdam partem etiam Archiepiscopus Leopoliensis cum aliis catholicis habuit, quod ex litteris Metropolitae H. Potij ad Leonem Sapiha clare patet, in quibus Metropolita tamquam testis ocularis affirmat, quod Eustachium catholici latini ritus proponebant. Cfr. PETRUŠEVYČ A., *Dopolnenije ...*, t. I, p. 38; HRUŠEVSKYJ M., *Ist. Ukr.-Rusy*, t. VI, p. 588; WELYKYJ A., *Prima Unio ...*, p. 553; RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 35.

(11) WELYKYJ A., *Prima Unio ...*, p. 555-556; ASV, *Fondo Borghese*, Ser. II, vol. 223-224, f. 138rv.

(12) WELYKYJ A., *Prima Unio ...*, p. 557; ASV, *Fondo Borghese*, Ser. II, vol. 223-224, f. 275.

(13) WELYKYJ A., *Prima Unio ...*, p. 557.

(14) PETRUŠEVYČ A., *Dopolnenije ...*, t. I, p. 38.

(15) AKZR, t. IV, n. 174; PELESZ J., *o. c.*, t. II, p. 105.

formulam a Pio PP. IV praescriptam, in manus Nuntii Apostolici emisit, eamque subscripsit, iuramentum vero obedientiae praestare noluit, promissione data, quod ab Episcopis catholicis consecrationem recipiet (16). Sed privilegio obtento, extra confines Regni Poloniae, in Moldavia, consecrationem ab Episcopis disunitis accepit (17). Qua de causa a Metropolita Hypatio ad iudicium vocatus fuit, ut a suo Pastore (18), quia « contra libertatem iurium Regni et contra morem antiquum, et contra privilegia, quibus diligentissime praecautum, ne quis ab advena alieno constituatur », Moldaviam pro consecratione se contulit (19). De his omnibus a Metropolita edoctus, Nuntius Poloniae apud Regem Magnumque Cancellarium Regni instabat, ut Eustachium ad obedientiam compellerent, qua de causa etiam Metropolita inutiliter Eustachium in iudicium ecclesiasticum citavit. Hoc modo sperata Unio Eparchiae Leopoliensis decursu unius anni evanuit (20).

Pluribus de causis, nec non diversis ex circumstantiis unio haec iam ipsis in initiis periit. Inter has causas A. Welykyj « causam principalem et efficacem nimis magno influxui Confraternitatis Stauropegiana Leopoliensis tribuendum esse » affirmat, quae omnibus viribus stauropegiam conservare imo dilatare contendebat, inde Patriarchae « propter commoda propria » favebat, cuius potentiae Tyssarovskij obstare vix potuit. Si deerat vis, non deerat tamen *bona voluntas*, qua « ... ad unitatem Ecclesiae Catholicae et Apostolicae Romanae, divina gratia duce reverti » desiderabat (21). Hanc tamen bonam voluntatem sola professione fidei catholicae, ab Eustachio in manus Nuntii emissae, probare vix valeamus (22).

Hanc professionem fidei Eustachius, aut tamquam formalitatem quamdam pro privilegii receptione considerarebat, aut, sciens quoque de eius natura valoreque, eam moraliter coactus fuit emittere, ne Isaias Balaban, iam pridem nominationem Regis habens, eparchiam Leopoliensem obtineret. Huic tamen

(16) WELYKYJ A., *Prima Unio* ..., p. 560-564; ASV, *Fondo Borghese*, Ser. II, vol. 223-224, f. 147rv-148rv.

(17) WELYKYJ A., *Prima Unio* ..., p. 564; ASV, *Fondo Borghese*, Ser. II, vol. 223-224, f. 246rv.

(18) Metropolita H. Potij Episcopum Leopoliensem tamquam suum Vicarium considerabat, qua in re ad annum 1539, i quo Episcopatus Leopoliensis erectus eiusque Episcopus Vicarius seu Episcopus Curialis vocatus fuit, provocabat.

(19) HARASIEWICZ M., o. c., p. 443-445; WELYKYJ A., *Prima Unio* ..., p. 555; PETRUŠEVYČ A., *Dopolnenije* ..., t. I, p. 41; AkZR, t. IV, n. 176, p. 263-264.

(20) WELYKYJ A., *Prima Unio* ..., p. 567; ASV, *Fondo Borghese*, Ser. II, vol. 223-224, f. 89.

(21) WELYKYJ A., *Prima Unio* ..., p. 555.

(22) IBIDEM.

professioni fidei, in manus Nuntii emissae iuramentum denegavit, qua in re persuasiones Nuntii nihil profecerunt. Eustachius enim privilegio regio, per manus Nuntii, obtento disparuit, quod epistolae Nuntii Romam missae (23) ac Eustachii in iudicium metropolitanum citatio (24) confirmant.

Revera Eustachius decursu vitae suae Unioni nullomodo favebat. In Synodum Leopoliensem, ad renovandam Unionem totius Ucrainae, in diem 28 Octobris 1629 Leopolim convocatam (25), ne veniat, civitatem relinquit (26) Ob absentiam Dissidentium, sed etiam ob alias rationes Synodus celebrata non fuit (27). Deinde anno 1630 ipse Tyssarovskij, iam ut Exarcha Patriarchae Constantinopolitani, in quodam actu (28) nominatur, quam vero dignitatem haud dubie ob suum ad Patriarcham Constantinopolitanum propensum animum accepit. Anno 1633 Eustachius in Leopoliensi Staupigiana Ecclesia Petrum Mohyla in Metropolitam Kioviensem non-unitum consecravit (29). Anno tandem 1641 Eustachius in suo vico Zovčiv, prope civitatem Rohatynensem, vita functus et in ecclesia parochiali sepultus est (30).

His omnibus inspectis, in denegatione iuramenti obedientiae, quod principalis conditio pro acceptione Unionis erat, ac in eius extra Regnum Poloniae consecratione, quod contra promissionem Nuntio datam fecit (31), haudquam *bonam voluntatem* videre licet.

(23) Duae epistolae Nuntii exstant (die 12. I, et 9. XI. 1608 datae), in quibus de nulla notitia circa personam Neo-electi Episcopi Leopoliensis habetur. Cfr. WELIKYJ A., *Prima Unio* ..., p. 564-565; ASV, *Fondo Borghese*, Ser. II, vol. 237, f. 44. f. 78.

(24) HARASIEWICZ M., o. c., p. 443-445.

(25) De Synodo Leopoliensi anni 1629 cfr. auctores RYŽEVSKYJ V., *De ucrainorum Episcoporum Leopoliensi conventu a. 1629*, in «*Bohoslovija*», t. VI, fasc. 4, Leopoli 1928, p. 161-173; KRYPJAKEVYČ I., *Novi materijaly do istoriji Soboriv r. 1629*, in «*ZNTS*», t. 116, p. 1-39; ZUKOVYČ, *Materijaly po istoriji Soborov a. 1629*, in «*ZIAN*» Ser. III, t. VIII, n. 15; GOLUBJEV S., *Kijevskij Metropolit Petr Mohyla i jeho spodvižniki*, Kiovia, t. I. (a. 1883), t. II. (a. 1893); HARASIEWICZ M., o. c., p. 445-448.

(26) PETRUŠEVYČ A., *Dopolnenije* ..., t. I, p. 148; ZUBRZYCKI D., *Chronika miasta Lwowa*, p. 267-271; - Legatio vero disunitorum die 31 Novembris advenit (Cfr. RYŽEVSKYJ V., o. c., p. 169), ast Synodus iam die 28 Novembris revocata fuit.

(27) Celebratio talis Synodi a S. Congregatione de Propaganda Fide prohibebatur; Cfr. RYŽEVSKYJ V., o. c., p. 166 sq.; KRYPJAKEVYČ I., o. c., p. 12 sq.

(28) In confirmatione privilegii pro schola et typographia Confraternitatis Staupigianae Leopoliensis E. Hieremias Tyssarovskij sese nominat *Exarcha Patriarchae Constantinopolitani*. Cfr. PETRUŠEVYČ A., *Dopolnenije* ..., t. I, p. 154.

(29) *IBID.*, p. 173.

(30) *IBID.*, p. 217; RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 36; AKZR, t. IV, n. 234, p. 529.

(31) Nuntius Apostolicus in Polonia in suis litteris de die 18. XI. 1607 ad Secretariam Status scriptis notificavit, quod Eustachius promittebat consecrationem episcopalem ab Episcopis catholicis accipere. De denegatione iuramenti ita scribeba

In Episcopi Eustachii funere clerus, nobiles, sociique Confraternitatis stauropigianae Leopoliensis adunati, eodemque die in successorem virum vix 24 annorum natum, Andream Zeliborskyj in Episcopum Leopoliensem elegerunt (32). Cum haec electio absque licentia Metropolitae et non in Ecclesia Cathedrali facta fuisset, Petrus Mohyla, Metropolita Kioviensis non-unitus, electionem confirmare renuit ac novam electionem pro die 5 Aprilis eiusdem anni in Ecclesia Cathedrali indixit. Attamen et hac secunda vice Andreas Zeliborskyj maiorem numerum suffragiorum obtinuit (33) et, privilegio regio obtento, vitam monasticam inivit, in qua nomen Arsenii assumpsit, ac prima medietate mensis Novembris 1641 Luceoriae, ab Episcopo eiusdem civitatis, in Leopoliensem Episcopum consecratus fuit (34).

Eodem tempore, quo dissidentes electione successoris defuncti Tyssarovskyj occupati erant, catholici et ipsi de electione in vacantem sedem Episcopi catholici cum Rege Archiepiscopoque Leopoliensi ritus latini pertractabant. Huius pertractationis nullus auctorum hucusque mentionem fecit; A. G. Welykyj (35), brevi commentario praemisso, spem reviviscentiae Unionis Eparchiae Leopoliensis ad tempora Episcopi Leopoliensis Josephi Szumlanskyj distulit, sub quo haec spes revera felicem exitum obtinuit (36).

Notitia de novis conaminibus Hierarchiae Catholicae ucrinae ad unien-dam Eparchiam Leopoliensem, ad S. Congregationem de Propaganda Fide probabiliter post factum pervenit, nam S. Congregatio in litteris ad Metropolitam Antonium Sielava et Provincialem Ordinis S. Dominici in Polonia de hoc negotio tamquam de facto iam secuto notitias exquirat (37). In sua responsione Metropolita S. Congregationi notam fecit instantiam apud Regem Poloniae factam, a quo et litterae intercessoriae ad Archiepiscopum Leopoliensem latini ritus obtentae erant, ut Eparchiam Leopoliensem candidato ritus graeci catholico conferret, cui et candidatum misit. Attamen, qua de

«In una sol cosa non sono stato restato sodisfatto, che non ha voluto giurare *con tutta la fatica*, che ci abbia fatta»; WELYKYJ A., *Prima Unio* ..., p. 564.

(32) APF, *Scritt. rif. n. Congr. Generali*, vol. 61, f. 56 rv; RUDOVYČ J., *Ist. Hal-Lviv. Epar.*, p. 36; PETRUŠEVYČ A., *Dopolnenije* ..., t. I, p. 217.

(33) Secundus candidatus Daniel Balaban fuit. Cfr. PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. I, p. 87-88; PETRUŠEVYČ A., *Dopolnenije* ..., t. I, p. 218.

(34) PETRUŠEVYČ A., *Dopolnenije* ..., t. I, p. 218.

(35) WELYKYJ A., *Prima Unio* ..., p. 555.

(36) His vero verbis illustrat: «Ita post unum annum (14. XI. 1607 - 15. XI. 1608 spes unionis Eparchiae Leopoliensis omnino evanuit, non tamen, ut videtur, inutilis fuit; nam iam post 70 annos spes illa iterum reviviscit, ut tandem post alios triginta annos ad finem felicem deduceretur (1700), quando Eparchia Leopoliensis in Unitatem Ecclesiae Catholicae venit suamque gloriosam bis centenariam historiam inchoavit». *IBID.*

(37) APF, *Scritt. rif. n. Congr. Generali*, vol. 61, f. 56rv. f. 62-63.

causa Archiepiscopus eiusmodi catholicorum instantiam respuit, respondere nescit (38). Responsionem hanc in relatione contemporanea Fratrum Ord. S. Dominici habemus. De rationibus simoniacis, ut scribunt, agebatur, cuius rei « publica vox et fama est » (39). Pars non unita pecuniam, unita vero solum conscientiae puritatem obtulit (40). Hac de tristi causa etiam hac vice spes unionis evanuit.

De persona Arsenii pauca nota sunt. Anno 1646 Cracoviam ad Regem profectus fuit, ut contra unitos de occupatione ecclesiarum per oppida (41) ageret. Fontium penuria de eius activitate bello polono-ucraino (42) explicatur. Decursu durae longaeque civitatis Leopoliensis a Bohdano Chmelnickij obsidionis (a. 1648) positio Arsenii sat molesta fuit, dum de collusionem cum Chmelnickij suspectus erat (43), de qua re postea contrarium patuit (44). Ipse cum fratre suo Adamo tamquam legati Regis Ioannis Casimiri plura ad pacem Hadiacensem anno 1658 cum hetmano ucraino Ioanne Vyhovskij ineundam contulerunt, qua de causa Rex magnis honoribus eum exornavit (45).

Post mortem Arsenii Zeliborskyj die 18 Septembris 1662 in successorem eius frater Adamus electus fuit (46), qui in vita monastica Athanasii nomen sumpsit (47). Usque ad electionem in Episcopum saecularis erat. Cum vero Dionysius Balaban, Metropolita Kioviensis non unitus (a. 1663) vita functus sit (48), cives Provinciae Kioviensis et Lithuaniae legatique Confraternitatis Stauropegiana Leopoliensis in unum congregati, ut novum Metropolitam Kioviensem non unitum eligerent, in diversas abierunt partes, duos elegerunt Metropolitas. Nobilitas enim Kioviensis et Lithuaniae necnon exercitus cosacorum Episcopum Mohiloviensem, Josephum Nelubovyč-Tukalskyj, alii vero Antonium Vynnyckyj, Episcopum Peremysliensem, in Metropolitam ele-

(38) IBID., f. 56rv; Cfr. WELYKYJ A., *Acta S. C. de Propaganda Fide Ecclesiam Catholicam Ucrainae et Bielarusjae spectantia*, Romae 1953, vol. I, n. 315, p. 180.

(39) APF, *Scritt. rif. n. Congr. Generali* vol. 61, f. 62-63.

(40) IBID.

(41) PETRUŠEVYČ A., *Dopolnenije ...*, t. I, p. 233-234.

(42) RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 36.

(43) IBID., Cfr. WOJCIECKI K., *Pamiętniki do panowania Zygmunta III, Władysława IV ...*, t. II, p. 31-32.

(44) RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 36.

(45) IBID.

(46) Ipsi Rex Eparchiam Leopoliensem promisit ob meritum legationis, quam cum suo fratre Arsenio, Episcopo Leopoliensi, apud cosacos cum fructu Reipublicae adimplevit. Cfr. PETRUŠEVYČ A., *Dopolnenije ...*, t. I, p. 395.

(47) IBID., p. 423; RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 36.

(48) SZARANIEWICZ I., *Patriarchat Wschodni*, in « *Rozprawy i sprawozdania z posiedzen wydziału historyczno-filozoficznego Akademiji umiejtnosci* », t. X, p. 25.

gerunt (49). Hac de causa Rex neoelecto ac consecrato Episcopo Leopoliensi Athanasio Zeliborskyj administrationem Metropolitae Kioviensis non-unitae commisit (50). Ipse primus erat qui, cum linguae ucrainae non sat gnarus, in suis litteris linguam polono-latinam loco palaeoslavo-ucrainae adhibuit (51). Administratio tamen Ecclesiae Leopoliensis ab Athanasio brevis erat, nam iam anno 1666 de vivis decessisset.

Cum Antonius Vynnyckyj in Metropolitam Kioviensem electus fuisset, Gregorius Hošovskij Eparchiam Peremysliensem obtinuit. Sed Kioviā non admissus, revera sine ulla remansit Eparchia (52). Inde post mortem Episcopi Leopoliensis, Athanasii Zeliborskyj, Antonius Vynnyckyj omnia fecit, ut administrationem vacantis Eparchiae a Rege obtineret, quam de facto obtinuit, ut ex litteris eius ad Confraternitatem Stauropigianam Leopoliensem scriptis patet (53). Nobiles tamen Leopolienses extraneum ex dioecesi Peremysliensi, de bonis Eparchiae Leopoliensis disponentem, recipere noluerunt; Antonius, huius malae voluntatis conscius, curam de electione Episcopi Leopoliensis praeseferebat, revera tamen administrationem quam diutius tenere intendebat et electionem Episcopi procrastinabat (54).

Confraternitas autem Leopoliensis, acceptis litteris Metropolitanae, (55) pro die 22 Octobris 1666 comitium convocavit Sociorum Leopoli degentium, qui delegationem, ut melius circa electionem Episcopi informarentur, ad Metro-

(49) Post electionem duorum Metropolitanarum, uterque approbationem ab Orientalibus Patriarchis exquirebat. Ita A. Vynnyckyj, mediante Sultano turcarum, a Nectario Patriarcha Hierosolymitano anno 1667 approbationem accepit, at iurisdictionem suam solum in has Eparchias, quae eius institutionem ut validam agnoscebant, extendere potuit (Cfr. *IBID.*, 28-30; PELESZ J., *o. c.*, t. II, p. 282); Josephus Nelubovyč-Tukalskyj vero, etiamsi electio eius a Rege pro irrita habebatur, confirmationem (6. III. 1668) a Methodio Patriarcha Constantinopolitano obtinuit. Cfr. PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. I, p. 151; SZARANIEWICZ I., *Patriarchat ...*, p. 29; PELESZ J., *o. c.*, t. II, p. 282-283.

(50) Athanasius, probabiliter, ab Episcopis pro electione Metropolitanae Kioviae adunatis consecratus fuit. Cfr. SZARANIEWICZ I., *Patriarchat ...*, p. 27; PELESZ J., *o. c.*, t. II, p. 282.

(51) PETRUŠEVYČ A., *Dopolnenije ...*, t. I, p. 423, p. 430; RUDOVYČ J., *Ist. Hal. Lviv. Epar.*, p. 36.

(52) ARJZR, P. I, t. X, n. 103, p. 251; ANDRUSIAK M., *Borotba za epyskopsku katedru*, in « *Analecta OSBM* », t. VI, fasc. 1-2, Leopoli 1935, p. 86.

(53) ANDRUSIAK M., *Borotba ...*, p. 86 et n. 2; RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 37.

(54) ANDRUSIAK M., *Borotba ...*, p. 86.

(55) Has litteras Metropolita, die 7 Septembris 1666 de Urož scriptas, ad Confr. Staurop. Leopoliensem misit, in quibus de administratione Eparchiae Leopoliensis a Rege obtenta ac de proxima electione Episcopi notificavit. Cfr. *IBID.*, p. 86; ARJZR, P. I, t. X, n. 238, p. 636-637.

politam miserunt (56). Pro electione Episcopi Leopoliensis in diem 14 Novembris Comitium Leopolim convantum statuitur, sed Metropolita diem comitiorum indicare omisit; qua de causa praedicto die ob numerum insufficientem electorum electio locum habere non potuit (57) et alius terminus pro electione Episcopi, die 7 Decembris, indicebant et novam delegationem elegerunt (58), quae a Metropolita novas litteras convocatorias expostulavit (59). Nova electio, probabiliter, a Metropolita pro die 7 Decembris indicta fuit, sed congregati in illa nihil fecerunt, quia servi Metropolitae hanc electionem Leopoliensis Episcopi impedierunt (60); quare Nobiles, relictis Leopoli, Haliciae congressi sunt et in Episcopum Leopoliensem Ioannem Szumlanskyi (61), commilitonem regium cohortis loricatae elegerunt (62).

Cum autem Ioannes Szumlanskyj confirmationem a Metropolita sperare non potuisset, ad Archiepiscopum Leopoliensem latini ritus, Ioannem Tarnowski, sese contulit, ut cum auxilio eius atque quorundam Senatorum aliorumque, qui magno apud Regem fruebantur honore, virorum, privilegium a Rege obtineret (63). Metropolita Antonius cedere noluit, idcirco cives Eparchiae Leopoliensis contra Ioannem Szumlanskyj, tanquam unitum, excitavit, ac eadem de causa litteras ad Confraternitatem Stauropigianam Leopoliensem

(56) Delegationem sex socii Confr. Staurop. Leopoliensis, et quidem: Mazarakij, Korendovyč, Afendyk, Zurakivskyj, Alvisius et Gregorius Rusynovyč, componebant. Cfr. ANDRUSIAK M., *Borotba* ..., p. 87.

(57) IBID.

(58) Electi erant: Alexander Szumlanskyj et Andreas Kropyvnyekyj.

(59) ArJZR, P. I, t. XI, p. 255; Cfr. ZUBRYCKYJ I., *Litopys lvivskoho Stavropihijskoho bratstva*, in « *Vremennyyk Stavropihijskoho Instytutu* », Leopoli 1926, p. 174; PETRUŠEVYČ A., *Dopolnenije* ..., t. I, p. 438.

(60) ArJZR, P. I, t. X, n. 94, p. 210; ANDRUSIAK M., *Borotba* ..., p. 87.

(61) ANDRUSIAK M., *Borotba* ..., p. 87-88.

(62) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. I, p. 150; - Joannes Šumlanskyj in iuvenili aetate ad militarem ordinem polonorum accessit, ac inde ab anno 1660 partes activas in bellis habuit (Cfr. ArJZR, P. I, t. X, n. 90, 202; LISIEWICZ Z., *Walka o biskupstwo, epizod z dziejów Kościoła Wschodniego*, p. 2 sq.). Attamen, etiamsi familia eius quam maxime origine orthodoxa erat, sub influxu conversationis cum polonis, tempore vitae militaris, ad res Ecclesiae disunitae spectantes indifferens factus est, quae indifferentia quoque sub influxu uxoris latini ritus (Olena Jablonski) augeri debuit. Haec vero omnia in contentione cum Ioanne Šumlanskyj Metropolitae A. Vynnyckyj arma constituebant. Huic autem assertioni, quod Ioannes Šumlanskyj catholicus erat, fidem dare non possumus, tum quia eius socii tamquam firmum disunitum eum esse affirmant (Cfr. ArJZR, P. I, t. X, n. 91, p. 203-206), tum quia eius praesentia in comitio die 14. XI. 1666 (Cfr. IBID., t. XI, p. 255-256), assertioni Metropolitae opponitur.

(63) IBID., t. X, n. 102, p. 251; - In dicto privilegio actus heroiei I. Šumlanskyj in bellis exaltabantur, pro quibus Eparchiam Leopoliensem assecutus est. Cfr. IBID., n. 90, p. 201-203; LISIEWICZ Z., *o. c.*, p. 4.

die 5 Aprilis 1667 scripsit, in quibus de illegali electione Szumlanskyj, inscio Metropolita, deque privilegio regio in favorem Ioannis Szumlanskyj lato multum tractabat.

Ioannes autem in monasterio Krechoviensi coram Nobilitate ostentative et cum frequenti populi consursu habitum religiosum induit. Consecrationem sacerdotalem vero die 4 Novembris 1667 a Gedeone Czetvertynskyj, Episcopo Luceoriensi, obtinuit (64), pro episcopali autem extra confines Regni proficisci debuit, cum Metropolita Antonius Vynnyckyj eam ei denegaret (65). Hac de causa Moldaviam, ad civitatem Jassy, sub fine anni 1667 est profectus (66). Ibi autem non solum consecrationem non obtinuit, imo etiam fugere debuit, cum iam prius legati Metropolitae Antonii ipsum accusarent et «Unitum» ipsum vocarent simulque exigebant, ut comprehendatur et Constantinopolim mittatur, ut puniretur (67). In dicta civitate Szumlanskyj duos Metropolitas graecos invenit (68), quos ad suam Eparchiam vocavit et die 10 Februarii 1668 in ecclesia S. Nicolai in vico Vysočky, in praesentia numerosae Nobilitatis, Cleri ac fidelium in Episcopum «civitatum Leopoliensis, Haliciensis et Camenecensis» consecratus fuit (69).

Tempore quo Ioannes, in vita monastica Iosephus, Moldaviae commorabatur, Metropolita die 31 Decembris 1667 Cathedram Leopoliensem vi occupavit (70) et Nobilitatem Iosepho faventem ope electionis ex eis Episcopi Leopoliensis abducere conabatur, quam electionem die 21 Ianuarii 1668, in qua Eustachius Svistelnyckyj electus erat (71), ad effectum perduxit, qui die 5

(64) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. I, p. 149-150; ANDRUSIAK M., *Borotba ...*, p. 92-93; - In vita monastica Ioannes Sumlanskyj nomen Iosephi sumpsit.

(65) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. I, p. 150; Cfr. ArJZR, P. I, t. X, n. 277, p. 767; ANDRUSIAK M., *Borotba ...*, p. 95-96.

(66) LISIEWICZ Z., *o. e.*, p. 8; LOZINSKI, *Prawem i lewem*, t. I, p. 379.

(67) ArJZR, P. I, t. X, n. 96, p. 217; Cfr. LISIEWICZ Z., *o. e.*, p. 8; LOZINSKI, *o. e.* t. I, p. 380; ANDRUSIAK M., *Borotba ...*, p. 96.

(68) Metropolitatum nomina Sophronius et Theophanes erant, et de eis videas: ANDRUSIAK M., *Borotba ...*, p. 97.

(69) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. I, p. 328-330; AkZR, t. V, n. 70, p. 113-114; Textus non plenus, magna enim pars omissa, etiamsi de hoc non notatur; plenum textum autem apud PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. I, p. 328-330, invenies.

(70) ArJZR, P. I, t. X, n. 96, p. 218; ANDRUSIAK M., *Borotba ...*, p. 98 et n. 3.

(71) ANDRUSIAK M., *Borotba ...*, p. 99; ZUBRYCKYJ I., *Litopys ...*, p. 178; - Viri litterati antiquioris aetatis, ut: ZUBRYCKYJ I., *Litopys ...*, p. 174, p. 177; HARASIEWICZ M., *o. e.*, p. 462; PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. I, p. 583 et *Dopolnenije ...*, t. I, p. 438; SZARANIEWICZ I., *Patriarchat ...*, p. 32; PELESZ J., *o. e.*, t. II, p. 283; FRANKO I., *Josyf Sumlanskyj, poslidnyj pravoslavnyj Epyskop lvovskyj i jeho «Metryka»*, in «*Kijevska Staryna*», t. 33, p. 340, erronee asserebant, quod Iosephus Sumlanskyj et Eustachius Svistelnyckyj eodem tempore candidati in Episcopatum Leopoliensem erant. Attamen decursu anni 1667 certamen pro Leopoliensi Cathedra inter Antonium et Ioannem

Martii, operante Antonio, regium privilegium obtinuit (72). Josephus vero die 10 Martii Leopolum reversus, sedem episcopalem occupare impeditus fuit; quare subsequenti mense (17.IV.) cum suis fautoribus, armata manu, ecclesiam Cathedralis S. Georgii occupavit (73). Victi vero, ne in futurum totaliter vincerentur, quamprimum Eustachium, in vita monastica Hieremiam, Svistelnickij consecrare statuerunt, quod in ecclesia Confraternitatis Leopoliensis a Metropolita die 10 Maii 1668 factum est (74). Metropolita Antonius Vynnyckij Josephum excommunicatione ligavit (75), a qua ab alio Metropolita, Josepho Tukalskyj, a Patriarcha Constantinopolitano approbato (76) absolutionem obtinuit (77). Brevi tempore, quia iam die 26 Junii eiusdem anni, Josephus a Rege revocationem privilegii Hieremiae, de die 5 Maii, procuravit, necnon confirmationem sui privilegii obtinuit (78). Post Ioannis Casimiri Regni abdicationem (16.IX.1668) (79), neoelectus Rex (2.V.1669) Michael Korybut Wiszniowiecki brevi temporis spatio tum uno tum altero Eparchiam Leopoliensem, novis datis privilegiis, concessit et ita contentiones de eius possessione magis adhuc inflammavit.

Hoc eodem tempore dux cosacorum Petrus Dorošenko protectionem turcarum accepit, unde bellum inter utramque partem exarsit (1672), in quo arx et civitas Camenecensis in Podolia, ubi sedes erat Eparchiae, in dominium venit turcarum. Dictum bellum nonnisi pace Bučačensi finem habuit (80). Post mortem regis M. Wiszniowiecki (10.XI.1673) certamina de Eparchia ad finem inclinari coeperunt, nam in Regem Poloniae, die 9 Maii 1674, amicus

habetur, de Eustachii partibus in hoc certamine, ante eius electionem, quae die 21 Ianuarii 1668 locum habuit, nulla mentio habetur. Cfr. ANDRUSIAK M., *Borotba ...*, p. 85-98.

(72) ArJZR, P. I, t. X, n. 95, p. 212; ANDRUSIAK M., *Borotba ...*, p. 102-103.

(73) HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 462; Cfr. ArJZR, P. I, t. X, n. 100, p. 233: - protestatio Metropolitanae A. Vynnyckij.

(74) ZUBRYCKYJ I., *Litopys ...*, p. 175; PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. I, p. 153; ANDRUSIAK M., *Borotba ...*, p. 108.

(75) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. I, p. 152; ANDRUSIAK M., *Borotba ...*, p. 108.

(76) AkZR, t. V, n. 71, p. 114: - litterae Methodii Patriarchae Constantinopolitani, de die 16. III. 1668.

(77) *IBID.*, n. 72, p. 116; LISIEWICZ Z., *o. c.*, p. 20: - erronee interpretat verba « i duchovnym čyna svojego, mirstiji že ljudije vsich dobrodijstv cerkovnych i svjatyh sakramentov čuždy budete », cum dicit: « Tukalski oswiadcza, že klatwa nan (hoc est in J. Šumlanskyj) žucona jest niesprawiedliwa i nieobowiazujaca » Cfr. PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. I, p. 330; SZARANIEWICZ I., *Patriarchat ...*, p. 37.

(78) SZARANIEWICZ I., *Patriarchat ...*, p. 35 et n. 2.

(79) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. I, p. 153, p. 599; PETRUŠEVYČ A., *Dopolnenije ...*, t. I, p. 449, p. 454.

(80) BOBRZYNSKI M., *Dzieje Polski w zarysie*, ed. V, Hiercsolymis 1944, t. II, p. 196.

et protector Josephi Szumlanskyj, Ioannes Sobieski electus fuit (81), qui plura decreta, inde a die 16 Septembris 1674, in favorem Josephi Szumlanskyj edidit (82), ac Cracoviae, die 6 Februarii 1676, in Comitibus generalibus Regni Josephum in Eparchia Leopoliensi confirmavit, Hieremiam vero pro semper ab hac dignitate amovit (83). Anno vero sequenti (25.V.1677) Tribunal Lublinese in Hieremiam poenam infamiae inflixit (84).

Maximus fructus pastoralis activitatis Josephi Szumlanskyj est unio Eparchiae Leopoliensis, de qua inde a sua electione in Episcopum Leopoliensem, probabiliter, cogitabat. Exinde fortasse accusationes partis adversae originem habent (85), necnon auxilium et favor Archiepiscopi Leopoliensis latini ritus. Iosephus Unioni, cum inter catholicos morabatur, inclinatus fuisse videtur, tamen ob temporis circumstantias (86) intentionem suam revelare nolisset; quae res solidae praeparationis et longioris temporis exigebat, inde Iosephus hoc tempore non unitus mansit.

Quemdam influxum in unionem Josephi Rex Ioannes Sobieski habuit, rationibus politicis ductus. Proinde Iosephum ad summam in Hierarchia non unita dignitatem promovere studuit. Die 10 Martii 1675 Rex administrationem Metropoliæ Kioviensis (87) et post mortem Episcopi non uniti Mohyloviensis, Theodosii Vasylevyč, quaedam bona istius Eparchiae Iosepho contulit (88). Post mortem vero Antonii Vynnyckyj (14.XII.1679) Rex iterum Iosephum in Administratorem Metropoliæ Kioviensis nominavit (89); die

(81) Iosephus Szumlanskyj adhuc in statu militari Ioanni Sobieski familiaris erat. Iam sub Rege Michaële Wiszniowiecki Ioannes Sobieski die 4 Junii 1673 Administrationibus bonorum suorum in litteris notificavit, ut solum Iosephum pro legitimo Episcopo Leopoliensi haberent. Cfr. ANDRUSIAK M., *Borotba ...*, p. 132; PETRUŠEVYČ A. *Sv. Lit.*, t. I, p. 623.

(82) ANDRUSIAK M., *Borotba ...*, p. 132-134; RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 38-41; Cfr. ArJZR, P. I, t. X, nn. 187, 188, 260, pp. 469, 470, 723.

(83) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. I, p. 631; ŠARANEVYČ I., *Josyf Szumlanskyj ruskij epyskop Lvovskij (1667-1708)*, Leopoli 1896, p. 154.

(84) ANDRUSIAK M., *Borotba ...*, p. 133. Mortem I. Svistelnyckyj I. ZUBRYCKYJ (*Litopys*, p. 184) et J. PELESZ (o. e., t. II, p. 338) ad annum 1676 referunt.

(85) Adversarii J. Szumlanskyj de catholicitate, ac si ipse formaliter fidem catholicam suscepisset, accusabant.

(86) Bellum inter Cosacos et Regnum Poloniae denuo exortum fuit: inde in pace inita inter utramque partem, Ecclesia non unita novis donata fuit privilegiis novumque accepit vigorem. Unde difficile et periculosum erat quidquam de dilatatione Unionis agere.

(87) ArJZR, P. I, t. X, n. 260, p. 723; SZARANIEWICZ I., *Patriarchat ...*, p. 38.

(88) Dieta autem bona erant: « Grodek, Obarow, Suleniec (sic), Peczersk, Borsuki, Tarasowicze, Dzieciolowicze ». PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. I, p. 191.

(89) PETRUŠEVYČ A., *Dopolnenije ...*, t. I, p. 576; RUDOVYČ J., *Ist. Hal. - Lviv. Epar.*, p. 39.

vero 6 Februarii 1684 Archimandriam Kievo-Pečerensem, post mortem Archimandritae Innocentii Gizel, Josephus obtinuit (90). Sua potestate atque auctoritate Josephus Szumlanskyj in favorem Unionis utebatur. Imo, Episcopus disunitos: Peremysliensem — Innocentium Vynnyckyj (91) et Luceoriensem - Gedeonem Czetvertynskyj (92) ad gremium Ecclesiae Catholicae perducere conabatur. Qua de causa cum dictis Episcopis atque magnae auctoritatis viris, tum ex Nobilitate et Clero, quum ex Confraternitatibus pertractabat, necnon in visitatione suae Eparchiae tam Clerum quam fideles ad hunc actum praeparabat. Initio anni 1677 Josephus Varsaviam iter fecit, ubi die 7 Martii in manus Metropolitae Cypriani Zochovskyj, praesente Rege Ioanne III Sobieski, professionem fidei catholicae emisit, quod ex eius litteris ad Romanum Pontificem Innocentium XI scriptis elucet (93), de qua re Nuntius Apostolicus in Polonia, Martelli, a Metropolita unito Kioviensi edoctus, relationem S. Congregationi de Propaganda Fide misit (94). Romanus Pontifex vero de emissa Episcopi Leopoliensis catholicae professionis fidei certior factus, tum Metropolitae catholico Kioviensi Cypriano Zochovskyj, quum ipso Josepho Szumlanskyj, die 11 Septembris 1677 litteras gratiarum

(90) PETRUŠEVYČ A., *Dopolnenije ...*, t. I, p. 630; RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 39.

(91) Post mortem Antonii Vynnyckyj a. 1679 in cathedram Peremysliensem nepos Antonii, Innocentius Vynnyckyj, a Josepho Šumlanskyj cum adristentia Episcopi Mukačoviensis Josephi Vološynovskyj et Archimandritae Unioviensis Barlaami Sepetyckyj in Krylos, die 21 Novembris 1680, consecratus est. Cfr. PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. I, p. 197.

(92) Episcopus Luceoriensis anno 1684 suam Eparchiam, ob persecutiones catholicorum, ut ipse ad Mosquensem Patriarcham Joachimum scribebat, (Cfr. PETRUŠEVYČ A. *Dopolnenije ...*, t. I, p. 632-633), reliquit. Subsequente autem anno ipse in Metropolitam Kioviensem nominatus est, Luceoriensem vero Eparchiam J. Šumlanskyj obtinuit. Anno autem 1687 frater Josephi, Athanasius, pro Eparchia Luceorierzi institutus est.

(93) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.* t. I, p. 185; in dicta epistula legimus: « Hanc meam conversionem post Deum deberi S. R. Majestati ..., coram qua majestate et interveniente simul Ill.mo et R.mo Domino Cypriano Zochowski Metropolitano ..., iam pastore meo *professionem fidei emisi, subscripsi*, et ad manus eiusdem Ill.mi D.ni Metropolitani tradidi. Expedi tamen ... donec aliqua monasteria meae dioecesis industria apostolica capiam, occultum me, sed verum et realem Sanctitatisque V. obredientissimum geram filium ». *IBID.*, p. 634; Cfr. THEINER A., *Vet. Mon. Pol. et Lit.*, t. III, n. 670, p. 650-651.

(94) « Ho poi sentito dal Metropolita che il Pseudovescovo di Leopoli in presenza del Re ha fatto ultimamente la professione della fede in mano dell'istesso Mons. Metropolita e che s'è protestato d'esser sempre stato cattolico, benché occulto, con intenzione di ridurre opportunamente il suo gregge alla nostra Santa Fede, che pensa fra qualche tempo di perfezionare quest'opera, per la quale in tanto gli conviene di non palesarsi cattolico, onde bisogna che non si pubblichi l'atto della professione che ha fatto, havendo

actionis et congratulationis dedit (95). In litteris ad Josephum directis propositum, ut aliquo tempore conversionem celaret, reprobatur, quia « ad Orthodoxae Ecclesiae incrementum magis conducit Praesulum dotes super candelabrum lucere, quam abscondi sub modio », quocirca necesse erit « palam te profiteri, quod tanta cum laude tua fecisti, apertisque studiis de re catholica bene mereri » (96).

Brevi post professionis catholicae fidei emissionem ad suam Eparchiam reversus, strenue de Unione adlaborat, in quo opere eum Theophilus Rutka S. J. (97) et Carolus Mauritius Vota S. J. (98) multum iuvarunt. Imprimis necessum erat de educatione Cleri curare (99). Fideles vero, visitatione canonica instituta, ad unionem accipiendam parabat (100).

Rex vero, ut Unionem acceleraret, s. d. Colloquium Lublinense indixit (101). Ad Comitium Lublinense tota Hierarchia unita venit (102), ex non unitis vero, praeter numerosam delegationem Leopoliensem, pauci advenrunt (103). Non uniti huic conventui opponebantur, missaque Varsaviam delegatione, asserebant se inscio atque invito Patriarcha Constantinopolitano pertractationibus participare non posse (104).

Hanc ob causam Colloquium, re infecta, imo, neque incoepta ad diem 24 Junii eiusdem anni translatum fuit (105).

anche soggiunto che a suo tempo vuol portarsi a Roma ai piedi di Nostro Signore ». ASV, N. P., vol. 95, f. 116.

(95) WELYKYJ A., *Documenta* ..., vol. I, nn. 597, 598, p. 640-642; PELESZ J., *o. c.*, t. I, p. 336-341.

(96) WELYKYJ A., *Documenta* ... , vol. I, n. 598, p. 641-642; - Ob circumstantias temporis Unionem occultare voluit, ut totum gregem ad ovile Christi perduceret.

(97) ZALESKI ST., *Czy Jezuiti zgubili Polske*, t. I, p. 404-405; MARUSYN M., *Die Vereinigung der Peremyssler und Lemberger Eparchien mit dem Apostolischen Stuhle*, (Dissertatio ad Lauream in Pont. Inst. Orient. Stud., nondum edita), Romae 1951, p. 59, n. 2.

(98) RUDOVYČ J., *Unija v l'vivskij Eparchiji*, Leopoli 1900, p. 24-25; ZALESKI ST., *o. c.*, t. I, p. 404-405.

(99) Pro educatione cleri librorum editionem curavit, et iam anno 1680 librum cuius titulus « *Zerkalo* » (Speculum) typis edidit. Cfr. ANDRUSIAK M., *Jozef Szumlanski pierwszy biskup unicki lwowski (1667-1708)*, Leopoli 1934, p. 140-141.

(100) RUDOVYČ J., *Unija* ..., p. 28, p. 33.

(101) KOJALOVIC M., *o. c.*, t. II, p. 224-226; PETRUŠEVYČ A., *Dopolnenije* ..., t. I, p. 587; Cfr. ARJZR, P. I, t. IV, n. 17, p. 31-32; ASV, N. P., vol. 97, f. 633.

(102) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. I, p. 201.

(103) ANDRUSIAK M., *Jozef Szumlanski* ..., p. 81-82.

(104) *IBID.*

(105) ASV, N. P., vol. 98, f. 114; APF, *Co-greg. Part.*, vol. 25, f. 122; ANDRUSIAK M., *Jozef Szumlanski* ..., p. 82; PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. I, p. 640; THEINER A., *Vet. Mon. Pol. et Lit.*, t. III, n. 690, p. 675.

Sed tamen causa Unionis, post insuccessum Colloquii Lublinensis, ad acta deposita non fuit, nam iam post unam hebdomadam Josephus cum Rege in civitate Javoriv (106) convenit, ubi statuta erat unio Episcoporum Leopoliensis, et Peremysliensis, anno sequenti promulganda (107). Hunc tamen actum consecratio Innocentii Vynnyckyj in Episcopum praecedere debuit, nam tali in casu tota Eparchia ad Unionem adduci poterat (108). Subsequenti vero anno (1681), in Comitiiis generalibus Varsaviae habitis (109), de Unionis Episcoporum Leopoliensis Peremysliensisque tractabatur, in quibus clausulae (110) unionis praesentatae ac in latinum traductae Romam missae sunt (111). Sub fine vero Martii (26. III. 1681) in palatio regio Episcopi, Leopoliensis et Peremysliensis necnon Archimandritae, Unioviensis Barlaam Szeptyckyj et Ovrucensis Sylvester Tvorovskyj, in manus Nuntii Apostolici Francisci Martello, legatis regiis praesentibus (112), professionem fidei emiserrunt (113). Neo-uniti vero die 27 Martii Innocentium PP. XI de eorum ad Ecclesiam Catholicam reditu certiores fecerunt (114), quos Metropolita Cyprianus Zochovskyj et Jacobus Suša, Episcopus Cholmensis, die 30 Martii, Summo Pontifici commendabant, atque exposcebant permissionem fundandi Seminarium ad Monasterium Zyrovicense cum typographia slavica (115). Roma-

(106) De his cum Rege tractationibus Episcopus Leopoliensis Metropolita catholico, Cypriano Zochovskyj litteris (20. IX. 1680) notificavit. Cfr. ArJZR, P. I, t. IV, n. 20, p. 37-38; PETRUŠEVYČ A., *Dopolnenije ...*, t. I, p. 587-588.

(107) APF, *Congr. Part.*, vol. 25, f. 161v.

(108) « Nam difficile est ut ego unicus sine nominato (Innocentio Vynnyckyj) me declararem: Dominus vero Nominatus impossibile est ut sese ante consecrationem declararet, non firmata nimirum in obsequium Dioecesi. Proinde hoc medium ad fundamentum suae unionis stabilitatem video; ut rempe prius ille consecratur, factus deinde Episcopus insimul mecum sive in futuris Comitiiis sive ubique R. M. V.ra vcluerit in unum congregati locum una cum aliis spiritualibus nos declaremus ». APF, *Congr. Part.*, vol. 25, f. 160rv.

(109) Comitiiis generalia Varsaviensia die 10 Ianuarii 1681 initium habuerunt, ad quae tota Hierarchia catholica ucraina necnon et Episcopi: Leopoliensis et Peremysliensis simulque Archimandrita Unioviensis B. Šeptyckyj et Ovrucensis S. Tvorovskyj convenerunt. Cfr. Litterae Pallavicini, de 26. V. 1681, ad Card. Secret. Status; ASV N. P., vol. 99, f. 204.

(110) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. I, p. 199-200, p. 642-645 et *Dopolnenije ...*, t. I, p. 591-593.

(111) APF, *Scrutt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 2, f. 82-83; Cfr. PELESZ J., *o. e.*, t. II, p. 338-339. - In lingua polono-latina invenies apud PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. I, p. 199-201 et latinus textus adhuc in *Dopolnenije ...*, t. I, p. 594-597, eiusdem Auctoris.

(112) PETRUŠEVYČ A., *Dopolnenije ...*, t. I, p. 591 sq.; PELESZ J., *o. e.*, t. II, p. 339.

(113) RUDOVYČ J., *Epys. Šept.*, in « *Bohoslovskij Včstnyk* », t. II/A. 1901, p. 113; PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. I, p. 199.

(114) THEINER A., *Vet. Mon. Pol. et Lit.*, t. III, n. 695, p. 677-678.

(115) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. I, p. 612.

nus vero Pontifex brevi tempore in suis litteris ad Neo-unitos, de eorum cum vastissimis Eparchiis ad gremium Ecclesiae Catholicae reditu, congratulatur (116).

Episcopi, domum reversi, proclamationem Unionis parabant; quae praeparatio ab Innocentio annos decem (117), ab Josepho vero plusquam duplex annorum tempus requirebat. Cum de hac intentione Episcopi ad fideles pervenerat notitia, actio contraria initium habuit, in qua Confraternitates et Monasteria maiorem partem habuerunt.

Procrastinatio Unionis Eparchiae Leopoliensis ex causa vicinitatis cum territoriis in domino Moscoviae manentibus necnon vicissitudinum politicarum (118) evenit.

Josephus enim Szumlanskyj totum fere vitae suae tempus partem in rebus politicis Regni habuit, tum ante, tum etiam post fidei professionem. Hic, ex. gr. cum duce cosacorum Petro Dorošenko pertractabat (1672), Regem in bello cum turcis tartarisque comitabat (1676), et partem in liberatione Vindobonae (1683) habuit (119) ac demum etiam cum duce cosacorum Joanne Samojlovyč agebat.

His de causis immensibus honoribus et favoribus a Rege et ducibus Regni cumulatus erat (120). In pertractationibus autem cum Ioanne Mazepa, duce cosacorum (a. 1687-1709), cum quaedam inscio Rege fecerat, in quamdam suspicionem prolapsus est, a qua tamen suo ingenio et in rebus politicis pertractandis prudentia, tam apud Regem Poloniae quam apud tsarum Moscoviae sese iustificari valuit (121).

(116) WELYKYJ A., *Documenta* ..., vol. I, nn. 604, 605, p. 646-647.

(117) Innocentius Vynnyckyj a. 1691 Unionem cum Ecclesia Romana simul cum Eparchia proclamavit. Cfr. PETRUŠEVYČ A., *Dopolnenije* ..., t. I, p. 713-714; PELESZ J., o. c., p. 349.

(118) Incursiones tartarorum et turcarum, necnon bella cum Cosacis tunc temporis locum habuerunt.

(119) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. I, p. 181; HARASIEWICZ M., o. c., p. 460-461.- In bello prope civitatem Zuravno cantor Episcopi occisus fuit et apud Vindobonam ipse Episcopus in brachio sinistro vulnera accepit. Apud civitatem Vindobonensem etiam cosaci suas partes prae buerunt et Episcopus ut legatus Regis necessarius erat.

(120) ANDRUSIAK M., *Józef Szumlanski* ..., p. 149 sq.

(121) Die 28 Augusti 1676 dux cosacorum Dorošenko protectionem tsari moscovitici accepit (Cfr. KOSTOMAROV M., *Sobranije sočynenij. Istoričeskija monografiji i izsledovanija*, S. Peterburg 1905, L. VI, t. XV, Rujina, p. 268).

Fautores depositi Hetmani Samojlovyč Ioannem Mazepa Aulae Moscoviensi ingratum facere studentes, monachum quemdam Solomonem cum litteris ad Regem Poloniae, tamquam a J. Mazepa missis, miserunt. In dietis litteris auxilium a Rege Poloniae pro liberatione Ucrainae a dominio moscovitarum expetebatur. Cum Ioannes Sobieski eas accepit, a Josepho Šumlanskyj iudicium expectabat. Episcopus inde ab initio de veracitate earum dubitabat, sed ut certior fieret, ad I. Mazepa suas litteras

Sed magis adhuc quam negotia politica, eum negotia unionis Eparchiae Leopoliensis occupatum tenebant. Post mortem (a. 1679) Metropolitae Kioviensis non uniti, Antonii Vynnyckyj, secunda vice (122) administratione Metropoliiae Kioviensis obtenta, de restauratione antiquae Metropoliiae Halicensis cogitare operarique cepit. Retento sibi titulo futuri Metropolitae (123), Eparchiam Cholmensem quam pro Barlaamo Szeptyckyj a Rege obtinere studuit (124), necnon Luceoriensem Volodymyriensemque eidem adnumerare sibi proponebat (125). His autem desideriis Episcopi Leopoliensis tam Metropolita unitus Kioviensis quam Nuntius Apostolicus Poloniae Franciscus Martelli opponebantur (126). In sua epistula ad Metropolitam Szumlanskyj caute sed clare de immutatione iurium scribit (127). Etiam si negotium hoc ad subsequencia Comitata generalia (a. 1681) remissum fuit, tamen tunc et in Comitibus iam clare patuit, ambo neo-uniti Episcopi Metropolitae Kioviensi subiacere nolle, prout et Nuntius Romam retulit (128).

Post vero professionem fidei catholicae Episcoporum, Nuntius Pallavicini, Rex totaque Hierarchia catholica ucraina solemnem proclamationem Unionis

misit, quae tamen, in scio ipso Episcopo, ab inimico Ioannis Mazepa traditae erant. I. Mazepa fraudem suspicans, tabularium non recepit. Frustra Szumlanskyj responsum expectabat, et proinde novum legatum Domarackyj misit (Cfr. DAROWSKI A., *Intryga Solomonska*. Karta dziejów Mazepy, in « *Szkice historyczne* », Ser. I, Varsavia 1901, ed. II, p. 206), in scio Rege Poloniae. Ioannes Mazepa, cum de prima fraude particularia acquisiverit et cum secunda vice litteras contra moscovitas excitantes obtinuerit, legatum Mosevam deferri iussit. In Aula moscoviensi, litteris Episcopi visis, mortem Iosephi, qui « pacem aeternam » ad ruinam ducere voluit, apud Regem Poloniae postulabant. Hoc ipso tempore ad Aulam Regiam pervenit notitia de Iosephi cum moscis pertractatione; quamobrem apud Regem Proceresque Regni Poloniae suspectum erat. Cfr. SOLOVJEV SER., *Istoriija Rossiji*, S. Peterburg 1896, L. III, t. XIV, p. 1125; ANDRUSIAK M., *Jozef Szumlanski ...*, p. 166, 167, 168; THEINER A., *Monuments historiques relatifs aux règnes d'Alexis Michaelowitsch, Fedor III et Pierre le Grand Czars de Russie, extraits des Archives du Vatican et de Naples*, Roma 1859, n. 317, p. 417.

(122) Prima vice, uti diximus, anno 1675 administrationem Metropoliiae Kioviensis a Rege obtinuit. Cfr. PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. I, p. 180.

(123) APF, *Congr. Part.*, vol. 25, f. 168.

(124) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. I, p. 186.

(125) ARJZR, P. I, t. IV, n. 24, p. 43-47.

(126) APF, *Congr. Part.*, vol. 25, f. 170.

(127) In epistula Iosephi ad Metropolitam scripta, legimus: « Co zas do juresdykciej mojej conferowanej administraczej, abys, dobrodzieju, nietylko byl aliquo obstaculo, ale i owszem byl moim milosciwym panem, i dopomógł jakoby ci, ktorzy administraczej mojej podpadaja, w posluszenstwie znajdowali sie; pomiarkuje to wszystko sejm przyszly, da Bóg, że każdy przy swojej zostanie iurysdykczej i prawie, które nie powinny byc ni od kogo naruszone; lubo da Bóg, finaliter zgodzimy sie, a prawo prawem ». ARJZR, P. I, t. I, n. 20, p. 37-38.

(128) APF, *Congr. Part.*, vol. 25, f. 170.

in utraque Eparchia frustra expectabant, quam vicissitudines ecclesiasticae et politicae procrastinare suadebant, ut supra iam exposuimus (129).

Anno 1684 Episcopus Luceoriensis Gedeon Czetvertynskyj, ob difficultates cum Rege Poloniae Ioanne Sobieski habitas, Eparchiam suam relinquit et ad sinistram ripam fluminis Dnipro se contulit et brevi post (29. VI. 1685) in Metropolitam Kioviensem non unitum institutus fuit (130), partemque Eparchiae metropolitanae, a Iosepho administratae, requisivit. Vicissitudines Regni sequendo Szumlanskyj propositum unionis vel affirmabat (1685) (131) vel subfacebat (1686, ob s. d. « aeternam pacem »). In s. d. « aeterna pace » Poloniam et Moscoviam inter (1687) statutum fuit, ut Eparchiae Leopoliensis, Peremyšliensis, Luceoriensis et Mohyloviensis in disunionem manere deberent (132), in dependentia Metropolitae Kioviensis non uniti, qui sua ex parte iam ab anno 1685 non a Patriarcha Constantinopolitano, sed a Moscoviensi dependebat (133). Metropolita Gedeon Iosephum, iam de unione suspectum, per Palatinum moscoviensem Romodanovskyj (1688) apud Regem Poloniae intervenientem, suae obedientiae adstringere contendebat (134). Iosephus autem, ut ex angustiis sese extricaret, sequenti anno (1689) monachum (diaconum) Partenium Lomykovskyj cum epistulis ad haeredes throni moscoviensis, Ioannem et Petrum Alexiejevič, Patriarcham atque alios misit (135). In litteris ad personas regnantes datis, nonnum punctum de tutela Cleri disuniti, quod in s. d. « aeterna pace » continetur, laudibus extollit et auxilium pro restauratione cathedrae Leopoliensis ac Haliciensis petit. Ad Patriarcham autem in prima parte de eodem argumento tractat, in secunda vero parte de dissidiis cum Metropolita Kioviensi, cui illegitimam institutionem in Metropolitam, inscio Clero Regni Poloniae, obiicit. Nomine Episcoporum: Peremyšliensis, Luceoriensis, Mohyloviensis et suo proprio Patriarcham supplicat, ut eos ab iurisdictione Metropolitae liberet atque ut a Patriarcha immediate dependerent, rogat. Deinde de restauratione Metropolitae Haliciensis tractat, quam antiquam, foundationesque Principum ucrainorum habentem, distinctam-

(129) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. I, p. 651 sq.

(130) PETRUŠEVYČ A., *Dopolnenije ...*, t. I, p. 636-637, 639; ARJZR, P. II, t. II, n. 82, p. 447.

(131) MARUSYN M., *o. c.*, p. 147.

(132) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. I, p. 209, 211; *Dopolnenije ...*, t. I, p. 650; *Volymina Legum*, t. VI, p. 76-78.

(133) PETRUŠEVYČ A., *Dopolnenije ...*, t. I, p. 632 sq.; - De iure vero solum ab anno 1686. Cfr. *IBID.*, p. 658sq.

(134) MARUSYN M., *o. c.*, p. 150.

(135) ARJZR, P. I, t. X, p. 753-759; t. V, p. 271-276; PETRUŠEVYČ A., *Dopolnenije ...*, t. I, p. 684-687.

que a Kioviensi affirmat et restaurari petit, intervenientibus pro libera electione Ducibus moscoviensibus, et instituyente Patriarcha (136).

Opinioni quorundam (137), ac si Iosepus sola cupiditate auctoritatis, gloriae atque divitiarum in omnibus suis actionibus ducebatur adstipulari non possumus et omnibus consideratis asserere non haesitamus, ipsum ardens desiderium totam Ucrainam cis Borysthenem sitam in gremium Ecclesiae Catholicae perducere habuisse, quod tamen sine restauratione Metropolitae Haliciensis difficulter perfici posse censuit.

Eius prudentiae etiam eius commercium epistulare cum Patriarcha Moscoviensi adscribendum necesse ducimur, quod tamen eius animo, desiderio unionis ardenti, subordinatum fuit.

Miles, Episcopus et non simplicis ordinis politicus, mediante Unione Nationi suae non solum non officere, at quam maxime proficere studuit (138).

Quoad restaurationem Metropolitae Haliciensis Patriarcha responsionem negativam (22. X. 1689) dedit, quia titulo « Haliciensis » Metropolita Kioviensis iam fruebatur. Si tamen Rex propriam Metropoliam habere voluisset, post consilium cum Aula Regia Moscoviae et Patriarcha eam in alia civitate, ut ex. gr. Leopoli, instituere posset, directe a Patriarcha et non a Metropolita Kioviensi dependentem (139). Litteris Patriarchae obtentis, Iosephus de restauratione Metropolitae Haliciensis cum Rege locutus est, quod ex litteris Nuntii Apostolici Poloniae ad Cardinalem Carolum Barberini (28. III. 1692) expresse patet (140). In litteris autem ad Regem scriptis Nuntius rogabat, ne quidquam hac re re, inscio atque invito Nuntio et Sede Apostolica, constitueretur (141). Dum persona Episcopi Leopoliensis Romae falsis criminationibus insectata fuit, eius conamina de restauratione Metropolitae Haliciensis in vanum deductae fuerunt (142).

(136) ARJZR, P. I, t. V, p. 273-276; PETRUŠEVYČ A., *Dopolnenije ...*, t. I, p. 687.

(137) LISIEWICZ Z., *o. c.*, p. 18.

(138) WINTER E., *Rom und Byzanz im Kampf um die Ukraine*, Leipzig 1942, p. 98.

(139) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. I, p. 363 *Dopolnenije ...*, t. I, p. 691.

(140) WELYKYJ A., *Acta ...*, vol. II, n. 667, p. 110.

(141) IBID. « Ha perciò Monsignor Nunzio scritto al Re lodando il suo zelo, e supplicatolo di non permettere, che nella detta adunanza resti stabilita cos'alcuna senza la dovuta notizia, e consenso suo, e della Santa Sede ».

(142) IBID., p. 111: « Dice Monsignor Segretario, che havendo sentito Monsignor Bonisana sopra le qualità del Vescovo, dice esser sempre stato pieno di vitii, e se tal volta ha dimostrato desiderio dell'Unione, ha però sempre preteso particolari condizioni, ne presentemente ha di simili sentimenti, pretendendo di stabilire, o di erigere la Metropolia Aliciense, perche essendo sempre stato poco buon Cattolico è molto da temersi, che la sua Unione sia promossa da vero zelo di religione, e che riesca di buon esempio agl'altri ».

Postquam Episcopus Leopoliensis Regi responsionem dedit (143), quod promptissimus est Unionem palam profiteri, pro die 16 decembris 1694 Synodus Eparchialis Leopoliensis intimata fuit (144). Statuto die ad ecclesiam Obdormitionis B. M. V. (145) plurimi fautores Unionis ex Clero atque Saecularibus pervenerunt; attamen nequidem pars opposita defuit. Personam vero legati Regis Castellanus Haliciensis, Christophorus Skarbek, in dicta Synodo gerebat.

Invocata gratia Sancti Spiritus, consultationes synodales ceperunt, inter quas partem activam ipse Josephus habuit. Secunda enim die, propter varias turbationes ex parte adversariorum, inter quos Socii Confraternitatis primas partes habuerunt, Episcopus tertiam sessionem ex ecclesia Obdormitionis B. M. V. ad cathedralem ecclesiam S. Georgii transtulit (146),

Subsequenti vero die (18. XII), postquam Episcopus suam intentionem palam fecit, de concludenda nempa quam primum unione, adversarii, qui maiorem partem praesentium constituebant, responsionem negativam dederunt, et sessionem relinquendo, foras egressi sunt (147). Cum Episcopo tamen fere omnis Clerus saecularis, in Synodo praesens, quem ipse decursu non brevi temporis sibi adscivit, atque pauci monachi, inter quos Archimandrita Unioviensis Barlaam Szeptyckyj (148), remanserunt; re proinde infecta, Synodus clausa fuit. Ob quasdam mutationes conditionum ordinis politici (149), tractationes de unione interrumpuntur et solummodo sub fine saec. XVII (a. 1699) reviviscunt. Restitutio civitatis Camenecensis Podoliae a turcis Regno Poloniae facta ac cessio Eparchiae Camenecensis, ex consensu Regis, Innocentio Vynnyckyj, Peremysliensi catholico Episcopo, tractationi de unione Eparchiae Leopoliensis cum Romana Ecclesia novum dederunt vigorem (150). In litteris (8. XI. 1699) ad S. Congregationem de Propaganda Fide datis Josephus etiam tunc asserit, ob « certas rationes status » publicam declarationem professionis fidei etiam ad praesens sequi non posse (151). Hac de re Sebastia-

(143) Rex vero S. Congregationem de Propaganda Fide de bonis progressibus Unionis in Eparchia Peremysliensi, necnon de bonis dispositionibus Episcoporum, Leopoliensis et Luceoriensis certiores fecit. Cfr. *IBID.*, n. 687, p. 127.

(144) РУДОВЧЕ J., *Unija ...*, p. 43-45; *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 40.

(145) РУДОВЧЕ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 40.

(146) *IBID.*

(147) *IBID.*

(148) РУДОВЧЕ J., *Epys. Szept.*, in « *Bohoslovskij Vistnyk* », t. II, (a. 1901), p. 114.

(149) Inceptae incursiones tartarorum, mors Regis Ioannis Sobieski anno 1696, tempus interregni ac bella cum turcis de Unione tractationem impediunt.

(150) ПЕТРУШЕВЧЕ A., *Sv. Lit.*, t. I, p. 388-390; Cfr. БОБРЗЫНСКИ M., *o. c.*, t. II, p. 209.

(151) APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 535, f. 128-129: « Hanc meam professionem sequi debebat mea itidem eiusdem professionis publica declaratio; quae ta-

nus Accorsi ad S. Congregationem de Propaganda Fide scribens de « rationibus status », a Josepho adductis, eam culpa Regni Regnantiumque Poloniae, non vero Josepho adscribit: conditiones enim iam anno 1681 enuntiatae hucusque non fuerunt exequutae (152). In sua citata epistula Episcopus Leopoliensis testatur, se publicam declarationem Unionis in manibus Nuntii Apostolici, praesente Rege et Republica, in futuris Comitibus solemniter exhibere optare, ubi praedictae conditiones trutinabuntur (153). Qua de causa Congregatio Particularis pro die 8 Februarii 1700 convocata, auditis eis, quae de persona Josephi in Archivo Propagandae inveniebantur (154), responsum dedit ut Vicarius foraneus Leopolim mitteretur, qui cum Episcopo de Unione tractaret et Josephus deinde Varsaviae, in Comitibus Senatorum, professionem fidei catholicae emitteret (155).

Varsaviae vero Josephus, die 18 Maii, in audientia Nuntii, inter alia de conditionibus iam pluries propositis locutus est; inter quas de restauratione Metropoli Haliciensis tractare non omisit (156). Die Dominica 6 Junii 1700, Josephus « abiurationem schismatis » in ecclesia Patrum Capucinatorum, « expresse ad hunc actum selecta, ad cineres divinae memoriae Ser.mi Regis Ioannis III, qui plurima, stante adhuc vita sua, sudavit » pro Ucrainis ad fidem catholicam reducendis, fecit (157). Denique, Leopolim reversus, Clerum saecularem, qui iam prius eum sequi in hac salutifera actione promiserat, ad sedem suam pro die 1 Iulii 1700 convocavit ac solemniori actu Unio Eparchiae Leopoliensis proclamata fuit. Varsavia adhuc ad Clementem PP.XI scribebat: « Te igitur successorem Petri legitimum, Ecclesiae Caput Magistrumque Fidei confiteor, supremamque Tibi in Ecclesia a Deo collatam potestatem adoro ... hanc meae fidei professionem, qua nihil suppetit preciosius, quam ante apostolicum tuum thronum renovare ..., manu mea firmam Sanctitati Tuae praesento obedientiam meam et submissionis irrevocabile documentum » (158).

men ob certas rationes status semper mihi prohibita fuit, sicut ex documentis claris, quae apud me extant, manifeste convincitur ».

(152) APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 535, f. 122, 126-127. (Accorsi S. - Praefectus Missionum Leopoli fuit).

(153) *IBID.*, f. 129.

(154) WELYKYJ A., *Acta ...*, vol. II, n. 727, p. 156-160.

(155) LIKOWSKI E., *Dzieje ...*, p. 267.

(156) APF, *Scritt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 3, f. 11-13; ANDRUSIAK M., *Jozef Szumlanski ...*, p. 118.

(157) APF, *Scritt. rif. n. Congreg. Generali*, vol. 537, f. 60.

(158) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. I, p. 690.

ART. 4. - DE PERIODO CATHOLICA EPARCHIAE LEOPOLIENSIS SAEC. XVIII.

Postquam Leopoli in praesentia Cleri saecularis Unio Eparchiae Leopoliensis cum Ecclesia Catholica solemniter proclamata fuit, Episcopus visitationem Eparchiae in persona propria coepit, ad Unionem ubique propagandam. In variis locis suae Eparchiae comitia Cleri convocavit, in quibus professionem fidei coram se emissam excipiebat, quam dein impediti vel infirmi in manus Decani proprii emittere debebant. Haec visitatio a solemnii Unionis proclamatione Leopoli (1. VII. 1700) usque ad mensem Martii anni sequentis durabat, quo tempore Episcopus 1186 parochias suae Eparchiae visitavit et univit (1). Teste Nuntio Poloniae, Francisco Pignatelli, die 7 Februarii 1701, non solum Episcopus, sed etiam fideles zelo propagationis Sanctae Unionis inflammabantur (2). De qua indefessa Josephi in propagatione Unionis opera litterae tam Nuntii Apostolici (3) quam Coadiutoris (4) Archiepiscopi Leopoliensis armeni ritus aliorumque illustrium virorum, ad S. Congregationem de Propaganda Fide datae, testantur. Cum enim ad meliorem frugem salutiferi operis erectio Seminarii necessaria esset, Episcopus Leopoliensis cum hac quaestione ad S. Congregationem de Propaganda Fide sese direxit, in quo Nuntius Poloniae eum adiuvavit (5). Iam subsequenti anno (1701) controversia de Cathedra Haliciensi inter Josephum et Metropolitam Kioviensem Catholicum, Leonem Slubicz-Zalenskyj (a. 1694-1708), exorta est (6). Ante unionem Eparchiae Metropolita hac de re tacebat, sed post unionem ad suum titulum « Haliciensis », necnon ad Bullam Clementis PP. VIII « *Decet Romanum Pontificem* » (23. II. 1596) revocabatur (7). Causa tamen in manus Nuntii remissa, in favorem Episcopi solvi videbatur.

Anno 1704, Josephus ob gravitatem aetatis indispositionesque, ut Coadiutorem in persona Cyrilli Szumlanskyj (8), Vicarii sui Camenecensis (9), sine

(1) MARDUSYN S., *op. cit.*, p. 189.

(2) WELYKYJ A., *Acta ...*, vol. II, n. 740, p. 175: « ... non solo Mons. Szumlanski, Vescovo ruteno di Leopoli, unito ultimamente alla S. Chiesa Romana, ma anco tutto il numeroso popolo delle sue Diocesi si fa vedere ogni dì più infervorato à promuovere la S. Unione ».

(3) IBID., vol. II, n. 733, p. 165. n. 740, p. 175.

(4) IBID., vol. II, n. 736, p. 171. - Eodemque tempore Episcopus Deodatus Coadiutor Archiepiscopi Leopoliensis armeni ritus fuit.

(5) IBID., vol. II, n. 740, p. 175-176.

(6) IBID., vol. II, n. 738, p. 173.

(7) IBID., vol. II, n. 738, p. 173-174; WELYKYJ A., *Documenta ...*, vol. I, n. 152, p. 268.

(8) Cyrillus Šumlanskyj erat filius Athanasii Šumlanskyj, Episcopi Luceoriensis, fratris germani Josephi, Episcopi Leopoliensis.

(9) Inde ab anno 1672 Camenec in Podolia a turcis occupabatur. Anno vero 1681,

futura tamen successione (10), obtineret, instantiam fecit. Huic petitori « Sanctissimus annuit, iuxta votum S. Congregationis », et Coadiutor consecrationem recipere potuit ab Episcopo sui ritus cum assistentia Episcoporum etiam diversi ritus (11).

Metropolita, re audita, huic Coadiutoriae sese opposuit, nisus Bullae Clementis PP. VIII « *Decet Romanum Pontificem* » (12), quia institutio, confirmatio atque consecratio Episcoporum sui ritus ad ipsum pertinere constat; unde supplicavit, ne quidquam hac in re innovaretur (13). Candidato vero doctrina deficiens recensque ad Unionem reditus alique defectus obiicebantur ideoque incapax huius officii declarabatur (14). Huic Metropolitae objectioni Silvester Peskevyč, Ordinis Sancti Basilii Magni in Urbe Procurator, diversis de causis (15) accessit. Qua de causa ad Nuntium Poloniae, Cardinalem Spada, Secretarius S. Congregationis de Propaganda Fide scripsit, ut executionem iam emanati decreti differret, et a Iosepho dilucidationes quaedam de modo quo Coadiutorem consecrare intendit et an quoddam speciale indultum haberet quaereret (16). Controversia tamen sopiri non potuit, unde Nuntius quemdam concordatum inter utramque partem de novo candidato, (17) audito Metropolita, proponendo, procurare iussus fuit (18).

Difficultatem in propagatione Unionis solummodo Confraternitas Stauropigiana Leopoliensis et singula Monasteria faciebant (19). Confraternitas Stauropigiana Leopoliensis longo tempore Episcopo obstabat, propter quae-

mense Augusto, Patriarcha Constantinopolitanus Metropoliam Camenecensem erexit et in Metropolitam archipresbyterum Paneratum instituit. Cfr. « *Naukovyj Sbornik izdavaemyj literaturnym obščestvom Halycko-Russkoj Matyey* », Leopoli 1868; p. 104-108 - invenitur diploma institutionis. Haec Metropolia ad Ianuarium anni 1699 perduravit, quia hoc anno in pace Karlovicensi Podolia simul cum civitate Camenecensi ad Poloniam reversa est. Cfr. SARANEVYČ I., *Patriarchat Wschodni*, in « *Rozprawy i sprawozdania z posiedzen Wydziału historyczno-filozoficznego Akademii Umiejetnosci* », Kraków 1879, t. X, p. 44.

(10) Non solum, ut difficultatem convocationis Comitii pro electione Episcopi evitaret, sed etiam propter magnum spiritum habilitatemque candidati. Cfr. WELYKYJ A., *Acta ...*, vol. II, n. 758, p. 196; Pro hoc candidato etiam P. S. Trombetti, Teatinus, Vice-rector Seminarii Leopoliensis, ad S. Congreg. de Prop. Fide instantias fecit. Cfr. *IBID.*, vol. II, n. 768, p. 296, n. 770, p. 208, n. 772, p. 211.

(11) *IBID.*, vol. II, n. 758, p. 197, n. 768, p. 206.

(12) WELYKYJ A., *Documenta ...*, vol. I, n. 152, p. 268.

(13) WELYKYJ A., *Acta ...*, vol. II, n. 770, p. 207-208.

(14) *IBIDEM*.

(15) *IBID.*, vol. II, n. 770, p. 209, n. 772, p. 212.

(16) *IBID.*, vol. II, n. 772, p. 212.

(17) *IBID.*, vol. II, n. 776, p. 217; APF, *Lett. e Bigl. di Mons. Segret.*, vol. 96, f. 76rv.

(18) WELYKYJ A., *Acta ...*, vol. II, n. 780, p. 222.

(19) Monasterium Krechoviense anno 1721 ad Unionem accessit, « *Skyt Maniav-*

stionem iurisdictionis (20). Solidissimum fundamentum existentiae et potentiae Confraternitatis typographia erat; unde iam ab anno 1687 Episcopus suam typographiam Leopoli fundavit, quae tamen ob defectum pecuniae durare non potuit, idcirco iam subsequenti anno (1688) Confraternitas eam acquisivit, data ab Episcopo assecuratione in futuro omne tantamen ad eam renovandam vitandi (21).

Sed Episcopus necessitatem typographiae, Unione inita, sentiens, anno 1700 typographiam prope ecclesiam Cathedralem iterum fundavit (22), et in anno 1708 novum « Irmolohion » typis edidit, fundamentum potentiae Confraternitatis subvertendo. Quae praeterea bello suecico (1704) sat exhausta erat. Non mirum si apud Episcopum de non observantia contractus an. 1688 protestabat, quo Episcopus, prout in disunione inito, se non teneri affirmabat, nisi et ipsa Confraternitas uniretur. Confraternitas proinde, undique, scil. a Patriarcha et a tsaro Moscoviae derelicta, anno 1708 Unionem recipere, si privilegia quibus fruebantur approbarentur, necnon directe a Summo Pontifice dependere se paratam esse pronuntiavit (23). Recepta hac notitia Iosephus statim epistolam ad Nuntium Poloniae, Nicolaum Spinola (2. III. 1708), scripsit, eumque rogavit, ut hac de re Romam certiores faceret (24). Iam die 30 eiusdem mensis Nuntius acceptionem Confraternitatis Stauropigianae Leopoliensis in directam submissionem Summi Pontificis spondebat (25). Hanc ob causam Confraternitas die 2 Maii 1708 in manus Episcopi Leopoliensis professionem fidei catholicae emisit ac litteras, in quibus confirmationem iurium privilegiorumque rogavit, ad Summum Pontificem, Nuntium et S. Congregationem de Propaganda Fide misit.

Cum autem brevi post Episcopus Leopoliensis graviter aegrotare coepit, Confraternitas timens de suis privilegiis et exemptione, novas litteras Romam misit, unde Breve Clementis PP. XII, die 5 Aprilis 1709 exaratum, de Confraternitatis Leopoliensis sub beati Petri et Clementis PP. XI protectionem susceptione accepit (26). Hunc finalem sui laboris exitum Episcopus videre non iam potuit, quia die 27 Iulii 1708 obiit et in criptis Cathedralis ecclesiae ab Episcopis Peremysliensi et Luceoriensi nec non Archimandrita Unio-

skyj » autem usque ad suam abolitionem anno 1786 in disunione perduravit. Cfr. PELESZ J., *o. c.*, t. II, p. 341.

(20) Confraternitas Stauropig. Leopoliensis inde ab anno 1586 auctoritatem super Episcopum non solum in charta, sed etiam in re habere intendebat.

(21) ANDRUSIAK M., *Josef Szumlanski ...*, p. 129.

(22) IBID.

(23) RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 41.

(24) ARJZR, P. I, t. XII, p. 615-617; PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. I, p. 40, 41.

(25) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. I, p. 41.

(26) PETRUŠEVYČ A., *Dopolnenije ...*, t. II, P. I, p. 84-86; *Sv. Lit.*, t. II, P. I, p. 47.

viensi Barlaamo Szeptyckyj sepultus est (27), de Eparchia, de Unione Ecclesiae et de natione bene meritis.

Brevi tempore ante mortem Josephi Szumlanskyj etiam Metropolita Leo Zalenskyj die 21 Julii 1708 de vivis decessit; (28) administratio tum Metropolitae quum Eparchiarum vacantium (29) a Nuntio Apostolico Georgio Vynnyckyj, Episcopo Peremysliensi, die 14 Augusti 1708 commissa fuit (30). Hanc Nuntii resolutionem S. Congregatio de Propaganda Fide litteris de die 8 Octobris 1708 probavit ac Nuntium hartavit, ut cum omni studio atque sollicitudine operaret ne personae incapaces ad vacantes Sedes promoveantur (31).

Post obitum Metropolitae Leonis Zalenskyj, Episcopi: Gedeon Oranskyj - Cholmensis, Porphyrius Kulčyckyj - Pinscensis, Dionysius Zabokryckyj - Luceoriensis, congregati, Georgium Vynnyckyj, Episcopum Peremysliensem, in Metropolitam elegerunt, cui electioni Protoarchimandrita O. S. B. M., Leo Kiška, sese opposuit, quia sine eius interventu in electione Episcopi Metropolitam elegerunt. Idcirco in litteris ad Nuntium scriptis dictum actum irritum facere postulabat, cui autem Nuntius in litteris die 10 Octobris, Opaviae datis, sese opposuit, ita ut Protoarchimandrita Leopoli, Januario sequenti anno (1709), in dictam electionem consensum suum praebeuit (32).

Inde a morte Josephi Szumlanskyj Archimandrita Unioviensis, Barlaam Szeptyckyj nominationem in Episcopum Leopoliensem obtinere studuit. Sed ob impedimenta belli septentrionalis solummodo die 30 Octobris 1709 privilegium in Eparchiam Leopoliensem, Haliciensem et Camenecensem ab Augusto II

(27) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. I, p. 42; - in *Dopolnenije k Sv. Lit.*, t. II, P. I, p. 74, eiusdem auctoris, tempus mortis dies 16 Julii 1708 ponitur.

(28) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. I, p. 41.

(29) Dicimus « Eparchiarum », quia duo remanserunt vacantes, et quidem: Volodymyriensis, post mortem Leonis Slubič-Zalenskyj, qui eam simul cum Metropolia inde ab anno 1679 retinebat et Leopoliensis, post mortem Josephi Šumlanskyj.

(30) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. I, p. 41; - Georgius Vynnyckyj post mortem fratris sui Innocentii (12. II. 1700), Episcopi Peremysliensis, eodem anno dictam Eparchiam obtinuit. Cfr. PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. I, p. 394, t. II, P. I, p. 2, p. 6.

(31) APF, *Let. S. Congr. (Volj.) e di Mons. Segret.*, vol. 97, f. 256v-257.

(32) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. I, p. 43; - Hoc eodem tempore bellum Suetiae cum Polonia et Moscovia protrahebatur ac magna pars Regni Poloniae occupata erat, nomine Stanislai Leszczyński, Palatini Poznaniensis, in Regem electi, cura Caroli XII Regis Suetiae. Leszczyński die 15 Augusti 1708 privilegium in Metropoliam Kioviensem Porphyrio Kulčyckyj, Episcopo Pinscensi, dedit. (Cfr. PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. I, p. 43.). Cum Georgius Vynnyckyj iam prius in Metropolitam electus fuerat, in qua electione et Porphyrius in favorem Georgii suum votum dedit, necnon quia Sedes Apostolica Stanislaum tamquam usurpatorem Regni considerabat, nominationem Porphyrii Kulčyckyj in Metropolitam non probavit, eo magis, quod post cladem Caroli XII prope Poltava (27. VII. 1709) condiciones Regis Augusti II

obtinuit (33). Tunc pro die 21 Januarii, subsequentis anni (1710), Metropolita Georgius Vynnyckyj (34), ius liberae electionis observando, eandem intimavit (35), ad quam Clerus, Nobiles ac Confraternitates Eparchiae Leopoliensis convocati erant (37). Die convento, Sacro audito, aliisque precibus praemissis, in ecclesia cathedrali Leopoliensi ad electionem, praecedentia electorum observata, processum est. Habita dein oratione, Metropolita Barlaamum Szeptyckyj, Archimandritam Unioviensem, dignum huic oneri et dignitati commendavit, quem revera unanimis suffragiis elegerunt (38) et ad mentem legum Regi (Augusto II) praesentarunt, ut privilegium Electo conferret, Metropolitam vero supplicabant, ut Electum sacris episcopalibus initiare dignaretur (39). Deinde secutae sunt subscriptiones in ordine dignitatum electorum (40), in quibus Metropolita primus nomen suum apposuit.

Die 21 Junii anno 1710 Barlaam Septyckyj in Episcopum Leopoliensem a Metropolita Georgio Vynnyckyj in monasterio SS. Salvatoris prope civitatem Samboriensem consecratus fuit (41). Tempore vacationis Eparchiae Leopoliensis, Metropolita ut Administrator eiusdem, coniunctionem Eparchiae Haliciensis eiusque bonorum cum Metropolia Kioviensi procurare studuit (42). Quo de conamine Barlaam a Nuntio edoctus die 12 Februarii 1711 negativum responsum Varsaviam misit, se non posse dictis bonis resignare, quae funda-

meliorabantur, Stanislai vero peiores evaserunt, qui anno 1710 Regno Poloniae expulsus est. Cfr. PETRUŠEVYČ A., *Dopolnenije ...*, t. II, P. I, p. 93.

(33) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. I, p. 86; RUDOVYČ J., *1st. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 42.

(34) Georgius, praeter Metropoliam et Eparchiam Peremysliensem, alias etiam Eparchias administrabat, et quidem: Volodymyriensem, Cholmensem, et Leopoliensem.

(35) Praxis eligendi Leopoliensem Episcopum cum institutione Eparchiae Leopoliensis, anno 1539, introducta, inter conditiones Unionis approbata fuit. Cfr. PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. I, p. 48-51.

(37) ArJZR, P. I, t. IV, n. 140, p. 320-321; PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. I, p. 50-52.

(38) Barlaam Šeptyckyj 64 annos natus in Episcopum consecratus fuit. Cfr. RUDOVYČ J., *Epys. Szept.*, t. II, p. 116.

(39) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. I, p. 48-52; RUDOVYČ J., *Epys. Szept.*, p. 116.

(40) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. I, p. 50-52.

(41) IBID., p. 53; RUDOVYČ J., in suo opere « *Epyskopy Szeptycki* », t. II, p. 116, nota 2, ex litteris Barlaami ad Adamum Sieniawski, supremum ducem exercituum Regni, de die 3 Junii 1710, consecrationem Barlaami in Episcopum Leopoliensem sub die 15 Junii 1710 ponit.

(42) RUDOVYČ J., *Epys. Szept.*, t. II, p. 117; PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. I, p. 54.

mentum Eparchiae Leopoliensis constituunt. Hac in re Nuntius Apostolicus cum Barlaamo idem sentiebat (43).

Interea Episcopus Barlaam Eparchiam Camenecensem longa occupatione turcarum destructam anno 1712 canonice visitavit, eius possessionem canonice accepit, Clerumque in Synodis Eparchialibus instruxit et res ecclesiasticas in ordinem reduxit (44).

Brevi post Barlaam sibi Coadiutorem cum futura successione in persona nepotis Gabrielis Szeptyckyj assumere proposuit, qui interea tyrocinium monasticum in Archimandria Unioviensi inchoavit. Huic tamen proposito Metropolitae totis viribus obstitit, tum ob dotes candidati, qui potius rei militari quam ecclesiasticae fuit deditus tum ob iura Metropolitae in provisione Ecclesiarum. Re Romam delata, die 8 Junii 1713 S. Congregatio de Propaganda Fide respondit se nihil hac de re scire, et praeiudicium iuribus Metropolitae inferre non sit permissura. Eodem sensu etiam Nuntium Varsoviensem certiore fecit et petitiones Episcopi reiici iussit.

Magni momenti in pastoralis activitate Barlaami erat concordia inter ipsum et Archiepiscopum Leopoliensem latini ritus, Ioannem Skarbek, anno 1714 inita, qua aequalitas iurium utriusque cleri, iniusta tributa clero ucraino imposita, necnon libertas transitus ab uno ad alterum ritum circumscribebantur (45).

Post mortem Metropolitae Georgii Vynnyckyj, die 22 Septembris 1713 (46), Barlaam Szeptyckyj administrationem Eparchiae Peremysliensis, Archimandriam Kievo-Pečerensem, necnon administrationem Metropoliae Kioviensis obtinere studebat (47). Idcirco Adamus Sieniawski, eius protector, cum uxore Elisabeth de domo Lubomirski, magno cum studio operatus est ita, ut initio Octobris eiusdem anni Augustus II Barlaamo privilegium in administrationem Metropoliae et monasterii Pečerenensis dedit (48).

(43) RUDOVYČ J., *Epys. Szept.*, t. II, p. 117, et n. 1; - Barlaam coram tribunali Nuntiaturae, die 12 Februarii 1712, Nobiles, qui bona Eparchiae occupabant, citavit, quae tamen solummodo Leo Szeptyckyj anno 1765 partim Eparchiae Leopoliensi recuperavit. Cfr. *IBID.*, t. II, p. 118.

(44) *IBID.*, t. II, p. 118 et n. 2.

(45) *Obrona Religiiy Graeco-Ruskiej z Kosciółem S. Rzymskim zjednoczonej*, Lwów 1738, p. 65-68; RUDOVYČ J., *Epys. Szept.* p. 127-129; RUDOVYČ J., *His. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 42; MALINOWSKI M., *Die Kirchen - und Staats - Satzungen bezüglich des griechisch-katholischen Ritus der Ruthenen in Galizien*, Lemberg 1861, p. 40-41.

(46) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. I, p. 66; RUDOVYČ J., *Epys. Szept.*, t. II, p. 130-131; APF, *Scrirt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 3, f. 435.

(47) RUDOVYČ J., *Epys. Szept.*, t. II, p. 131: - Quoad Metropoliam in litteris de die 25 Septembris 1713 ad protectorem scribebat: « Ratione Metropoliey Kijowskiej mniej curo, bo zbyt kłopotliwa, ale o Administracii Epp. Przemyskiej uniżenie suplikauię y o Przewilej na Archimandrie Pieczarska Kijowska »; *IBID.*, n. 1.

(48) WELYKYJ A., *Acta ...*, vol. III, n. 912, p. 75.

Eodem tempore tam de morte Metropolitae quam de necessitate Administratoris Metropolitae Kioviensis Prothotronius Leo Kiška Sedem Apostolicam (3. X. 1714) certiore fecit, ac metropolitanam dignitatem sibi pertinere, uti ex litteris deduci potest (49), implicite notificavit.

Nuntius etiam apud Sedem Apostolicam instabat pro nominatione cuiusdam ex Episcopis in Administratorem vacantis Metropolitae cum facultatibus Vicarii Apostolici (50), ad quam nominationem facultatem solitam obtinuit cum clausula, quod Administrator nihil statuere possit, inconsulta eadem S. Sede et S. Congregatione (51). De conaminibus Barlaami certior factus, Nuntius apud Secretarium Regni, Ioannem Szezbek, instabat, ne dictum privilegium, ad evitandum pessimum exemplum, sigillaret (52). Tam Aula Regia quam Nuntiatura prioritatem iuris in extradenda administratione prae-
tendebant. Conventum tamen inter utramque partem fuit, ut prius de persona ad dignitatem Metropolitae elevanda concordetur, in quo quasi binae hebdomadae insumptae fuerunt (53). Ex consultatione cum Senatoribus Regni persona Leonis Kiška, Episcopi Volodymyriensis, emersit, etiamsi Senatores in duas fractiones divisi sunt (54); tandem aliquando sententia praevaluit, ut Leoni privilegium in Metropoliam extradatur (55). Die 21 Octobris 1713 Augustus II Episcopum Volodymyriensem in Metropolitam Kioviensem nominavit litterasque commendationis Romam misit ac die 25 eiusdem mensis electionem Metropolitae in civitate Novhorodensi pro die 16 Februarii 1714

(49) APF, *Scrirt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 3, f. 435.

(50) In sua epistula scribebat Nuntius: «... è necessario che dalla S. Sede si deputi uno de suddetti Vescovi da Amministratore della Metropolia durante la vacanza di quella Sede, accicchè possa haver cura de beni, e supplire à bisogni di quella Provincia in qualità di Vicario Apostolico, qual deputazione nelle due ultime vacanze dice essere stata fatta da Nunzii Apostolici». WELYKYJ A., *Acta ...*, vol. III, n. 912, p. 75.

(51) *IBID.*, vol. III, n. 912, p. 79.

(52) *IBID.*, vol. III, n. 912, p. 75.

(53) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. I, p. 66-67; Cfr. WELYKYJ A., *Acta ...*, vol. III, n. 912, p. 75. - Interea Administratio Eparchiae Peremysliensis Beniamino, Hegumeno monasterii Lauvrovensis, commissa fuit, qua de re Clerus, ob pressiones ex parte Administratoris, apud Nuntium querelas retulit, unde die 20 Junii 1714 administratio Beniamino data revocata fuit. Cfr. PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. I, p. 71.

(54) Pars Senatorum voluit, ut Barlaamo privilegium detur, Leo vero Kiška, ut Episcopus Suffraganeus Barlaami, partem Lithuaniae et bona metropolitana in Lithuania sita administrare debebat. Cfr. PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. I p. 131-132.

(55) Nuntius de concordatu hoc et de nominatione Leonis Kiška in Administratorem non tantum Metropolitae, sed etiam Peremysliensis Eparchiae S. Sedem certioravit. Cfr. WELYKYJ A., *Acta ...*, vol. III, n. 913, p. 80.

intimavit (56). Conamina tamen de promotione Barlaami non cessarunt, praesertim ex parte Adami Sieniawski, Castellani Cracoviensis, ipsiusque Episcopi Leopoliensis, promissa Leoni Coadiutoria Kioviensi. Valida protectione fretus, Leo propositiones partis adversae respuit, et Novhorodeciam pro electione sese contulit (57). Nil mirum, si inter Metropolitam et Episcopum Leopoliensem relationes valde difficiles erant, et in manuscripto Leonis Kiška Barlaam neophyta vocatur ac simoniae incriminatur (58). Episcopus tamen Leopoliensis, Antonio Zavadskyj pro electione Metropolitae ad stabilitum locum misso, suffragium in favorem Leonis Kiška dari iussit (59).

Metropolita autem Barlaamo electionem nepotis sui Athanasii Szeptyckyj in Archimandritam Unioviensem, die 19 Martii 1715 peractam, concessit (60). Brevi post Barlaam Szeptyckyj, gravi infirmitate correptus, die 5 Aprilis eiusdem anni (1715) in monasterio Unioviensi viam aeternitatis ingressus est (61).

Ultimis adhuc diebus vitae Barlaami Szeptyckyj, Metropolita Leo, sicut iam eius praedecessor, bona antiquae Metropolitae Haliciensis sibi assignare studuit (62). Post mortem Barlaami Castellanus Cracoviensis die 12 Aprilis 1715 Augusto II in eius successorem Athanasium Szeptyckyj, Archimandritam Unioviensem, commendabat (63). Instante etiam Joanne Szembek, Secretario Regni, Metropolita Leo Kiška die 17 Aprilis 1715 administrationem Eparchiae Leopoliensis Athanasio tradidit. Rex vero, nominatione die 15 Maii 1715 Varsaviae extradita, litteris ad Metropolitam datis, electionem Episcopi Leopoliensis commendavit (64). Cunctante vero Metropolita difficultatesque elevant (65), Nuntiatura Varsaviensis ab Athanasio iuramentum fidelitatis coram

(56) RUDOVYČ J., *Epys. Szept.*, t. II, p. 132.

(57) IBID.; PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.* t. II, P. I, p. 67.

(58) « Consecrabat ad Metropoliam simoniace Barlaamus Szeptycki episcopus Leopoli. neophytus octuagenarius, cum eum promovebat Adamus Sieniawski ..., »; PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. I, p. 66.

(59) IBID., p. 71; RUDOVYČ J., *Epys. Szept.*, t. II, p. 132-133; - Die 15 Octobris Clemens PP. XI Leonem Kiška in Metropolitam praeconisavit. Iuramentum, Barlaamo vita functo, coram Archiepiscopo Leopoliensi latini ritus die 13 Iulii emisit. PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. I, p. 72.

(60) RUDOVYČ J., *Epys. Szept.*, t. II, p. 133.

(61) IBID.; PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. I, p. 73, 74.

(62) Hac de re Adamus Sieniawski in litteris ad Cancellarium Regni, Joannem Szembek. RUDOVYČ J., *Epys. Szept.*, t. II, p. 186, n. 1.

(63) IBID., t. II, p. 186.

(64) IBID., t. II, p. 187.

(65) Inter alias difficultatem aetatis opponebat. Secundum enim decreta Alexandri III et Gregorii XIV (a. 1591) neonon Concilii Tridentini, Sessione VII, unusquisque Episcopus tempore consecrationis aetatem 30 annorum habere debuit. Cfr. IBID., t. II, p. 187.

Archiepiscopo Leopoliensi latini ritus emittendum postulabat, ut pro confirmatione eiusdem ad S. Congregationem de Propaganda Fide mitteret.

Eodem tempore, quo litterae Romam mittebantur, Metropolita electionem (66) Episcopi Leopoliensis perficere debuit. Metropolita tamen electionem procrastinare statuit, donec responsum Roma acciperet, interea canonicam visitationem Eparchiarum lithuanarum perficere intendebat, ut litterae Athanasii ad Castellatum Cracoviensem illustrant (67). Unde fautores Athanasii a Nuntio litteras, quibus ipse Metropolita eodem anno (1715) electionem perficere et Nominatum in Episcopum consecrare obligabatur, obtinuerunt. Cum dictis litteris etiam responsiones, quae eodemque tempore Roma ad Nuntium pervenerunt, Metropolitae missae sunt. Hac de causa Metropolita pro die 21 Septembris 1715 in Cathedra Leopoliensi electionem intimavit ac post electionem in ecclesia Confraternitatis Staupigianae Leopoliensis Electum in Episcopum, assistentibus Porphyrio Kul'čyckij, Episcopo Pinscensi et Josepho Levyckij, Cholmensi Episcopo, die 21 Septembris consecravit (68); simul cum Eparchia Athanasius etiam Archimandriam Unioviensem retinuit (69).

Electio iuvenis Episcopi Ecclesiae Leopoliensi, quae sub Josepho Szumlanskyj (1700) formaliter ad Unionem accessit, sub Barlaamo Szeptyckij vero in Unione corroborata fuit, summe proficua, imo necessaria erat, ut e spiritu eius novum vigorem acciperet; quem spiritum novus Episcopus mox demonstrare optimam nactus est occasionem.

Anno 1715 (70) Metropolita Kioviensis Leo Kiška Sedem Apostolicam supplicavit, ut facultas Synodum Provinciale convocandi ipsi impertiretur, cui supplicationi Sedes Apostolica die 20 Martii 1716 annuit (71). Propter varia impedimenta et debitam praeparationem, Synodus tantummodo pro die 26 Augusti 1720 in civitate Leopoliensi a Metropolita intimari potuit, quae ta-

(66) Praxis electionis Episcopi, ut dictum est, sola formalitas fuit, sed tamen sine eiusdem consecratio fieri non potuit.

(67) *IBID.*, t. II, p. 187-188, n. 3.

(68) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. I, p. 72; - Ipse Athanasius die 13 Septembris 1715 ad protectorem suum scribebat: « Zachodzace ambiguitates Im-X. Metropolity naszego już reszłowowała suprema potestas, ratificato Iuramento ac tandem Electia moia pro die 21 praes. w katedrze a zaraz nazaiutrz Consecratio Electi w cerkwi mieyskiey determinowac ». RUDOVYČ J., *Epys. Szept.*, t. II, p. 188, n. 1.

(69) HARASIEWICZ M., *o. c.*, pp. 587, 588.

(70) *Synodus Provincialis Ruthenorum habita in Civitate Zamosciae anno 1720*, ed. III, Romae 1883, pp. 30, 31.

(71) RUDOVYČ J., *Epys. Szept.*, t. II, p. 238.

men ob pestem Leopoli grassantem (72), ad civitatem Zamostianam, immutato termino, translata fuit (73).

Episcopus Leopoliensis cum numerosa delegatione suae Eparchiae ad Synodum statuto die venit, in qua activas partes habuit, tum in eius celebratione tum praesertim exequutione, unde benevolum animum Metropolitae sibi conciliavit (74), qui eum sibi in Coadiutorem cum futura successione adsciscere statuit. De hac sua intentione Metropolita Augustum II certiozem reddidit, cui intentioni Rex annuit (75), sed, probabiliter, nullum privilegium extradidit (76), dum Athanasius usque ad annum 1727 in suis litteris cum titulo Episcopi Leopoliensis, sine additione « Coadiutor », subscribebatur (77).

Post Synodum Zamostianam Athanasius decisiones eiusdem assidue in vitam Eparchiae introducere operatus est. Cui activitati tum circumstantiae politicae, tum ecclesiasticae singulaeque personae plurima obiebant impedimenta.

Iam inde ab ultimis Regis Ioannis Sobieski annis potentia Moscoviae super regnum Poloniae notari coepit, quae tempore dynastiae Saxonum ita crevit, ut in certaminibus inter Regem et nobilitatem Petrus I mediatorem ageret (78). Dum Polonia internis externisque luctis dissidiisque summe laborabat, Moscoviae omnis vis et potestas in manibus unius personae concentrabatur. Imo, anno 1721 Petrus I seipsum ut caput Ecclesiae disunitae constituit totamque Ecclesiam et vitam ecclesiasticam suae subiecit potestati laicae et arbitrio (79). Cum augmento potentiae Moscoviae etiam impetus eius in Ecclesiam Ucrainam augebatur (80). Huic periculo Athanasius internum vigorem suae Eparchiae et totius Unionis opponere statuit, omnesque

(72) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. I, pp. 81, 82, 86; MOSZYŃSKI A., *Kronika Kolegium Lubieszowskiego XX. Piarów*, Cracoviae 1876, p. 53.

(73) *Synodus Provincialis Zamosciensis*, p. 33-34; RUDOVYČ J., *Epys. Szept.*, t. II, p. 239-240; PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. I, p. 83.

(74) RUDOVYČ J., *Epys. Szept.*, t. II, p. 240 - Ante Synodum Zamostianam Athanasius postulata ad Nuntium Apost. Poloniae misit, quae in dicta Synodo considerabantur et in quibus quaestio de transitu de graeco ad latinum ritum locum habuit. Cfr. *IBID.*, t. III, (a. 1902), p. 233-235, et n. 1.

(75) *IBID.*, t. II, (a. 1901), p. 240.

(76) Agitur fortasse non de actuali nominatione, sed solummodo de futura intentione, quia Metropolita tunc temporis necessitatem Coadiutoris nondum habuit. Cfr. *IBID.*, t. II, p. 240.

(77) « Manifestatio Ill. Leonis Kiszka ... Athanasii Szeptycki Eppli Leopoliensis coram actis concist. Peremislensibus 26 Maii 1727 et Leopoliensibus die 20 Iunii 1727 contra Generalem Lithuaniae ». *IBIDEM*.

(78) SCHMITT A., *Dzieje Polski XVIII i XIX wieku*, Kraków 1866, t. II, p. 1-11.

(79) RUDOVYČ J., *Epys. Szept.*, t. II, (a. 1901), p. 241.

(80) Latina etiam Hierarchia in Regno Poloniae suam potestatem super catholicos ucrainos extendere conabatur, ut patet ex folio desideriorum Episcoporum latinorum,

vires in manus Episcoporum adunandas necessarium duxit. Inde, imprimis, rebellionem spiritualem Confraternitatis Stauropigianae Leopoliensis compescere studuit, quae etiam post Synodum Zamostianam (81) libros liturgicos non emendatos typis tradebat, divendebatque. Quapropter anno 1722 libros Confraternitatis in sua Eparchia venumdari prohibuit eamque apud Nuntium Apostolicum Poloniae accusavit (82), qui revisionem librorum Confraternitatis indixit; commissio revisionis, quatuor constans personis, in favorem Episcopi rem anno 1724 solvit librosque incorrectos occludere iussit (83). Confraternitas tamen obedire renuit et ad S. Congregationem de Propaganda Fide appellavit causamque Romae vicit.

Nuntio autem mandatum est, ut commissionem liturgicam pro revisione librorum designaret, quae commissio tamen causam in favorem Episcopi resolvit (84).

Inde a primis diebus anni 1726 Metropolita, Leo Kiška, Coadiutorem cum futura successione sibi procurare conatus est, eodemque anno ad hanc dignitatem, sine consensu Episcoporum, Florianum Hrebnyckyj, Archiepiscopum Polocensem elegit ac approbationem S. Congregationis de Propaganda Fide Sedisque Apostolicae confirmationem postulavit (85). Romae, in Congregatione Particulari 15 Septembris 1727 habita, electio Coadiutoris probata non fuit, quia secundum decreta hac de re a Sede Apostolica emanata Metropolita suum Coadiutorem independentem ab Episcopis eligere non potuit (86).

quae ad Synodum Zamostianam data fuerunt. *IBID.*, t. II, p. 242, n. 1.

(81) *IBID.*, t. II, p. 245-246; Non obstantibus conatibus Athanasius multum facere non potuit, quia Hierarchia ucraina catholica promissa ei iura non tantum non obtinuit, sed etiam tamquam inferior ab Hierarchia latini ritus considerabatur. Cfr. BORZYŃSKI M., *o. c.*, t. II, p. 283.

(82) *Encyclopedya Powszechna*, ed. Orgelbranda, Warszawa 1867, t. XXIV, p. 621-622.

(83) RUDOVYČ J., *Epys. Szept.*, t. II, p. 246-247.

(84) Nuntius commissionem instituit (in qua Latini maiorem numericam partem constituebant), quae plus quam unum annum (17. XI. 1729 - 17. III. 1731) ad munus suum exequendum insumpsit. Post revisionem librorum, quidam destrui, ex aliis autem omnia, quae secundum mentem commissionis anticatholica videbatur, eliminari iuebantur. Cfr. *IBID.*, t. II, p. 247; CHOJNACKYJ A. T., *Zapadno-ruskaja cerkovnaja Unia v jeja bohosluzheniji i obrjadach*, Kioviae 1871, p. 13.

(85) APF, *Congreg. Part.*, vol. 93, f. 73-84; *IBID.*, vol. 74, f. 35.

(86) *IBID.*, vol. 93, f. 73; In dictis decretis legimus: « ... concedendam esse licentiam seu facultatem R. P. D. Antonio (Sielava) Metropolitae ... congregandi Synodum suorum Archiepiscoporum, Episcoporum, et Prelatorum ad effectum proponendi Sanctitati Suae pro Coadiutore cum futura successione Chioviensi, ac Metropolitae totius Russiae, quem ipse R. P. D. Antonius cum Synodo censuerint esse ad praedictum munus idoneum ... illum in Coadiutorem suum cum futura successione petendi ». WELKYJ A., *Acta ...*, vol. I, n. 337, p. 195, n. 344. p. 198.

Postquam vero notitia, quod Metropolita morbo epilepsiae percussus est, Romam pervenit necnon Archiepiscopus Polocensis Romae commorabatur, (87) in Congregatione Particulari die 19 Aprilis 1728 habita (88) dicto Archiepiscopo duo Brevia in Administratorem Apostolicum extradari decretum fuit (89).

Metropolita autem contrariam responsionem ad petitionem ex anno 1726 pro Coadiutore obtentus, ne post sui mortem Metropolia Pastore orbata remaneret, cum periculo totius Ecclesiae Unitae, Volodymyriam Episcopos pro primis diebus Martii convocavit, alium Coadiutorem cum futura successione, Athanasium Szeptycky Episcopum Leopoliensem, elegit (90). Die vero 2 Martii 1728 Metropolita litteras Romam misit, in quibus de sua infirmitate certioram reddidit S. Congregationem et pro neo-electo Coadiutore confirmationem Apostolicam supplicavit (91). Quatuor Episcopi eodem die litteras eiusdem tenoris miserunt (92). Nuntius vero Apostolicus Poloniae die 17 Martii 1728 ad Secretariam Status scripsit, et facultatem pro solito processu informativo componendo expetivit (93). Die vero 24 Martii et ipse electus Coadiutor litteras Romam misit, de sua electione in Coadiutorem cum futura successione certiorando (94). In fine, epistula data, princeps Wiszniowiecki, Castellanus Cracoviensis, Coadiutorem commendavit (95).

De hac electione Secretarius S. Congr. de Prop. Fide congregationi particulari hac de re congregata quasdam observationes praesentavit.

Bulla Clementis PP. VIII «*Decet Romanum Pontificem*» de electione Metropolitae ab Episcopis «iuxta eorum morem, seu modum illis permis-

(87) Florianus Hrebnyckyj causam bonorum cum Jesuitis Polocensibus Romae promovebat. Cfr. RUDOVYČ J., *Epys. Szept.*, t. II, p. 302.

(88) APF, *Congreg. Part.*, vol. 93, f. 79.

(89) Unum Breve in casu reditus in patriam Floriani Hrebnyckyj, vivente adhuc Metropolita, ut suam nominationem comprobare valeret; alterum autem casu mortis Metropolitae, in quo ultimo casu non solum Metropoliam virtute Synodi Zamostianae (Cfr. *Syn. Zamosciensis*, Sessio III, tit. V, p. 93.) tamquam vicinior, administrare deberet, verum etiam ex deputatione atque confirmatione S. Sedis. Si autem reversus Metropolitam adhuc inter vivos invenisset, Nuntius omnia facere deberet, ut dictus Archiepiscopus, servatis servandis ad formam decretorum, Bullaeque Clementis PP. VIII, in Coadiutorem eligeretur. Nullum tamen Breve exaratum fuit, cum Archiepiscopus ante solutionem suae causae Romam relinquere noluit. Cfr. APF, *Congreg. Part.*, vol. 93, f. 35rv., f. 37, f. 74v., f. 78v-79.

(90) RUDOVYČ J., *Epys. Szept.*, t. II, p. 302.

(91) APF, *Congreg. Part.*, vol. 93, f. 35v.

(92) IBID., f. 36.

(93) IBID., f. 75; - Die 9 Aprilis anni 1728 responsum ipsi datum fuit, Metropolitam sine beneplacito Sedis Apostolicae Coadiutorem instituere non posse. Cfr. IBID., f. 75v.

(94) IBID., f. 36.

(95) IBID.

sum » (96), nihil de Coadiutoris electione habet, et secundum decreta (97) Sedis Apostolicae Episcopi una cum Metropolita sine speciali indulto Sedis Apostolicae pro electione, Coadiutorem Metropolitae cum futura successione eligere nequeunt (98), quod praesenti in casu locum non habuit. Metropolita autem in suis litteris de electione Athanasii in Coadiutorem Romam missis de postulatione in favorem primi Coadiutoris anno 1726 facta nullam mentionem fecit ideoque eam revocare videbatur (99). Denique, hac de re Nuntius Apostolicus nihil scripsit, unde videtur, quod electio clandestine facta est (100). Inde Congregatio particularis die 26 Aprilis 1728 electionem Coadiutoris nullam declaravit, certiorato Nuntio, et ut Episcopis nihil responderetur iussit (101). S. Congregatio magis in favorem iam pluries nominati Floriani Hrebnykyj inclinabatur, Nuntius vero a die 27 Septembris ad 5 Octobris 1728 processum informativum de qualitatibus neo-electi exaravit (102).

Dum haec agebantur, die 8 Decembris 1728 Nuntius de morte Metropolitae Leonis Kiška in civitate Kupečovenski 19 Novembris eiusdem anni (103) ab Episcopo Leopoliensi edoctus, litteras Romam misit ac exemplum praedecessorum suorum in similibus casibus sequendo administrationem Metropolitae Athanasio Szeptyckyj, Episcopo Leopoliensi, cum Archiepiscopus Polocensis, ad quem, ad Synodi Zamostianae decisiones, administratio pertinebat, extra Patriam morabatur, commisit (104).

Dicta nominatio Administratoris a Congregatione particulari die 16 Januarii 1729 habita in considerationem iterum resumpta fuit, ob responsum nega-

(96) WELYKYJ A., *Documenta ...*, vol. I, n. 152, p. 268.

(97) Nominata Decreta die 24 Augusti et 1 Septembris 1643 extradita sunt. Cfr. APF, *Congreg. Part.*, vol. 93, f. 36; WELYKYJ A., *Acta ...*, vol. I, n. 335, p. 195, n. 334, p. 189.

(98) Ubi enim legimus: « Si praedictae nominationes sonent in Coadiutorias cum futura successione cum provisiones huiusmodi ad solam Sedem Apostolicam spectant neque Episcopi potuissent congregari sine speciali eiusdem S. Sedis Apostolicae licentia ». APF, *Congreg. Part.*, vol. 93, f. 36.

(99) De revocatione agi non potest, quia litterae hae validae fuerunt usque ad Coadiutoris constitutionem.

(100) APF, *Congreg. Part.*, vol. 93, f. 36v, f. 74.

(101) *IBID.*, f. 37, f. 74; - Cum autem Metropolita die 19 Novembris 1728 de vivis decessit in electione Coadiutoris modum suum agendi explicare non potuit. Cfr. *IBID.*, f. 74v.

(102) ASV, *Processus Concistoriales*, vol. 115, f. 396v.-382v.

(103) *Ostatnie prace Stebelskiego*, in « *Scriptores rerum Polonicarum* », Cracoviae 1878, t. IV, p. 285.

(104) APF, *Congreg. Part.*, vol. 93, f. 74v-75; - Quam maxime necessarium erat, ut Nuntius aliquem ex Episcopis in administratorem deputaret, quia in similibus casibus statim post mortem Metropolitae simili modo procedebatur.

tivum de Coadiutoria Athanasii sub die 26 Aprilis (105). Toto negotio iterum quoad factum et ius propositum a Secretario Congregationis, nec non oppositionibus tam Archiepiscopi Polocensis (106) quam Basilianorum (107) adductis, decretum fuit «non esse locum praetensae Coadiutoriae neque confirmationis Administratoris Metropolitae a D. Nuntio deputati» (108). Ad Nuntium scribere iubebatur, ut nomine Sedis Apostolicae ex integro Episcopum Leopoliensem in Administratorem Apostolicum vacantis Metropolitae, tam quod spiritualia quam quoad temporalia, usque ad electionem confirmationemque novi Metropolitae, deputet. Insuper per litteras S. Congregationis de Propaganda Fide die 22 Ianuarii ipsi iniunctum est, ut electionem usque ad novum ordinem impediatur ac auditis tam Episcopis quam Protoarchimandrita Consultoribusque eiusdem de eorum iure in electione Metropolitae pro tempore eorum rationes respectivas S. Congregationi transmittat, suumque votum exponat (109). Nuntius in litteris de die 16 Februarii (110) notificabat, quod omnia in deputatione Episcopi Leopoliensis in administratorem Metropolitae ex integro exequiebantur. In Congregatione particulari, die 30 Martii 1729 habita, his aliisque (111) litteris consideratis, ad Nuntium scribi

(105) APF, *Congreg. Part.*, vol. 93, f. 76v.

(106) Archiepiscopus Polocensis sua iura in Synodo Zamostiana sibi adjudicata strenue defendebat voluntatemque Congregationis de Prop. Fide de sua possibili administratione (19. IV. 1728) in suum favorem explicabat. Ideo Archimandritam Minsensem, A. Lubineckij, in suum Vicarium Generalem nominavit, cui omnes facultates ad casum administrationis Metropolitae commisit, affirmans Episcopum Leopoliensem, si in administratione confirmaretur, etiam Vicario opus habere. Si tamen hoc S. Congregationi non placeret, ut Episcopus Cholmensis, Josephus Levickij, deputaretur usque ad suum in patriam reditum. Cfr. *IBID.*, f. 78-79v; *RUĐOVYĚ J., Epys. Szept.*, t. III, p. 51, n. 1.

(107) Basiliani electioni opponerentur cum sine ipsorum interventu facta esset. Inde iura sua in litteris ad Nuntium et ad S. Congreg. de Prop. Fide amplissime probare conabantur (Cfr. APF, *Congreg. Part.*, vol. 93, f. 80-82, f. 243v-244, f. 318-321) et Athanasium tamquam virum in fide catholica vacillantem praesentaverunt (Cfr. *Encyclopedya Powszechna*, t. XXIV, p. 622). His obiectionis Episcopatus ucrainus tum ad Nuntium quam ad S. Sedem responsionem dedit (Cfr. APF, *Congreg. Part.*, vol. 93, f. 321v-322). Solummodo anno 1743 in Capitulo Dubnensi quaestio haec solutionem obtinuit (Cfr. APF, *Scr. rif. n. Congr. MPR*, vol. 7, f. 179; *BLAŻEJOWSKYJ D., De potestate Metropolitarum Kioviensium Catholicorum in Clerum regularem*, Romae 1943, p. 158).

(108) APF, *Congreg. Part.*, vol. 93, f. 84.

(109) *IBID.*, f. 137.

(110) Nuntius vero, tum ad Secretariam Status quum ad S. Congr. de Propaganda Fide scripsit. Cfr. *IBID.*, f. 138.

(111) Alias litteras Nuntius sub die 23 Februarii et 2 Martii scriptas Romam misit. Cfr. *IBID.*, f. 238.

statuebatur, quod Episcopi Ucrainae et Bielarusjæ ad electionem novi Metropolitæ Kioviensis absque interventu Protoarchimandritæ Consultorumque O. S. B. M. « pro hac vice tantum » procedere possint (112). Cum omnia iuxta prae-scriptiones S. Congregationis de Propaganda Fide a Nuntio Apostolico Poloniae exsequuta fuissent, die 30 Maii 1729 Luceoriae unanimi voto Episcoporum Athanasius Szeptyckyj in Metropolitam Kioviensem Haliciensemque catholicum electus est (113).

Athanasius suam Cathedram cum proposito in capite et in membris Ecclesiam Ucrainam secundum decisiones Synodi Zamostianae reformare ascendit (114), imprimis quoad eius vitam liturgicam.

Usque ad Synodum Zamostianam catholici ucraini eisdem libris liturgicis, quos ante Unionem habebant, in liturgia utebantur, qui autem non solum plures variationes minoris, at etiam maius momenti continebant, ita ut, praesertim in collatione Sacramentorum, non semel de valore Sacramenti dubium exoriebatur (115). Ut autem haec omnia pericula eliminarentur, in Synodo Zamostiana revisio librorum liturgicorum statuebatur; quae sat longum spatium temporis postulabat; qua de causa solum die 17 Novembris 1733 « Liturhikon » (116) in monasterio Unioviensi typis editum fuit, qui deinde fundamentum catholicarum editionum Missalium pro ucrainis constituebat. Post hanc editionem « Trebnyk » (Rituale) praeparabatur edendum, qui primis mensibus anni 1739 in lucem prodiit. Multi alii libri liturgici conatibus sumptibusque Metropolitæ Athanasii editi sunt (117), qua in opera Metropolita cum Confraternitate Stauropigiana certare debuit (118).

Sub Athanasio Szeptyckyj etiam exemptio Monachorum O. S. B. M. a iurisdictione Metropolitæ Episcoporumque locum habuit, de qua inde a Synodo Zamostiana saepe saepius agebatur. Iam praedecessor Athanasii Barlaam Szeptyckyj quamdam reformationem Basilianorum suae Eparchiae perficere conabatur (119). In Synodo Zamostiana autem nova Congregatio Haliciae instituenda proponebatur.

(112) *IBID.*, f. 174v.

(113) *IBID.*, f. 243rv; AS, Vilnae 1867, t. III, p. 235, 236.

(114) De hac reformatione pauca solummodo notabimus, nam materia copiosa, parum nota fontesque adhuc inediti manent.

(115) RUDOVYČ J., *Epys. Szept.*, t. II, p. 294.

(116) Nominata editio « Missalis - Liturhikon » super Missalia: Petri Mohyla (a. 1629), Metropolitæ catholici Cypriani Zochovskyj (a. 1692-1695) et super editionem Suprasliensem Metropolitæ Leonis Kiška (a. 1727) fundabatur. Cfr. LIKOWSKI E., *Dzieje Kosc.*, p. 41-47; NEDILSKYJ ST., *Uniatskyj Metropolyt Lev Kiška*, p. 302-308.

(117) RUDOVYČ J., *Epys. Szept.*, t. II, p. 289-298.

(118) *IBID.*, t. II, p. 295-296, p. 244-248.

(119) *IBID.*, t. II, p. 120; WOJNAR M., *De regimine Basilianorum Ruthenorum*, vol. I, Romae 1949, p. 75-76.

Cum vero in proposita nova Congregatione monasteria ad SS. Trinitatis Congregationem pertinentia aderant, quae Congregatio SS. Trinitatis amittere noluit, iam in Synodo Zamostiana controversiae exoriebantur ac solum anno 1739 in Capitulo Leopoliensi (120), ad exemplar primorum Capitulorum Congregationis SS. Trinitatis, constitutiones compositae sunt novaque Congregatio « Protectionis Beatae Mariae Virginis » erecta et in primum Proto-archimandritam Congregationis Patricius Zyravskyj electus est (121). Attamen statim post Capitulum Congregatio SS. Trinitatis (lithuana) decisionibus huius Capituli sese opposuit et omnia fecit, ut acta Capituli Romam missa non approbarentur (122). Ob has instantias Congregatio particularis, pro die 1 Maii 1742 convocata coram Benedicto PP. XIV, praedictum Capitulum approbare noluit Nuntioque Apostolico Poloniae, Fabritio Sarbelloni, iniunxit, ut quamprimum unionem utriusque Congregationis in unum monasticum corpus procuraret (123). Non obstantibus plurimis protestationibus, pro die 26 Maii 1743 in civitate Dubnensi a Nuntio primum Capitulum Generale pro utraque Congregatione intimatum est (124). Post haud parvas (125) disceptationes unio utriusque Congregationis in unum Ordinem decreta fuit, constitutiones vero Capituli, Romam transmissae, consitutione pontificia « *Inter plures* » (126) probatae fuerunt; cui unioni Benedictus PP. XIV nomen « Ordo Sancti Basilii Magni Ruthenorum » imposuit (127).

Athanasius Szeptycky, ut Metropolita Kioviensis atque Haliciensis, Onuphrium Szumlanskyj in Coadiutorem Episcopo Peremysliensi anno 1739 constituit ac Episcopum Pinscensem, Teophilum Godebskyj, ex Pinscensi ad Volodymyriensem Eparchiam, duosque Archimandritas: Martianum Holovnia ex Drohobuscensi ad Mielecensem et Andream Binecky ex Ovrucensi ad Cobrinensem, archimandrias, transtulit (128).

(120) WOJNAR M., *o. c.*, pp. 77, 78, 79.

(121) RUDOVYČ J., *Epys. Szept.*, t. III, p. 37.

(122) Negotium hoc Caesarius Stebnovskyj, novus Procurator in Urbe, cum auxilio Hieronymi Ozymkevyc promotebat, unionemque etiam cum monachis graeco-melchitis proposuit, qua propositione sibi favorem S. Congregationis de Prop. Fide conciliavit. Cfr. *IBID.*, t. III, p. 40. WOJNAR M., *o. c.*, p. 82.

(123) RUDOVYČ J., *Epys. Szept.*, t. III, p. 42; - Hac de re Metropolita quoque literis de die 27 Maii 1742 a Benedicto PP. XIV datis, edoctus fuit. Cfr. WOJNAR M., *o. c.*, p. 83.

(124) RUDOVYČ J., *Epys. Szept.*, t. III, p. 47; WOJNAR M., *o. c.* p. 84; BLAŽEJOWSKYJ D., *o. c.*, p. 39.

(125) Solum in undecima sessione die 7 Junii habita ad unionem perventum est. Cfr. RUDOVYČ J., *Epys. Szept.*, t. III, p. 52-53.

(126) DE MARTINIS R., *Iuris Pontificii de Propaganda Fide*, Romae 1888, P. I, vol. III, p. 143-151; WELYKYJ A., *Documenta...*, vol. II. N. 704.

(127) WOJNAR M., *o. c.*, p. 87; RUDOVYČ J., *Epys. Szept.*, t. III, p. 58.

(128) ASV, N. V., vol. 149, f. 106.

Post mortem Athanasii Szeptyckyj, tam Metropolia Kioviensis et Haliciens quam Eparchia Leopoliensis vacantes per duos fere annos remanserunt, donec de novis Pastoribus provisae fuerunt. Metropoliam (129) Archiepiscopus Polocensis, Florianus Hrebnyckyj (a. 1748), Leopoliensem autem Leo Szeptyckyj, Archimandrita Mielecensis, nominatione regia die 9 Martii 1748, obtinuit, qui die 14 Maii 1749, iuxta vetus calendarium, in sua abbatiali ecclesia Mielecensi in Episcopum Leopoliensem a Theophilo Godebskyj, Episcopo Volodymyriensi, ad hunc actum a Metropolita delegato, adstantibus Theodosio Rudnyckyj, Episcopo Luceoriensi et Adamo Oranski, Ep. Belinensi ritus latini, Suffraganeo Camenecensi, consecratus fuit, (130) eodemque anno 1749, festo SS. Petri et Pauli, in possessionem praedicti Episcopatus Leopoliensis et quidem non ad Cathedralam S. Georgii, sed ad civitatensem parochialem « Obdormitionis B. M. V. » Leopoliensem ecclesiam solemniter ingressus est (131).

Leo Szeptyckyj inde a primis (132) diebus suae pastoralis activitatis viam a suo praedecessore stratam ingressus est ac omni ope atque opera educationem atque elevationem Cleri saecularis procurabat eisque officia et beneficia tum apud Cathedralam tum eparchialia assignabat. Anno 1761 aedificationem ecclesiae cathedralis ad finem perduxit et, decem annis post, tres Capitula: Leopoliense, Haliciense et Camenecense restauravit, eorumque tamen a Sede Apostolica approbationem obtinere non potuit (133).

Inde a Synodo Zamostiana protestationes Hierarchiae ucrainae contra transitum eorum fidelium ad ritum latinum renovatae fuerunt, ac decursu temporis transitus illi multiplicati protestationem Hierarchiae ucrainae provocaverunt, quaeque tum apud Regem quam Romae factae fuerunt et pro respon-

(129) Iam die 28 Januarii 1747 Episcopus Luceoriensis Theodosius Rudnyckyj regiam nominationem in Metropolitam obtinuit, cui tamen tam Episcopi quam monachi Basiliani sese opposuerunt et in conventu Novhorodecensi, in festo Pentecostes 1747, in Metropolitam Archiepiscopum Polocensem, Florianum Hrebnyckyj, elegerunt et litteras nominationis die 5 Januarii 1748 pro Floriano Hrebnyckyj obtinuerunt. Cfr. PELESZ J., o. c., t. II, p. 489.

(130) HARASIEWICZ M., o. c., 573; *Encyklopedia Powszechna*, t. XXIV, p. 624.

(131) HARASIEWICZ M., o. c., p. 574; - Ecclesia vero S. Georgii a praedecessore Athanasio Szeptyckyj a. 1741 diruta, qui petram angularem consecravit, tunc primo ex fundamentis de novo erigebatur. Cfr. HARASIEWICZ M., o. c., p. 574; RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 45.

(132) HARASIEWICZ M., o. c., p. 574.

(133) RUDOVYČ J., *Ist. Hal. - Lviv. Epar.*, p. 45; - Hoc ipso tempore Basiliani suas praetensiones ad bona Krylos et Perehynsko, quae quondam ad monasteria pertinebant, et in fine ad ipsam Cathedralam Leopoliensem moverunt. In Tribunali tamen Episcopus victoriam obtinuit.

sione Constitutionem « Allatae sunt » a Benedicto PP. XIV. habuerunt (134)

Post mortem Metropolitae Floriani Hrebnyckyj, die 18 Julii 1762, Metropoliā Felicianus Volodkovyč iure Coadiutoriae obtinuit, at certis de causis (135) statim ei Coadiutor cum futura successione datus fuit in persona Leonis Szeptyckyj, Episcopi Leopoliensis, qui die 9 Novembris 1762 nominationem regiam (136), et die 18 Decembris 1762 confirmationem pontificiam obtinuit, (137), professione fidei coram Archiepiscopo Leopoliensi latini ritus emissa. Anno 1768, ob diversas circumstantias politicas territorii, Leo Szeptyckyj administrationem totius Metropoliā tam in spiritualibus quam in temporalibus obtinuit, usque dum Metropolita in possessionem suae potestatis rediit. Decursu huius administrationis Gedeonem Horbackyj in Episcopum Pinscensem consecravit, Theodosium Szujskyj in Archimandritam Dorohobuscensem benedixit instituitque aliaque omnia, quae ad officium Metropolitae pertinebant, peragebat. Deinde die 9 Novembris 1772, concordia cum Metropolita, instante Nuntio Josepho Garampi et Sede Apostolica die 8 Januarii 1773 approbante, inita, denuo Administrator Metropoliā in spiritualibus perpetuus et irrevocabilis constitutus fuit (138).

(134) PELESZ J., *o. c.*, t. II, p. 489 PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, p. I, p. 188-189; MALINOWSKI M., *o. c.*, p. 66-67.

(135) In suis litteris ad Secret. Status Nuntius scripsit: « La condotta non molto lodevole di Mons. Wolodkowycz, vescovo greco di Vladimiria, già da qualche anno Coadiutore del Metropolitano di Russia, dava bene a temere un grave pregiudizio alla Chiesa, se non trovassi qualche espediente, che potesse riparare ai di lui poco buoni regolamenti ... per la morte dè Metropolitano era egli di già succeduto ... mi fece pensare che unico partito per rimediare ai temuti mali sarebbe stato il poterlo indurre a domandare un Coadiutore cum futura successione ... »; ASV, *Arch. S. Congreg. Concistor.*, *Acta* ..., vol. anno 1762.

(136) *IBID.*; HARASIEWICZ M., *o. c.* p. 574; APF, *Scritt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 7, 132rv.

(137) WELYKYJ A., *Documenta* ..., vcl. II, n. 756; APF, *Scritt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 9, f. 16; - errore in Bullam irrepto, in loco Camenecensis scriptum est enim Chelmensis, Nuntius pro correctione ad S. Congregationem de Prop. Fide scripsit.

(138) HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 575

CAPUT TERTIUM

DE RESTAURATIONE METROPOLIAE HALICIENSIS

Post primam dismembrationem Poloniae Regnum Haliciae et Volodymyriae Austriae adiudicatum fuit. Exinde in historia Ecclesiae Haliciensis nova periodus suum habet initium, qua Hierarchia Ucraina suam obtinuit dignitatem et honores, quas decursu suae historiae sub dominio Poloniae frustra assequi totis conabatur viribus. Tempestiva Metropoliae Kioviensis et Haliciensis divisio maximi momenti fuit pro conservatione tum catholicitatis tum nationalitatis Ucrainae occidentalis.

Dicta periodo restauratio Metropoliae Haliciensis evenit, quae thema dissertationis nostrae constituit, quod quinque absolvemus articulis. In primo de adumbratione ideae restorationis agemus, in secundo vero novas circumstantias et necessitates, quae eam exigebant, exponemus; in tertio, Cleri et Gubernii conamina circa restorationem simulque obiectiones contra eam elucidabimus, in quarto de ultimis vacillationibus sermo erit ac in fine promulgatam Metropoliae restorationem ope Bullae Restorationis concludemus.

Art. - DE STATU METROPOLIAE KIOVIENSIS HALICIENSISQUE CATHOLICAE POST PRIMAM DIVISIONEM POLONIAE (1772).

Post mortem Regis Poloniae Augusti II (1. II. 1733) (1) in Polonia influxus Moscoviae in dies crescebat ita, ut moscovitae magnam partem in electione novi Regis Augusti III (5. X. 1733) (2) habuerunt. Hac de causa Rex decursu sui regiminis fautoribus suis favebat; ideo nihil mirum, quod post eius mortem (5. X. 1763) (3), tempore interregni, fluctuatio quaedam politica « Familiam Czartoryski » inter et alias Regni « Familias » (Potocki, Radziwill, Branicki), iam a longo tempore secum luctantes, exorta est (4). Familia Czar-

(1) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. I, p. 120.

(2) PETRUŠEVYČ A., *ibidem*; AMMANN A. M., *o. c.*, p. 374.

(3) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. I, p. 242; AMMANN A. M. *o. c.*, p. 374; PELESZ J., *o. c.*, t. II, p. 500; PASTOR L., *Storia dei Papi*, Roma 1933, Vol. XVI, l. p. 510.

(4) PELESZ J., *o. c.*, t. II, p. 500, n. 42.

toryski, filo-moscovita, ne succumberet, Moscoviam in auxilium advocavit, quae occasionem hanc arripuit, ut in res politicas Poloniae immisceretur.—Capta hac occasione Catharina II pacem cum Borussia (5) accurate servabat, imo tractatum offensivum defensivumque cum Federico II Borussiae conclusit (6), quem die 11 Aprilis 1764 secretis articulis quoad electionem Regis Poloniae ampliavit (7), sub praetextu regiam Poloniae auctoritatem roborandi (8) seu potius facilius, occasione data, in res Regni se immiscendi (9). Attamen pro nunc Catharina II et Rex Borussiae nihil aliud nisi electionem sui candidati, Stanislai Poniatowski, (10) postulabant, quod die 7 Septembris 1764 suum effectum habuit (11), et triumphum « Familiae Czartoryski » (12) procuravit. Iam brevi post suam electionem Stanislaus, qui nomen Augusti IV sumpsit, « Pacta Conventa » seu 47 articulos promulgavit (13), ex quibus quaedam potestatem regis amplificabant, alii autem pacem et securitatem dissidentibus, sed sine praeiudicio Ecclesiae Catholicae ritus graeco-uniti, promittebant (14). Suam enim electionem tam Clementi PP. XIII quam maiori

(5) PASTOR L., o. c., vol. XVI, 1, p. 511.

(6) PASTOR L., o. c., vol. XVI, 1, p. 512.

(7) *Article secret du traité d'alliance entre l'imperatrice de toutes les Russies et le Roi de Prusse à Petersbourg le 31 Mars (11 Avril) 1764.* THEINER A., *Die neuesten Zustände der katholischen Kirche beider Ritus in Polen und Russland seit Katharina II bis auf unsere Tage*, Augsburg 1841, p. 151, n. 7; PELESZ J., o. c., t. II, p. 522, n. 75.

(8) PELESZ J., o. c., t. II, p. 522; AMMANN A. M., o. c., p. 374.

(9) Hoc Romae quoque praevidebatur: « Teme (N. S.) e con fondamento che qualche nazionale compri dalla Prussia e dalla Moscovia il regno di Polonia con patti assai pregiudiziali alla religione e colla cessione di qualche paese alle due sopradette potenze ». PASTOR L., o. c., vol. XVI, 1, p. 511, n. 4.

(10) « Caterina aveva anche trovato già un successore adatto di Federico Augusto in Stanislao Poniatowski, personaggio malaticcio, snervato, senza indipendenza di carattere, che quando ancora Pietro III era vivo aveva avuto rapporti illeciti colla zarina e che della sua non meno sensuale che brutale signora era ritenuto a sè devoto in ogni caso ». PASTOR L., o. c., vol. XVI, 1, p. 512; - Hac de re videsis quoque: FORST-BATTAGLIA O., *Stanisław August Poniatowski und der Ausgang des alten Polenstaates*, Berlin 1927, p. 97 sq.

(11) PASTOR L., o. c., vol. XVI, 1, p. 515; PELESZ J., o. c., t. II, p. 500, n. 42; - In hac electione influxus Moscoviae quam maxime apparet, cum candidatus tsarinae electus fuit, dum tempore electionis castellum regale et locus sessionum ab exercitu moscovitico, fractionisque Czartoryski occupabantur. Cfr. THEINER A., *Vet. Mon. Pol. Lit.*, t. IV, P. II, p. 28; BEER A., *Die erste Teilung Polens*, Wien 1873, t. I, p. 161 sq.

(12) BEER A., o. c., t. I, p. 114 sq.

(13) THEINER A., *Vet. Mon. Pol. Lit.*, t. IV, P. II, p. 47 sq.

(14) PASTOR L., o. c., vol. XVI, 1, p. 515; « Et comme le nombre des Dissidens en matière de religion est considérable dans les états de la République, nous promettons de les maintenir en paix par rapport à la religion chrétienne, sans porter aucun

parti regentium communicavit (15). Moscovito-borussiana desideria in Polonia plenum adhuc effectum obtineri non potuerunt, sed cum Augusto IV oppositiones evanuerunt. Pax tamen interna in Polonia obtenta non fuit, cum hoc ipso tempore dissidentes aequalitatem iurium postularent (16) et dum ad hoc a moscovitis inflammabantur, relationes amicales inter « Familiam Czar-toryski » et ministrum tsarinae, Repnin, peiorabantur (17). Ut autem facilius ad suum intentum tsarina pervenire posset, protectrix « orthodoxorum » in Polonia sese proclamare non haesitavit (18).

Hoc modo pro Ecclesia Ucraina Catholica via crucis coepta est, cum aestate 1765 Episcopus Georgius Konyskyj, Kioviae educatus, necnon ante episcopalem dignitatem munere Rectoris Accademiae Kiovensis functus, simulque acerrimus Unionis inimicus, Petropoli revertens (19) in Diaeta eius-

préjudice aux droits de l'église catholique Romaine et du rit grec uni ... »; THEINER A., *Vet. Mon. Pol. Lit.*, t. IV, P. II, p. 48 (7. Dissidens).

(15) THEINER A., *o. c.*, t. IV, P. II, p. 55 sq.; - Quoad difficultates Aulae Parisiensis et Viennensis Regi factas, cfr. BEER A., *o. c.*, t. I, p. 175-181; PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. I, p. 265.

(16) LIUBIENSKA M. C., *Spawa dysydenska 1764-1766*, in « *Monografie w zakresie dziejów nowożytnych* », ed. Sz. Askenazy, vol. XIII, Varsavia 1911, p. 24-32.

(17) Cfr. ALKARA, *Ksiaże Repnin i Polska w pierwszym czterolecu panowania Stanisława Augusta (1764-1768)*, Kraków 1897, t. I, p. 61-75 sq.; - « ... la tensione tra Repnin e gli Czartoryski andò in seguito crescendo sempre; il re, invece di seguire i dettati della saggezza e cercare un compromesso fra i due, si dette sempre più a temporeggiare; ben presto si vide palleggiato di quà e di là, preda delle disposizioni mutevoli »; PASTOR L., *o. c.*, vol. XVI, 1, p. 517.

(18) THEINER A., *Vet. Mon. Pol. Lit.*, t. IV, P. II, p. 151 sq.; PASTOR L., *o. c.*, vol. XVI, 1, p. 521; - « Auf eine entschiedenere und rücksichtslosere Weise handelte Catharina II., nachdem sie ihren Gemahl Peter durch Mord aus dem Wege geräumt und selbst den Thron bestiegen hatte. Sie warf sich zur Beschützerin der in Polen lebenden Protestanten und Schismatiker auf, nicht etwa aus Eifer für die russische Orthodoxie, weil sie selbst keine Religion hatte, und unter der Maske der Frömmigkeit jede Religion verachtete, sondern aus politischen Rücksichten und selbstsüchtigen Zwecken »; PELESZ J., *o. c.*, t. II, p. 508.

(19) Georgius Konyskyj vero, non obstante oppositione Benedicti XIV, ab Augusto III (23 Maii 1755) ad vacantes dioeceses: Mohyloviensem, Mstyslaviensem et Orsaniensem in Episcopum nominatus fuit (Cfr. PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. I, p. 198; AMMANN A. M., *o. c.*, p. 366-367), at ante Catharinae II ad tronum accessum, ac Augusto III vivente, eius actio vi carebat; quare ultimis annis imperii Augusti III, ad duos annos Poloniam reliquit et Petropolim se contulit Cfr. AMMANN A. M., *o. c.* p. 366-367; HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 497; WIWČARUK S., *De Synodo Provinciali Ecclesiae Ucraino-Catholicae a. 1765 non celebrata*, Thesis ad lauream in « Pont. Univer. Urbaniana de Propaganda Fide », Romae 1952, p. 52 (ms.)

dem anni oratione habita (20), promemoria (21) cum petitionibus consignata, plenam iurium factorumque Ecclesiae Disunitae restaurationem postulavit (22). Haec oratio nullum fructum immediatum habuit (23), attamen disuniti, patrocínio Catharinae II suffulti, apud Regem Augustum IV diversas querelas contra Unitos movebant; quod illi (Uniti) eos diversis afflictionibus ad Unionem cogant et in exercitio cultus eos impediunt (24). Ad incitamentum autem disunitorum in incepto opere, Legati Borussiae, Sueciae, Daniae et Angliae, autumnus anni 1766, Regi Poloniae et Diaetae supplicem libellum in favorem disunitorum, haeticorumque consignaverunt (25). Attamen nequidem nunc ad favorabilem illis decisionem perventum fuit (26), quare Catharina II, post obiurgationes Augusti IV factas (27), suo ministro Repnin « Confoederationem » formare iussit (28) et cum cooperatione indigni Primatis Poloniae, Gabrielis Junosza Podoski (29) et auxilio haud paucos latinos Episcopos,

(20) Dictam orationem coram Rege idiomate latino (Cfr. BANTYŚ-KAMENSKYJ N., *Istoričeskoje izviestije o vznikšej v Polšje Uniji*, Vilnae 1866, p. 318-322) habuit; memoriale autem viginti punctis constabat (LIKOWSKI E., *Dzieje ...*, p. 78-81, 82-84), iam Petropoli praeparatis. Cfr. WIWČARUK S., o. c., p. 54-55.

(21) HARASIEWICZ M., o. c., p. 496.

(22) AMMANN A. M., o. c., p. 374.

(23) IBIDEM.

(24) HARASIEWICZ M., o. c., p. 496.

(25) AMMANN A. M., o. c., p. 375; THEINER A., *Vet. Mon. Pol. Lit.*, t. IV, P. II, p. 109-115; PASTOR L., o. c., vol. XVI, 1, p. 520.

(26) *Volumina legum*, t. VII-VIII, Warszawa 1782.

(27) THEINER A., *Vet. Mon. Pol. Lit.*, t. IV, P. II, p. 151 sq.; PASTOR L., o. c., vol. XVI, 1, p. 521; JANSSEN J., *Zur Genesis der ersten Theilung Polens*, Freiburg 1865, p. 71.

(28) Talis confoederatio, si maioritatem Nationis sibi adiungere potuit, ferendi leges capax erat. Cfr. BEER A., o. c., t. I, p. 206 sq.; FORST-BATTAGLIA O., o. c., p. 131; WIWČARUK S., o. c., p. 58-59.

(29) Gabriel Junosza Podoski cum auxilio ministri Repnin, post mortem sui praedecessoris, Vladislai Lubienski, infeliciter tam altam adeptus est dignitatem. De eo enim in sua relatione Romam missa Nuntius Poloniae Visconti his verbis sese exprimebat: « abusa dei suoi talenti col prendere espresso partito in favore degli eretici e schismatici e a tal effetto si stringe in frequentissime conferenze col ambasciatore di Russia ed agisce di concerto con esso ... »; THEINER A., *Vet. Mon. Pol. Lit.*, t. IV, P. II, p. 213; - Successor eius (Nuntius A. M. Durini) autem in sua relatione adhuc peiora referebat: « Nella settimana scorsa capitavano dei versi di Voltaire, ingiuriosi alla fede cattolica, ed apertamente favoriti ai dissidenti. Il Repnin li leggeva con enfatica compiacenza, ed un vescovo (horrendum dictu) applaudiva; *il vescovo è il Primate*. Il fatto mi è stato accertato da uno, che lo sa da chi era presente. Quel che non so di certo, e che si dice, si è, che il Primate non abbia più detto la Messa dopo la sua consecrazione. Pur troppo mi accorgo, che non lo conoscevo, ne lo potevo io conoscere su i primi giorni del mio infelice ministero. Quest'obbligo era di Monsig. Visconti,

magnatesque ad suas partes pertraxit (30). Confoederationes enim Radomiae et Sluceoriae a Repnin formatae, reformationi gubernii, a Rege exoptatae sese opposuerunt disunitisque iurium attributionem efflagitabant. Catholica Hierarchia ucraina nulli confoederationi accessit et hoc quoque tempore Synodum celebrare intendebat, quae Synodus ob tam internas quam externas causas locum non habuit (31).

Tali gressu ad Dietam autumnalem anni 1766 (32), in qua Repnin, magnum exercitum Moscoviae ac ex dissidentibus formatum secum habens, modo decisivo desideria disunitorum, haereticorumque exposuit, perventum est (33). Hierarchia ucraina catholica huic postulationi Repnin sese opponere non potuit, quia in Senatu Regni non erat repraesentata. In eius auxilium solummodo Episcopi Cracoviensis, Gaetanus Soltyk, et Kioviensis, Iosephus Zaluski, venerunt, intentionibusque Repnin sese opposuerunt, contra quos tamen minister, ut suam actionem acceleraret (34), potentesque obices (35) e Senatu removeret, extremum expeditum excogitavit: supradictos Episcopos-Senatores in civitatem Kaluga in Moscovia deportare iussit, bona autem eorum devastari permisit (36).

Confoederatio vero inspiratione ministri Repnin formata brevi « Barensi » confoederationi (29 Februarii 1768 sub praeside Krasinski) (37) cessit, necnon Regi, magis vero foederi cum Moscovia, adversabatur. Haud dubie, raptus

che in 7 anni poteva ben farne l'anatomia, e Monsig. Visconti ne renderà conto a Dio »; IBIDEM, p. 217-247; PASTOR L., o. c., vol. XVI, I, p. 524-525; Videsis quoque: WIWČARUK S., o. c., p. 242.

(30) AMMANN A. M., o. c., p. 375.

(31) Synodi celebratio non fuit totaliter abrogata, sed solum ad tempus magis opportunum differebatur. Cfr. ASV, *Nunz. Pol.*, t. 238, f. 72v-73; - Hac de re videas quoque: WIWČARUK S., o. c., p. 94-103.

(32) SOZANSKI A., *Dziennik sejmiku extraordinaryjnego w Warszawie* (5 octobris 1766 - 5 martii 1767), Leopoli 1866.

(33) AMMANN A. M., o. c., p. 375.

(34) « Repnin hatte das schwierige Werk durch Anwendung aller Kuenste, durch Gewalt, Lug und Trug zu Stande gebracht »; BEER A., o. c., t. I, p. 208.

(35) Episcopus Soltyk fortiter opponebatur desideriis tsarinae et eius propositioni pro approbatione legis, qua cives Poloniae, qui aequalitatem iurium dissidentium cum catholicis exquirent, punirentur (Cfr. THEINER A., *Vet. Mon. Pol. Lit.*, t. IV, P. II, p. 116-119; LIKOWSKI E., *Dzieje ...*, p. 87) - Episcopi et Deputati unanimiter applauserunt, Senatores autem tacuerunt. Cfr. THEINER A., *Vet. Mon. Pol. Lit.*, t. IV, P. II, p. 100; PASTOR L., o. c., vol. XVI, I, p. 519.

(36) PELESZ J., o. c., t. II, p. 516-517; BEER A., o. c., t. I, p. 216; PASTOR L., o. c., vol. XVI, I, p. 525, 527; THEINER A., *Vet. Mon. Pol. Lit.*, t. IV, P. II, p. 229 sq.; AMMANN A. M., o. c., p. 375; PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. I, p. 269.

(37) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. I, p. 273-274; PASTOR L., o. c., vol. XVI, I, p. 531; BEER A., o. c., t. I, p. 226 sq.

Episcoporum aliique exercitus moscovitici abusus (38) ultimam causam originis Confoederationis « Barenensis » constituerunt.

Hoc quoque tempore quaestio iurium disunitorum, iam pluries agitata, a Commissione seu « Iudicio Mixto », 17 membris constantem (39), resolvi debebatur, at per intervallum trium annorum Commissio, quia a Confoederationibus impediabatur, effectu carebat. Ad dictam Confoederationem comprimendam motus popularis, « Hajdamaččyna » vulgo vocatus, in Orientali Ucraina sub ducibus Maximo Zalizniak et Ioanne Gonta a Catherina II excitatus fuit (40), qui tamen postea eius iussu crudeliter suppressus fuit (41).

Cum vero Turchia anno 1768 bellum Moscoviae declaravit, Confoederati animum resumpserunt, etiamsi ad breve tantummodo tempus (42), nam quando fortuna Regi atque exercitui moscovito favere coepit, ultima arx confoederatorum, Czestochovia, occupata, simulque tota regio ab alieno exercitu pervasa fuit. Interna dissidia in Polonia ac bellum intestinum primam divisionem regni Poloniae secum tulerunt, de qua tres Status (Moscovia, Austria, Borussia) die 25 Iulii 1772 convenerunt (43), quam tamen nonnisi 18 Septembris 1773 ratam habuerunt (44). Hanc ob causam Ecclesia ucraino-catholica novos nacta est dominos, cum territorium eiusdem in tres partes exdivisum fuit ita, ut metropolitana Eparchia cum Volodymyriensi, Pinscensi, Luceoriensi, Berestensi et parte Eparchiae Cholmensis Camenecensisque

(38) Post deportationem Episcoporum (Solytk, Zaluski) « tractatus aeternus inter Poloniam et imperium Russiae » (Cfr. THEINER A., *Vet. Mon. Pol. Lit.*, t. IV, P. II, p. 247-264), quo iura dissidentibus concessa sub tutela viciniorum ponebantur, Regi impositus erat.

(39) Quamvis de Ecclesia ucraina catholica agebatur, nemo ex eiusdem gremio in Commissione partes habuit (PELESZ J., *o. c.*, t. II, p. 520) etiamsi Episcopo non unito Mohiloviensi, Georgio Konyskyj, tamquam praeside, quatuor disunitis, eodemque numero haereticis et octo polonis catholicis componebatur. Cfr. LIKOWSKI E., *Dzieje ...*, p. 102; AMMANN A. M., *o. c.*, p. 376.

(40) Ex motivis politico-religiosis « Hajdamaky » totam fere Ucrainam, ad dexteram ripae Dniro sitam, devastarunt. Cfr. KRUPNYCKYJ B., *Geschichte der Ukraine*, Leipzig 1939, p. 200-205; LIKOWSKI E., *Dzieje ...*, p. 116-120; videsis quoque: ANTONOVYČ V., *Rozvidka pro hajdamaččynu*, in « *Rozvidky pro narodni ruchy na Ukrajinі - Rusi v XVIII vitsi* », vol. XIX, Leopoli 1897.

(41) CHOLMSKYJ J., *Istoriya Ukrajiny*, Monachii 1949, p. 273-274; Cfr. SULHYN J., *Očerky kolievščyny po neizdannym i izdannym dokumentam, 1768 i bližajšych gg.*, in « *Kiev-skaja Starina* », 1890.

(42) Confoederati in principio auxilium ex Austria accipiebant et in Priašivensi et deinde Tečynensi civitate comitatum revolutionarium habuerunt; at dum Austria quoad divisionem Poloniae cum Russia et Borussia convenit, civitatem Tečynensem Confoederatis relinquere iussit. Cfr. PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. I, p. 276.

(43) AMMANN A. M., *o. c.*, p. 377; PELESZ J., *o. c.*, t. II, p. 545-546.

(44) Cfr. JANSSEN J., *o. c.*, pp. 158-164, 168 sq.

Poloniae, Polocensis autem Archieparchia Moscoviae (45), Austriae vero Eparchia Leopoliensis cum Haliciensi parvaque parte Camenecensis, tum Peremysliensis cum Samborensi, Sanocensisque, necnon portione Eparchiarum Luceoriensis, Cholmensis, Belzensisque, cessit; quo non obstante omnes Episcopi uniti sub iurisdictione erant Metropolitae Kioviensis Haliciensisque, qui in Regno Poloniae remansit (46).

Austriae, sicut dictum est, Eparchia Leopoliensis, cum suo Pastore Leone Szeptyckyj, qui simulque Coadiutor Metropolitae Feliciani Volodkovyč cum futura successione erat, adiudicata fuit. Episcopus Leopoliensis iam 17 Decembris 1773 coram Haliciae et Volodymyriae Praefecto, Comite Pergen, suam cum Basilianis contentionem exponendo, timorem expressit, quod isti occasione dismembrationis Poloniae ei quidquam pro sua Coadiutoria damnosum procurare possunt.

Qua de causa rogabat pro privilegio (47) retinendi Eparchiam Leopoliensem cum Coadiutoria metropolitana cum futura successione. Praefectus Pergen in suis litteris, ad ministrum Kaunitz missis, collationem talis privilegii fructuosum quaestuosumque vocat, cum tali in casu Metropolitae Leo Szeptyckyj, qui post mortem Ph. Volodkovyč Sedem metropolitanam occuparet, Leopoli commorabitur, Episcopi autem aliorum Statuum ipsi submitterentur (48).

Subsequenti anno Episcopus Leopoliensis comiti Pergen promemoriā tradidit, in cuius capite asserebat, Basilianos Coadiutoriam suam subvertere studere, ob eius impossibilitatem exeundi extra confines Imperii Austriaci, et proinde Metropolitam iam de novo Coadiutore consultationes instituere (49).

Proinde pro « manutentione sui in possessione Metropolitanae Coadiutoriae auctoritatem suam, ubi de iure, interponere ac etiam, si visum foret, *Archiepiscopis Metropolitanis ... pro semper Sedem Leopoli assignandam* per legem moderni Tractatus motu proprio id efficere dignetur » (50).

De hac Sedis metropolitanae Kioviensis (51) Leopolim translatione ipse

(45) Ea vero iam anno 1839 ad schisma rediit.

(46) HARASIEWICZ M., o. c., p. 498; AMMANN A. M., o. c., p. 377.

(47) Legibus Aulae Imperii Austriaci iurisdicatio in aliis statibus Episcopis prohibebatur.

(48) CHOTKOWSKI W., *Historja Polityczna Kościoła w Galicyi za rządów Maryi Teresy*, Kraków 1909, t. II, p. 407-408.

(49) CHOTKOWSKI W., o. c., t. II, p. 408, 513.

(50) CHOTKOWSKI W., o. c., t. II, p. 514.

(51) Sedes Metropolitana Kioviensis inde ab anno 1667 (Cfr. SZARANIEWICZ J., *Patriarchat...*, p. 56) a disunitis occupabatur, quare Metropolitae Kioviensis et Haliciensis catholicus absque propria metropolitana Sede remansit, unde in ea, ex qua ad dignitatem metropolitanam elevabatur, Eparchia remanebat. Hac de causa Archivium metropolitanum cum electione novi Metropolitae ad semper novam Sedem migrabat, unde plurima documenta disperdebantur.

iam ante suam in Coadiutorem metropolitanum (a. 1762) nominationem (52) ad Nuntium Varsaviensem, Visconti, scripsit eamque sat abundis argumentis corroborare conabatur (53). Haec tamen propositio Romae negativam responsionem habuit: « nihil esse innovandum, *et non esse respondendum*, et insinuetur D. Nuntio, ut provideat, si potest, securitati Archivii » (54).

Nova autem propositio de translatione Sedis metropolitanae Leopolim Praefecto, seu Gubernatori Haliciensi, Pergen, porrecta, tribus corroboratur argumentis.

Antiquitus duae Metropoliae atque duo distincti Metropolitae in Rus' Ucraina aderant, Kioviensis et Haliciensis; ultima autem Metropolia a quodam tempore (a. 1401) extincta est et Kiovienses Metropolitae, Haliciensis Metropoliae titulo assumpto, ad utramque Metropoliam iurisdictionem extendebant usque ad tempora novissima, erecta Leopoli distincta Eparchia. Kiovia a Regno Poloniae a moscovitis avulsa cum notabili parte Kioviensis Palatinatus, Metropolita Kioviensis unitus Sedem suam amisit, retento utroque titulo, quem etiam non unitus Metropolita sibi apposuit. In Regno Poloniae Metropolita Kioviensis catholicus ex una ad aliam Sedem eparchialem, quam retinebat, vagabat. Proinde cathedram Leopoliensem pro stabili Sede Metropolitanarum ex Dominiis Austriae et Regno Poloniae electorum rogabat (55). Haec stabilitas cathedrae metropolitanae conservationi ritus graeci catholici in tota Metropolia, et praesertim in Palatinatu Kioviensi atque Braclaviensi est summe necessaria, ob ingerentias Metropolitae non uniti Kioviensis eiusque Suffraganei, Episcopi Perejaslaviensis. Hoc autem sperari non posset, *si sola Metropolia Haliciensis Leopoli restauraretur*, cum Metropolia Kioviensis, protectione carens, efficaciter non Unitis resistere non posset et Haliciensis Metropolia bona mensae Kioviensis Metropoliae amittendo « titulum sine vitulo » haberet. Dein hoc exigere videtur etiam ratio politica; nam Metropolita Kioviensis et Haliciensis, sedem Leopoli habens, suam iurisdictionem etiam ad exterarum Provinciarum extendere studebit et recursus ad eum subditorum extraneorum haud dubie utilis Aulae Regiae esset. In fine, per talem benignam protectionem ucrainorum unitorum, Aula Regia Austriae etiam politicam tuitionem iurium Ucrainae, quae olim ad haereditatem Ducum ucrainorum Haliciensium spectabat, haberet (56).

(52) HALUŠČYNSKYJ T., *Un progetto per la stabilizzazione della Metropolia di Kyjiv a Leopoli*, in « *Analecta OSBM* », Ser. II, Sec. II, vol. I (VII), p. 568-569.

(53) HALUŠČYNSKYJ T., *o. c.*, p. 569-571.

(54) APF, *Acta S. C. de P. F.*, vol. 133, f. 340.

(55) CHOTKOWSKI W., *o. c.*, t. II, pp. 409, 514.

(56) CHOTKOWSKI W., *o. c.*, t. II, p. 514-515.

Ultimum argumentum Leonis Szeptyckyj (57) Vladislaus Chotkowski sat bene evoluit asseverando, quod Episcopus Imperatrici Mariae Theresiae protectionem Ucrainae assumendam proponebat, sicuti hoc Catharina II, tsarina Moscoviae faciebat, simul cum Ucraina reliquam haereditatem Principum Haliciensium reclamando. Comes tamen Kaunitz, hac de re Imperatricem certiores faciens, de hoc argumento siluit et propositionem hanc *inconvenientem* vocavit, Proh dolor, nam rem hanc revera convenientissimam fuisse tum pro Ecclesia ucraina catholica quam pro vita politica Ucrainae historia abunde demonstravit (58).

Viennae, post relationem Episcopi Leopoliensis de restauratione Metropolitae Haliciensis cogitare coeperunt, quod ex responsione imperatricis Mariae Theresiae ad propositiones Leonis Szeptyckyj, tramite comitis Hadik missae, sat clare elucet (59). Eodem tempore agebatur etiam de nova exdivisione Eparchiarum, id est partium Eparchiarum, quae ob dismembrationem Poloniae in alio Statu inveniebantur. Clemens PP. XIV hanc dismembrationem permisit, dummodo id in concordia cum Episcopis perficeretur.

Die 1 Aprilis 1774 Comes Hadik petitam relationem de restauratione Metropolitae Haliciensis Viennam misit, et in sedem metropolitanam Leopolim proponebat. Huic relationi etiam referendarius rerum ecclesiasticarum Ewers consentiebat ac personam Leonis Szeptyckyj ad dignitatem Metropolitanam aptissimam esse asserebat (60). Restauratio Metropolitae Haliciensis placuit Mariae Theresiae; iam die 4 Junii eiusdem anni novam opinionem hac de re a Gubernio Halicensi exquisivit, informato ministerio de rebus externis gerendis, quae quia iam cum Roma hac de re tractabat, opinionesque ministeriorum Hungariae et Transylvaniae obtinere iussit (61). Brevi post quidam consilarii

(57) CHOTKOWSKI W., *o. c.*, t. II, p. 427.

(58) Unio totius Ecclesiae ucrainae cum Sede Apostolica et unitas politica et independentia facilius conservari et propagari potuisset etiam nostris temporibus.

(59) Intentio Mariae Theresiae haec erat, ut Metropolia Haliciensis restauraretur necnon Eparchiae ritus graeci catholici Hungariae et Transylvaniae ei adiungerentur (Cfr. CHOTKOWSKI W., *o. c.*, p. 411, n. 1, - « *Ar. M. W. O. (Archivum c. k. ministerstwa wyznania i oświecenia w Wiedniu)*, Acta 33, Fasc. 137, Sign. 28v, J. 1774, Nota 730, Wien 19 Jänner 1774, Kaunitz. - An den Grafen von Hadik, Wien 12 Hornung 774 Wrbra ». Hoc enim ex litteris Vindobonensis Nuntii Visconti deducitur. En eius verba: » Il progetto ultimamente partecipati dal Sig. Segretario Püchler in nome della Sovrana di riunire sotto lo nuovo Metropolitanò i Ruteni de due nuovi Regni, e del Ungheria, collima indirettamente coll'idea indicatami da Vra Emza di voler chiedere lo smembramento de' Vescovati Polacchi, le Diocesi de' quali si estendono ne' dominii Austriaci. So in generale, che varie innovazioni si stanno qui meditando dal Ministero». ASV., *Nunz. Germ.*, vol. 393-394, f. 328.

(60) CHOTKOWSKI W., *o. c.*, p. 412-414.

(61) «In Rücksicht der diesfalls bey dem päpstlichen Hofe bereits getroffenen Ein-

agentesque Hungariae instantiam fecerunt, ut Episcopus Mukačoviensis Metropolitae ucrainorum in Ucraina Carpatica, quae tunc temporis in ditione Hungariae manebat, nominaretur, at negativum responsum reportarunt. Promissio tamen data fuit, quod Metropolia Haliciensi restaurata, Episcopus Mukačoviensis eam obtinebit, qua de re decretum quidem editum sed nunquam publicatum fuit. Sine dubio in hac denegatione postulationis Consiliariorum hungaricorum Procurator Episcopi Leopoliensis, Joannes Gutz, non parvam habuit partem (62).

Desiderato effectu non obtento Cancellaria Hungarica erectioni Metropoliae Haliciensis et praesertim submissioni ei Eparchiarum ritus graeci catholici, qui in ditione Hungariae inveniebantur, omnino sese opposuit; quare Imperatrix iussit, ut tres Aulicae Cancellariae (Hungarica, Haliciensis et Transilvaniae) ope suorum Legatorum commune consilium hac de re inirent. Hoc consilium die 23 Decembris 1774 locum habuit votumque negativum emisit (63).

De proposito Metropoliam Haliciensem restaurandi Nuntius Viennensis Visconti, inde ab anno 1774, a Secretario Aulae Regiae Pichler edoctus fuit, quod ex eius relationibus Romam missis constat (64). Anno 1774 Leo Szep-

leitungen und übrigen in clero Activität einschlagenden Gegestände, diErö ffnung zu machen. Intimatum an die Königl. Hungarische Hofkanzley. Wien 15 Juny 1774. Inclytae Cancellariae regiae hungarico aulicae peramicae insinuandum... sententiam suam cum Cancellaria aulica communicare et indicare non gravetur... »; Wrtna. Ewers. - Intimatum Inclytae Cancellariae aulicae Magni Principatus Transylvaniae. Viennae 15 Junii 1774. Wrtna. Ewers ». CHOTKOWSKI W. o. c., t. II, p. 415, n. 1. - (Ar. M. W. O., Acta 33, Fasc. 133, Konvol. 6, Sign. 297v, J. 1774).

(62) HARASIEWICZ M., o. c., p. 579.

(63) « Protocollum Commissionis mixtae, so zwischen denen Hungarischen - Gallizischen und Siebenbürgischen Hof-Kanzleyen in Betreff des in den Königreichen Gallizien und Lodomirien zu errichten Kommenden Gallizischen grichisch-katolischen Metropolit, und von demselben in spiritualibus abhängen sollenden sowohl Hungarischen als Siebenbürgischen griechisch-katolischen Bischöfen unter 23 December 1774 abgehalten worden. Sub praesidio Comitiss Cancellarii Regii Hungarico aulici. Praesentibus: Comite a Wrtna, Cancell. Regio Galliziensi Aulico; Episcopo a Bojzach V. Cancell. Regio Hung. aulico. Consil. aulici ab Ewers, ab Urmenyj Ref. Secretar. aulici a Scultetti, actuar. Barone a Binder ». CHOTKOWSKI W., o. c., t. II, p. 415, n. 1, - (Rkps. Ossol. Rekopis Ossolinskich, Lib. 525, II, f. 468-474, Sign. ad Nr. 360, ex Febr. 1775).

(64) « In nome altresì della Sovrana mi ha motivato il Sign. Pichler l'idea qui formata, e che si sta ora maturando, di chiedere alla Santa Sede che l'attual Vescovo Greco di Leopoli sia stato Metropolitano nel nuovo Cordone Austriaco, e che oltre i Vescovi Greco-Uniti di quel distretto, anche gli altri pochi Vescovi dello stesso Rito Cattolico sparsi per Ungheria debbano dipendere in avvnire »; ASV, Arch. Nunz. Vienna, vol. 175, f. 541; - In alio documento de motivo restaurationis loquitur: « Il progetto

tyckyj pro pastoralis visitatione in Ucrainam Orientalem sese direxit, de qua solummodo anno sequenti (1775) Leopolim rediit (65); de hac sua visitatione civiumque dictae partis Ucrainae ad Ecclesiam Catholicam turbato accessu Mariam Theresiam informavit (66), quae ei a comite Auersperg suam laetitiam exprimere iussit (67).

Quaestio restorationis Metropolitae Haliciensis paulisper delata fuit propter defectum relationis Gubernii Haliciensis, necnon relatio de exdivisione Eparchiarum, quae solummodo die 5 Augusti 1777 Viennam pervenit, in Aula Imperiali exspectabatur. Epscopus autem Leopoliensis tria documenta (68), iura sua ad Metrop. Kioviensem probantia, quibus sine dubio saltem indirecte restorationi Metropolitae Haliciensis opponebatur, Viennam misit. Gubernium Haliciense vero Aulae Imperiali proponebat, ut a Leone Szeptyckyj Coadiutoria et Eparchia Leopoliensis retineantur, dum hoc tam Unioni quam aerario regio proficuum erit. Agitur, praeterea, de titulo personali Leonis Szeptyckyj, eiusque successio in Metropolia Kioviensi propagationi Unionis eiusque defensionis multum iuvare potest (69).

ultimamente partecipatomi dal Sign. Segretario Pichler in nome della Sovrana di riunire sotto un nuovo Metropolitano i Ruteni da' due nuovi Regni, e dell'Ungeria, collima indirettamente coll'idea indicatami da Vra Emza di voler chiedere lo smembramento de' Vescovati Polacchi, le Diocesi de' quali si estendono ne' Dominii Austriaci »; ASV, *Arch. Nunz. Vienna*, vol. 175, f. 543.

(65) CHOTKOWSKI W., o. c., t. II, p. 418-419; - In Maio 1775, probabiliter, Varsaviae degebat, cum hoc tempore a Comitibus Coadiutores Metropolitae administrationem bonorum Metropolitae cum clausula, ut redditus Metropolitae, impensis pro administratione detractis, Metropolitae restituant, obtinuerunt. Cfr. CHOTKOWSKI W., o. c., p. 419 et n. 3; - Leo Szeptyckyj eodemque (1775) anno, die 7 Septembris, ab Augusto IV ordine Aquilae Albae insignitus eademque die, anniversaria electionis dicti Regis, in ecclesia S. Ioannis hoc ordine exornatus comparuit. Cfr. HARASIEWICZ M., o. c., p. 575.

(66) CHOTKOWSKI W., o. c., t. II, p. 419.

(67) « Da nun Ihre Maiestät über den hierüber vom gedachten Herrn Bischöfe mehrmals bestätigten rühmlichen Eyfer zur Beförderung des so wichtigen Gegenstandes der hl. Union die allerhöchste Zufriedenheit zu bezeigen allergnädigst geruht haben, so belieben Eur. Excellenc ersagtem Herrn Bischöfe diese allerhöchste Zufriedenheit zu erkennen zu geben ». CHOTKOWSKI W., o. c., t. II, p. 420, n. 1.

(68) CHOTKOWSKI W., o. c., t. II, p. 422 et n. 1; - Documenta autem haec erant: 1). Praesentatio Augusti III in Eparchiam Leopoliensem ac Bulla Apostolica anni 1762, die 13 Kal. Januarii, Coadiutoriae Metropolitae Kioviensis et Haliciensis, cum futura successione; cfr. WELYKYJ A., *Documenta...*, t. II, n. 756, p. 179-181; 2). Decretum, confirmationis a Clemente XIV, die 20 Martii a. 1773; cfr. *IBID.*, n. 808, p. 229-233; 3). Sancitum Confoederationis Generalis Regni Poloniae; cfr. CHOTKOWSKI W., o. c., t. II, p. 419, 3.

(69) « ... weil dieser Bischof und künftiger Metropolit die Mittel und Wege wies, wie in jenem Theil Landes die Union erhalten und verbreitet werden könne, worüber

Hoc tamen disciplinae Aulae Viennensis adversabatur, iuxta quam nullus Episcopus extraneus in regimen Eparchiarum Haliciensium se ingerere potuit; sed Gubernium Haliciense proposuit, ut Leo Szeptyckyj, tamquam futurus Metropolitae, saltem medietatem anni Leopoli resideret, secunda medietate vero Metropoliam Haliciensem Vicarius Apostolicus gubernare debuisset, ad quam dignitatem Episcopus Peremysliensis, Athanasius Szeptyckyj, nominari possit. Hoc tempore iurisdictio Metropolitae Kioviensis in Halicia totaliter quiescere deberet (70).

Quam maximam difficultatem in restauratione Metropolitae Haliciensis ac Leonis Szeptyckyj in dignitate Metropolitae Haliciensis quoque institutione, insufficiens redditus novae Metropolitae constituerebat. Quare Gubernium Haliciense proponebat, ut Leoni Szeptyckyj, si in Metropolitam Haliciensem nominaretur, annum beneficium in summa 40.000 florenorum adiudicaretur, quod si tamen ipsi insufficiens erit (71), Haliciam relinquere deberet et in Metropolitam Haliciensem quidam ex Episcopis ucrainis in Regno Hungariae (Ucraina Carpatica) commorantibus, aut eius frater, Athanasius, Episcopus Peremysliensis, cum annuo beneficio 20.000 florenorum, nominaretur.

Nulla tamen dictorum propositionum suum effectum habuit, quia Cancellaria Aulica Haliciensis suppressa mox fuit, eiusque Acta magnam confusionem subierunt, simulque die 12 Februarii 1778 Metropolitae Kioviensis et Haliciensis, Philippus Volodkovyč, vita functus est (72) et Leo Szeptyckyj iure Coadiutoriae ei successit; de qua successione statim praefectum Haliciae, comitem Auersperg, certiorum fecit ac duabus litteris, gallico idiomate scriptis, retentionem tam Metropolitae quam Eparchiae Leopoliensis a Josepho II et Maria Theresia expostulavit (73). Obtenta petita permissione ab Aula Imperiali (74), Rex Poloniae, ne pecunia ex Regno ad alium Statum evehatur, Coadiutorem pro administratione Eparchiae metropolitanae Leoni

Eurere Maiestät vermäge eines höchsten Schreibens vom 27 November 1775 demselben die gnädigste Zufriedenheit zu ertheilen verordnet haben ». CHOTKOWSKI W., o. c., t. II, p. 422, n. 2.

(70) CHOTKOWSKI W., o. c., t. II, p. 423.

(71) Leo Szeptyckyj taquam Coadiutor metropolitanus annum redditum in summa 68356 florenorum et 52,5 coronas habebat. Cfr. CHOTKOWSKI W., o. c., t. II, p. 424.

(72) RUDOVYČ J., *Ist. Hal.-Lviv. Epar.*, p. 48; - Sicut Leo Szeptyckyj retulit, Metropolitae supra citato anno et die, hora quidem octava pomeridiana, debitum naturae persolvit. APF, *Scrith. ref. n. Congr. MPR*, vol. 13, ff. 249, 251.

(73) CHOTKOWSKI W., o. c., t. II, pp. 426, 515-517.

(74) CHOTKOWSKI W., o. c., t. II, p. 431.

Szeptyckyj deputare statuit (75), quod decretum tamen, ob praematuram novi Metropolitæ mortem (76), suum perdidit obiectum.

Occasione mortis Leonis Szeptyckyj, qui restorationi Metropoliæ Haliciensis ex motivis personalibus opponebatur, Gubernium Haliciense sua conamina renovavit et die 5 Augusti 1779 Aulae Imperiali propositionem, ut Episcopatus Leopoliensis ucrainus ad dignitatem Metropoliæ elevaretur eique Episcopi graeco-catholici in Hungaria et Transylvania commorantes subordinarentur, proposuit. Vindobonae objectionum Aulae Regiae Hungariae memores, in hanc dignitatem die 8 Augusti eiusdem anni Andream Bačynskyj, Episcopum Mukačoviensem, qui tamen Leopolim se transferre debebat, proponebant. Huic autem propositioni Capitulares Leopolienses ex rationibus politicis sese opposuerunt et omni ope atque studio intentum Aulae ad nihilum reducere ac in cathedram Leopoliensem, post mortem Leonis Szeptyckyj vacantem, suum candidatum Petrum Bilanskyj, Canonicum et Administratorem Eparchiae Leopoliensis introducere conabantur (77), quod et obtinuerunt. Sed simul cum nominatione Petri Bilanskyj in Episcopum Leopoliensem et Camenecensem, quae die 30 Octobris 1779 medio decreto aulico locum habuit, ex gravissimis motivis politicis restauratio Metropoliæ Haliciensis ad felicia tempora procrastinabatur (78).

Nominatio Petri Bilanskyj in Episcopum Leopoliensem, praesbyteri saecularis, consuetudini Ecclesiae Ucrainae, quae a Synodo Zamostiana sancita

(75) « Quantunque la Costituzione del 1607 proibisce d'investire una sola persona di due Dignità e Beneficii Ecclesiastici ... tuttavia il Ven. Szeptycki essendo già Vescovo di Leopoli ... impetrò da Noi Re contro questa legge la Metropolia di Kiovia ... e sceltasi in Leopoli la sua residenza tira fuor dello stato tutto il Denaro del Paese, che gli proviene dalle entrate de Beneficii ottenuti. Noi pertanto avendo riguardo ai meriti del Ven. Szeptycki gli conserviamo fino alla morte il titolo della Metropolia, e della Autorità Ecclesiastica, ma soddisfacendo alla suddetta Legge ed insieme prevenendo il depauperamento del Paese in denari ... gli deputiamo un Coadiutore per amministrazione del Governo Ecclesiastico nella Diocesi, e ne beni appartenenti alla Metropolia, e Archimandria, che esistono nel Paese, e sono da Lui posseduti ... »; APF, *Scritt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 13, f. 347rv.

(76) RUDOVYČ J., *Ist. Hal. - Lviv. Epar.*, p. 48; PELESZ J., *o. c.*, t. II, p. 571; - Hora vero media tertia ante ortum solis paroxismo apoplectico affectus, die 24 Maii 1779, ad aeternitatem se transtulit. Cfr. APF, *Scritt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 13, f. 343; HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 576.

(77) HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 579.

(78) « Ex ponderosis motivis politicis praeclusionem nexus dioecesium cum Polonia et erectionem Metropoliæ ritus graeco-catholici pro omnibus dioecesibus in regno Galiciae ad feliciores circumstantias pausare debere, cum etiam in moderno rerum statu, adhibitis consentaneis mediis melioratio curae animarum et institutionum in Galicia effectuari valeat ». HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 580; PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. II, p. 125.

et a Benedicto XIII approbata fuit, contraria erat. Secundum dictam Synodum statutum est, ut « nemo deinceps, *nisi a Sancta Sede dispensationem obtineat, Episcopus esse possit, qui Professionem Religiosam non fecerit*. Nemo vero profiteri valeat, qui prius intra septa Monasterii non expleverit annum probationis regularis, et sex hebdomadas iuxta Constitutiones, et consuetudines Ordinis Divi Basilii Magni » (79). Tamen iam ante mortem Metropolitae Leonis Szeptyckyj, et quidem die 22 Januarii 1779, decreto Aulae Viennensis prohibitum fuit nominatis ad episcopatum Romam vel aliunde recurrere (80). Primus effectus huius decreti nominatio presbyteri saecularis in Episcopum Leopoliensem, Petri Bilanskyj, fuit (81).

Contra huiusmodi nominationem non tantum Ordo Basilianorum, sed etiam Nuntius Apostolicus Viennensis, Josephus Garampi (82) surrexit, qui omni Conatu Petrum Bilanskyj, ut vota monastica emitteret, persuadere nitebatur (83). Nominatus autem professioni religiosae emittendae opponebatur, dispensationem vero a Summo Pontifice petere paratus quidem erat, nisi omnis Romam recursus a Gubernio Haliciensi prohiberetur (84); idcirco usque ad annum 1781 Metropolita Jason Junoša Smogorzewskyj (85) ei consecrationem differebat.

(79) *Synodus Provincialis Ruthenorum*, p. 93.

(80) In dicta lege seu resolutione Aulae legitur: « Quod dignitatem Episcopalem concernit, quam antehac nemo alius nisi esset monachus Basilianus, aut dispensationem Pontificiam impetraret, adipisci poterat, Sua Majestas altissimam suam mentem eo declarat, quod in eius altissimo libero Arbitrio positum sit ad munus ep.pale subiectum sive ex statu cleri saecularis sive ex Ordine Basiliano vocare. Id autem strictissime prohibetur, ne nominatus e statu cleri saecularis Ep.pus *sive Roma sive undecumque petat dispensationem* intuitu eliciendae professionis monasticae, quippe dispensatio eiusmodi, quae potius monachis quam clero saeculari, ad curam animarum destinato, necessaria est, spiritui Ecclesiae prorsus adversatur ». HARASIEWICZ M., o. c., p. 610; PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. II, p. 124-125.

(81) Clerus saecularis, ut dictum est, suum candidatum proposuit, in quo auxilium brachii saecularis, Gubernii Haliciensis, habuit. Cfr. ASV, *Arch. Nunz. Vienna*, vol. 191, ff. 272, 291, 324.

(82) Ne ad violationem legis Zamostianae pervenerit, Nuntius Apostolicus Viennensis, Garampi, tam pro Eparchia Leopoliensi quam etiam pro Peremyšliensi Eparchia, quae post mortem Athanasii Šeptyckyj (8 Junii 1779) vacavit (Cfr. DOBRIANSKYJ A., o. c., P. III, n. 43, p. 45; PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. II, p. 123), duos candidatos, est quidem Protoarchimandritam OSBM, Porphyrium Važynskyj et Episcopum Cholmensensem, Maximilianum Rylo, in vacantes sedes Imperatricis proposuit. Cfr. ASV, *Arch. Nunz. Vienna*, vol. 191, f. 271-272.

(83) ASV, *Arch. Nunz. Vienna*, vol. 187, ff. 7, 16.

(84) ASV, *Arch. Nunz. Vienna*, vol. 187, f. 33.

(85) Archiepiscopus Polocensis Jason Smogoževskyj, a rege Poloniae Augusto IV in Metropolitam nominatus (cfr. PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. II, p. 122.) die 6 Martii 1780 in Siedlee ab Episcopis in Metropolitam electus est (cfr. PELESZ J., o. c.,

Metropolita, consilio inito tum cum Nuntio Varsaviensi, Ioanne Andrea Archetti, quam cum Viennensi Nuntio, ut consecrationem accelleraret (86) ipse proprio motu dispensationem pro Nominato rogavit; quae quidem fuit concessa, sed cum clausula, ut de ea Petrus Bilanskyj, si professionem monasticam emittere noluit, rogare deberet (87).

Cum autem haec decisio S. Congregationis de Propaganda Fide et noticia de electione novi Metropolitae (88) ad Caesaream Regiam Maiestatem perveniret, die 27 Maii 1780 Gubernium Haliciense certioratum fuit (89), ut Gubernator Haliciensis, Josephus Brigido, Nominato Leopoliensi auctoritate Aulae Caesariae praeciperet, ut consueto more pro consecratione directe ad Metropolitam se dirigat, et si consecrationem non aliter nisi praevia professione religiosa aut dispensatione pontificia obtinere non posset, responsum Metropolitae statim Gubernio Haliciensi pro certioranda Caesarea Maiestate mitteret. Quodsi vero petitioni assentiret, dictam consecrationem Gubernio Haliciensi quam primum indicare debet, ut respectu investiturae Petri Bilanskyj in temporalia opportuna dispositiones fieri queant.

Responso Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, quae, uti vidimus dispensationem dederat, attamen eo ipso executionem eiusdem praeclusit,

t. II, p. 571). Dein, ad regiam petitionem, in Concistorio die 25 Junii 1781 in Metropolitam institutus (cfr. APF, *Scritt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 14, f. 415), die 23 Julii eiusdem anni Bulla pontificia munitus est. Cfr. WELYKYJ A., *Documenta ...*, vol. II, n. 832, p. 259-260.

(86) « Non è poi potere di Mons. eletto Metropolitano di passar sopra un Rito della sua Nazione voluto di un Concilio solennemente confermato da questa S. Sede. Quindi è che V. S. ha fatto bene di porre in chiaro lo sballo del Prelato nell'esibirsi per la consecrazione del Bielanski destinato alla Chiesa Rutena di Leopoli senza far motto ò della previa Professione Monastica, ò della dispensa Apostolica. L'una e l'altra si rende assolutamente necessaria ... »; ASV, *Arch. Nunz. Vienna*, vol. 187, f. 52v.

(87) « ... a buona cautela, ma nel solo caso d'insistenza di cotesta Corte per la consecratione, si mandò anche la dispensa come concessuta a petizione di Mons. Eletto Metropolitano. Sarà però sempre meglio e più coerente al tenore del Concilio, che a petizione si faccia dal Bielanski, qualora questi non voglia disporre a fare prima la Professione Monastica ». *IBIDEM*.

(88) In nominationem Jasonis Smogoževskyj in Metropolitam etiam Catharina II, imperatrix Moscoviae, suum placitum dedit. Cfr. APF, *Scritt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 13, f. 517rv; vol. 14, f. 188.

(89) « Summo decreto ... dato intimatum Caes. Regio huic Gubernio fuit, Sacram Majestatem ad praestitam ab hinc humillimam relationem super dubia intuitu religiosorum votorum ab Ill.ma ac R.ma Dominatione Vestra ante consecrationem edendorum, aut dispensationis eatenus impetrandae a Pontificia Nuntiatura mota, clementissime praecipere dignatam fuisse, ut Ill.ma ac R.ma Dnatio Vestra pro consecratione se consueto more directe ad Rev.mum Metropolitam convertat, et si is praeviam ordinis religiosi professionem aut papalem eatenus dispensationem exigeret, se-

cum petitionem Nominati exigeret (90), et eo magis postulationes Aulae Imperialis animum Metropolitae in suspensio tenebant. Ideo non ad Nuntium Garampi, qui omnino Petri Bilanskyj, *presbyteri saecularis* (91) ad dignitatem episcopalem elevationi contrarius erat, sed ad Nuntium Varsaviensem pro consilio scripsit. Nuntius Metropolitae consilium dedit, ut Aulae Viennensi responsionem quidem daret, sibi necessum esse consuetum processum de Nominato ad Eparchiam Leopoliensem instituere, quo finito eum, secundum usum et privilegia Metropolitae Kioviensis, in Episcopum consecrabit. Processus indispensabiliter coram ipso formari deberet, et Imperatricem, quae post dismembrationem Poloniae (a. 1773) in iura Regis Poloniae intravit, in praeiudicium Metropolitae hoc prohibere non posse. Praedecessores enim Metropolitae processum hunc, praevia regia nominatione, conficiebant, litteras institutionis dabant et in fine consecrabant. Idcirco hoc etiam in casu simili modo procedendum esse eo vel magis, quod Metropolitae libera et plena iurisdictio in territorio Austriae concessa fuit. Nominato autem scribere necessarium erit, ne formationem processus, quem canones Ecclesiae praescribunt, ac comprobationem idoneitatis sibi praeiudiciosam consideret, neque defectu religiosae professionis aut apostolicae dispensationis explicet (92). Interea tempus necessarium suppeditabitur, quo tempore Metropolita per Nuntium Archetti dispensationem pro consecratione a Summo Pontifice obtinere potest (93).

Metropolita, sententiam Nuntii secutus, iam die 12 Septembris 1781 processum incepit et dein ad diem 23 eiusdem mensis transtulit. Petita autem a Petro Bilanskyj (94) dispensatio in audientia Pii PP. VI, die 22 Aprilis 1781 habita, Secretario S. Congregationis de Propaganda Fide, Stephano Borgia, referente concessa fuit (95), qua recepta, Metropolita die 23 Septembris in

cus vero consecrationem eidem recusaret, id illico mediante Caes. Regiae hoc Gubernio summae aulae indiget ». PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. II, p. 132.

(90) Cfr. p. 115, n. 86.

(91) ASV, *Arch. Nunz. Vienna*, vol. 187, f. 52v.

(92) APF, *Scritt. rif. n. Congressi: MPR*, vol. 14, f. 153-154v.

(93) «... V. S. Ill.ma rivolgasi per mezzo mio alla Santità di Nostro Signore, domandando ella stessa la dispensa Pontificia per poter consecrare il nominato di Leopoli, sebbene non sia Monaco, e non abbia professati i voti monastici ... »; *IBID.*, f. 155.

(94) «... cumque R. D. Petrus Bielanski Presbyter Saecularis Ruthenus Electus Episcopus Leopoliensis ad avertenda incommoda, quae ex retardata ipsius consecratione manarent in gregem, duobus fere abhinc annis Pastore suo viduatam, humillime supplicaverit pro Apostolica Dispensatione super praefata Synodi Constitutio-
ne ... ». APF, *Scritt. rif. n. Congressi: MPR*, vol. 14, f. 453v.

(95) «... Pius PP. VI. referente ... Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretario attentis peculiaribus circumstantiis benigne dispensavit eundem Dominum Petrum Bielanskyj ab obligatione suscipiendi Regulare Institutum juxta praedictum

Ecclesia S. Georgii Martyris, coram Excelso Haliciensi Gubernio atque frequenti Cleri ac populi concursu, intra Pontificalium Solemnia, Ritu Orientali, Jacobo Valeriano Tumanovič Ritus Armeni Camenecensi et Ignatio Karwosiecki Ritus Latini Bibliensi, Episcopis, assistentibus, Petrum Bilanskyj in Episcopum Leopoliensem consecravit (96).

Hoc modo Petrus Bilanskyj primus in historia Eparchiae Leopoliensis ex Clero saeculari ad episcopalem dignitatem evehitur. In sua vero pastoralis activitate sic dictum « Josephinismus » (97) invenit, qui tunc temporis in Imperio Romano vigeat, suumque influxum in vitam internam Ecclesiae Ucrainae in regno Haliciae et Volodyriae habuit. Tempore autem regiminis Josephi II nullum conamen de restauranda Metropolia Haliciensi tam a Gubernio, quam eo magis ab Hierarchia ucraina susceptum fuit. Post obitum vero Josephi II (20. II. 1790) illi, quibus aequiparatio ritus graeci catholici cum latino, eiusque Cleri cultura displicebat, omnia impedimenta admove- runt, ut aequalitatem rituum et praesertim Seminarium Generale pro graeco- catholicis supprimerent. Ad quam suppressionem tam Nobilitas polona, quam Clerus eiusdem nationis suas contulerunt vires, missoque Caietano Kicki, Episcopo Suffraganeo Leopoliensi Viennam, expetebant, ut Clero latino iuris- dictio et praerogativae, quibus antea gaudebant, restituerentur (98). Clerus ucrainus vero non frustra metuebat, ne latino-polonicus Clerus quoque, recuperato antiquo praedominio, eum denuo opprimeret et in pristinam rudi- tatem coniiceret. Quare Consiliarii, inter quos Rector Seminarii Generalis Antonius Anhelovyč non defuit, utrique Episcopo, Leopoliensi Peremyslien- sique proponebant, ut sua ex parte et ex parte Cleri Delegatos ex Clero ad Imperatorem Leopoldum II mitterent, qui defensionis iurium tum Cleri tum populi incumberent.

Duo Vicarii Generales, Leopoliensis-Nicolaus Skorodinskyj et Peremyslien- sis-Julianus Sponring, ad hoc munus obeundum Viennam missi fuerunt, qu- quindecim petita, inter qua secundo in loco restauratio Metropolitae Halicien- sis cum novae Eparchiae institutione erat, praesentarunt. Hoc modo restau- ratio Metropolitae Haliciensis prima vice ab Hierarchia ucraina proposita fuit, et quidem non alia de causa, sed ob periculum subiectionis Hierarchiae latino-polonae, quae nullam potestatem in Hierarchiam Haliciensem obtinere

Canonem indulsitque, ut eo non obstante in Episcopum ... Leopoliensem a R. P. D. Jasone Smogorzewski Metropolitae Russiae Administratore consecrari juxta Ritus possit et valeat ». APF, *Scritt. rif. n. Congressi: MPR*, vol. 14, f. 453v-454.

(96) *IBID.*, f. 459v-460.

(97) Hac de re videsis probatos auctores: MASS F., *Der Josephinismus*, t. I, II, Wien 1953; LOZYSKI V., *Galiciana: kilka obrazków z pierwszych lat historii Galicyj- skiej*, Leopoli 1872; PASTOR L., *o. c.*, vol. XVI, 3, p. 328-404.

(98) HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 629-630.

potuisset, si Haliciae distinctus a Kioviensi Metropoli fuisset. Petitionibus a Delegatis exhibitis, inter quas comprobatio coaequationis rituum catholicorum non defuit, Leopoldus II die 26 Junii 1790, his tamen quae restaurationem Metropoliae Haliciensis Capitulorumque spectabant exceptis, annuit (99).

Restauratio Metropoliae Haliciensis rationibus mere politicis, ne extranei Episcopi iurisdictionem in fideles Aulae Caesariae subiectos extenderent, a Guberniis Austriae urgebatur. Nunc vero, quia restauratio Aulae Caesariae nullum fructum afferre videbatur, petita Hierarchiae Haliciensis desiderato effectu non fuit coronatum.

Ante dictum annum Hierarchia ucraina nullam internam necessitatem restaurationis Metropoliae Haliciensis videbat, cum ab anno 1773 Metropolitae Kioviensibus iurdictio in Austria permissa fuisset, quod activitate pastoralis Metropolitae Philippi Volodkovyč, Leonis Szeptyckij et Jasonis Smogorzewskij comprobatur. Ultimus praesertim Metropolitae pleno iure, etiam in Regno Poloniae residebat, sua metropolitana officia in dominiis Austriae exercebat. Aula Caesarea in omnibus, quae ius metropolitanum spectabant, ad ipsum recurrebat, uti in institutione Episcopi Leopoliensis, dismembratione dioecesium Leopoliensis et Peremysliensis, cum Cholmensi et Luceoriensi (100) ac in translatione Episcopi Cholmensis Maximiliani Rylo ad cathedram Peremysliensem clare patet (101). Mox tamen circumstantiae tum politicae tum ecclesiasticae, praesertim post tertiam dismembrationem Poloniae, mutatae, necessitatem restaurationis Metropoliae Haliciensis iterum ante oculos posuerunt.

ART. 2. - NOVAE CIRCUMSTANTIAE ET NECESSITATES POST TERTIAM DIVISIONEM POLONIAE.

Cum prima divisione Poloniae (a. 1772) solummodo Archieparchia Polonica, quae eo tempore erudito, prudenti atque zelo religionis et unionis flagranti Pastore, Jasone Smogorzewskij provisa erat, sub dominium Moscoviae devenit. Post obitum Metropolitae Kioviensis et Haliciensis, Leonis Szeptyckij, ad hanc dignitatem Jason Smogorzewskij evectus fuit, cuius iurdictio

(99) HARASIEWICZ M., o. c., p. 631, 651-652; CHOMA J., *Maximilianus Rylo Episcopus Chelmensis et Peremysliensis (1759-1793)*, Excerpta ex Dissertatione ad Lauream in Facultate Theologica, Romae 1953, p. 45.

(100) HARASIEWICZ M., o. c., p. 610.

(101) APF, *Seritt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 15, ff. 409, 517rv. CHOMA J., o. c., p. 39-42.

metropolitana a tribus Statibus (Austria, Moscovia et Polonia) recognoscebatur (1). Sibi gratiam et benevolentiam imperantium conciliare gnarus et praecipue ita in ea parte Metropoliæ Kioviensis et Haliciensis, quae post dismembrationem Poloniae Moscoviae cessit, omnia ordinare sciverat, ut lites in dicto territorio a longo tempore unitos et non unitos inter continuo perdurantes sopirentur et pax restitueretur.

In Regno Poloniae, in Diaeta quatuor annorum (1788—1791) (2), potens factio Gallorum principiis imbuta regem Stanislaum Augustum, Moscoviae faventem, regno spoliare atque, libera republica declarata, Moscoviae bellum indicere (3) et ita ab eorum influxu Poloniam liberare intendebat. Hoc quoque tempore Episcopatui ucraino aequalitas iurium cum Latinis conceditur et Metropolitae Kioviensi et Haliciensi Theodosio Rostockyj in Senatu post Episcopos latini ritus locus assignatur (4). Reformatae Constitutioni Regni Poloniae tsarina Moscoviae sese opposuit et in favorem Moscoviae, cum Turcis finito bello, (5) formationem confoederationis in civitate Targovicensi (14 Maii 1792 — Volynia) cum intentione ad nihilum deducere reformatam Constitutionem procuravit (6), et die 18 Maii 1792 edicto ad populum dato (7) suas obiectiones atque vota manifestavit. Rex volens—nolens confoederationi adhaerere debuit (8), dum duae externae potentiae (Moscovia et Borussia) de secunda divisione Poloniae Petropoli pertractabantur (9). Deinde extraordinaria Comitia Grodnae congregata fuerunt et die 11 Julii 1793 (10) inter Moscoviam, Borussiam ac Poloniam tractatus concludebatur et Moscoviae

(1) PASTOR L., *o. c.*, vol XVI, 3, p. 133-134; HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 831.

(2) HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 539-540; PASTOR L., *o. c.*, vol. XVI, 3, p. 134; PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. II, p. 278.

(3) Hoc quoque tempore Moscovia bello cum Turcis, anno 1787 incepto (Cfr. PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, p. 256), occupata erat; AMMANN A. M., *o. c.* p. 386.

(4) HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 539.

(5) AMMANN A. M., *o. c.* p. 386; PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. II, p. 334.

(6) HANISCH E., *Geschichte Polens*, Born 1923, p. 261; PASTOR L., *o. c.*, vol. XVI, 3, p. 134.

(7) FORST-BATTAGLIA O., *o. c.*, p. 337.

(8) FORST-BATTAGLIA O., *o. c.*, p. 344, 346; HANISCH E., *o. c.*, p. 261; PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.* t. II, P. II, p. 334; AMMANN A. M., *o. c.*, p. 386.

(9) PASTOR L., *o. c.*, vol. XVI, 3, p. 134.

(10) HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 542; - Secunda divisio Poloniae die 22 Januarii 1793 a competentibus partibus subscribebatur. Cfr. FORST-BATTAGLIA O., *o. c.*, p. 347 sq.; Cfr. LORD K. A., *The Second Partition of Poland*, London 1916; HERMANN E., *Die öster. - preuss. Allianz vom 7 Februar 1792 und die zweite Teilung Polens*, Gotha 1861; AMMANN A. M. *o. c.*, p. 386.

Palatinatus Kioviensis, Braclaviensis et Podoliae, nonnisi parte Volyniae regimini polonico relicta, cedebatur (11). In octavo articulo Grodnensis tractatus plenum et liberum exercitium religionis fuerit cautum et Catharina II, nomine proprio suorumque successorum nihil in praeiudicium religionis Ecclesiae Romanae utriusque ritus facturam adpromisit (12). Permissum enim erat, ut populus et Clerus ucrainus catholicus in portionibus dioecesium, quarum Episcopi extra confines Moscoviae morabantur, ulterius a propriis Episcopis regi possent. Idcirco pars dioeceseos Camenecensis ad Episcopum Leopoliensem spectans ab eodem dependebat et regebatur, Cholmeris vero ab eodem Episcopo Porphyrio Važynskyj, sub regimine polonico degente, gubernabatur (13). Attamen promissio, quod « status quo » religionis conservaretur sincera non fuit, cum eodem anno Catharina II a Consilio Status quaesivit. quisnam modus faciliior esset, ut Uniti ad disunionem adducerentur? (14).

Cum autem anno 1794 poloni, Duce Thadeo Kosciuszko (15), contra moscovitas exsurrexissent, bellum Poloniam et Moscoviam inter exortum est, Hanc ob causam ad varias personas saeculares ac ecclesiasticas utriusque ritus, in neoavulsis a Regno Poloniae provinciis degentes, litterae, quibus ad adiutorium sibi praestandum animabantur, a Tadeo Kosciuszko emissae fuerunt. Quando exercitus moscovitarum maiore numero in Poloniam intravit, exercitus polonorum cladem unam post aliam reportabat usquedum mense Octobri 1794 in proelio prope Maciejovice finalem cladem accepit (16). Hoc tempore etiam Austria cum Borussia et Moscovia in divisione Poloniae tertia suas partes habuit (1795). Maior tamen pars Moscoviae cessit, quae Lithuaniam, reliquam partem Volyniae, dioecsim metropolitanam Kioviensem necnon Volodymyriensem, Berestensem, ex parte, et Pinscensem occupavit. Austriae autem dioecesis Cholmensis et pars dioecesis Berestensis cum Palatinatu Cracoviensi et Sandomiriensi adiungebatur; demum pars dioecesis Berestensis, cum monasterio Suprasliensi, et provincia Bialystocensi sub dominium Borussiae veniunt, in qua, intercedente Rege Borussiae, in Suprasl Eparchia

(11) HARASIEWICZ M., o. c., p. 542.

(12) HARASIEWICZ M., o. c., p. 831; PELESZ J., o. c., t. II, p. 583-584; THEINER A., o. c., p. 306; *Documente*, p. 208.

(13) HARASIEWICZ M., o. c., p. 832.

(14) THEINER A., *Die neuesten Zustände ...*, p. 307; PELESZ J., o. c., t. II, p. 584.

(15) HANISCH E. o. c., p. 262; FORST-BATTAGLIA O., o. c., p. 357 sq.; PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. II, p. 351-359.

(16) PAŠTOR L., vol. XVI, 3. p. 135; PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. II, p. 352.

erecta mox fuit (17). Certis de causis (18) solum mense Octobri 1795 actus divisionis Poloniae subscriptus fuit; rex autem Poloniae Stanislaus Augustus in Grodno tandem die 25 Novembris suam abdicationem subscripsit et in dicta civitate, usque ad mortem Catharinae II (17 Novembris 1796) remansit (19).

Nominatae iam litterae Thaddei Kosciuszko ad manus moscovitarum pervenerunt et non tantum incarcerationem harum personarum, ad quas directae fuerunt, post se traxerunt, verum etiam optimam occasionem officialis extirpationis Unionis ucrainorum in illis partibus praebebant (20). Hoc quoque tempore, sicut consequentia iam nominatorum conatuum Catharinae, Institutum Missionarium non unitorum fundatum fuit. Longa series edictorum statalium promovit facilitavitque operam traductionis Unitorum in sinum Ecclesiae Disunitae (21). Tali modo actio «conversionis Unitorum» initium habuit. Episcopus Victor Sadkovskyj (22) die Maii 1794 epistulam pastorem

(17) Eparchia Suprasliensis Bulla «*Susceptum a Nobis*», de 4 Martii 1798, a Pio PP. VI. erecta (Cfr. THEINER A., *Die neueste Zustände ...*, Docum. 97, p. 282-296) et Episcopus Theodosius Vyslockyj, ultimus Archimandrita Suprasliensis monasterii, Bulla «*Apostolicum officium*», de 27 Martii 1799 (THEINER A., *Die neueste Zustände ...*, Docum. 98, p. 296-300; PELESZ J., *o. c.*, t. II, p. 596) a Romano Pontifice Pio VI institutus fuit, qui in Episcopum a Zenopolitano Episcopo latini ritus, Albertrando, consecratus fuit. Cum autem in Brevi Pii PP. VII (2. IV. 1800) dictum sit: «a quocumque Episcopo Sedis Apostolicae communionem habente» (APF, *Scritt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 18, f. 244v) et non dicebatur «etiam latini ritus», de qua re admonitus rogavit et absolutionem secrete obtinuit. Cfr. APF, *Scritt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 18, ff. 111v, 244rv; PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. II, p. 412.

(18) Post abdicationem Stanislai Augusti, rex Borussiae Federicus adiunctionem suo Regno Cracoviae et sinistrae ripae fluminis Vistulae postulavit, quare divisio Poloniae retardata fuit. Cfr. PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. II, p. 371.

(19) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. II, p. 370.

(20) In hac insurrectione Episcopus Cholmensis Porphyrius Važynskyj quodammodo immixtus fuit, cum in residentia episcopali eiusdem, congressus hominum seditionum contra moscovitas celebrabatur. Quare post victoriam, ab exercitu moscovitico reportatam, in ditiones austriacas confugit. Cfr. HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 832.

(21) PASTOR L., *o. c.*, vol. XVI, 3, p. 135-136; PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. II, p. 259-260; AMMANN A. M., *o. c.*, p. 386-387; LIKOWSKI E., *Dzieje ...*, I, p. 245-249; Cfr. KOJALOVİČ M., *Istoriја vozsojedinenija zapadnoruskich unijatov starich vremen*, S. Peterburg 1873.

(22) Post primam divisionem Poloniae Victor Sadkovskyj, presbyter saecularis disunitus, officio Capellani in Legatione moscovitica Varsaviae fungebatur. Anno vero 1783 a Catharina II in archimandritam Slucensem et duobus annis postea (1785) in Episcopum Perejaslaviensem et Boryspoliensem (Cfr. PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. II, p. 277) cum residentia in Slucensi civitate nominatus fuit (Cfr. DERUGA A., *Walka z russyfikacją kościoła prawosławnego w Polsce w epoce sejmów wielkich* (1788-1792), (summarium ex «*Ateneum Wilenskie*», vol. XI, Wilno 1936, p. 530-560; *Polnoje sobranije zakonov*, vol. 16, Docum. 16.173). Ipse vero exclusive pastoralis curae pro non unitis in Polonia se dare debuit, quod et fecit.

edidit, in qua tamquam Ordinarius omnium christianorum Bielorussiae ritus orientalis se ferebat (23). Non diversimode alii Episcopi non uniti (Smolenscensis et Volyniae) se gesserunt (24). Eodem tamen tempore perductio ad schisma fidelium unitorum necnon occupatio a disunitis sedis episcopalis Camenecensis, quae tunc in regimine Episcopi Leopoliensis, Haliciensis et Camenecensis, Petri Bilanskyj, remanebat, non tam facile evenit, cum Consistoria Camenecii et in Bar a dicto Episcopo constituta, maiori invigilarent zelo, ac Pastores magis exculti pseudomissionarios facilius confutare potuerunt (25). Attamen brevi tempore ecclesiae parochiales unitorum a non unitis vi avulsae fuerunt et tunc Divina vel in cappellis Dominorum terrestrium vel in propriis domibus pro populo fidei unito peragebantur et Sacramenta administrabantur. Non uniti id aegre ferentes, medio Gubernatore loci, Generali Seremetev, Episcopum Petrum Bilanskyj urgebant, ut suis sacerdotibus prohiberet, ne propagationem « orthodoxae » religionis impediret. In sua responsione Episcopus Gubernatori exposuit, quod sacerdotes uniti suos parochianos, in Unione perseverantes, avulsis propriis ecclesiis, in privatis domibus spiritualibus necessitatibus eorum non solum providere possunt, sed debent et in hoc culpari non possunt, quia decreto imperatorio id solummodo prohibebatur, ne volentibus relinquere catholicismum obices ponerentur, nullatenus vero fuerat vetitum, ne parochi unitis suis parochianis functiones sacras administrarent, quinimmo, nomine Imperialis Maiestatis tolerantia omnium in neoadiunctis territoriis existentium religionum solemniter declarata fuit (26). Idcirco Gubernatorem rogabat, ut ucrainos unitos eorumque sacerdotes, in unione perseverare desiderantes, tueretur et eosdem ad mutationem religionis cogi non permitteret.

(23) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. II, p. 360; AMMANN A. M., *o. c.*, p. 388; HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 833.

(24) AMMANN A. M., *o. c.*, p. 388.

(25) HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 834.

(26) HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 835; - Inde ab initio istius contra catholicismum motus Petrus Bilanskyj non intermittebat medio Nuntii Apostolici Viennensis Sedem Apostolicam informare ac statum unitorum, eorundem persecutiones et ruinam unionis depingendo, auxilium in suborta crisi exposcere. Quam grata Sedi Apostolicae dicta scriptura fuerit litterae Cardinalis de Vada, hoc tempore Secretarii Status, die 3 Februarii 1796 ad Episcopum Petrum Bilanskyj nomine Pii PP. VI. datae, demonstrant (Cfr. HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 837). Nequidem expositionem huius rei ad Aulam Viennensem tramite Gubernii Haliciensis omisit. Attamen haec scriptura conatusque Episcopi apud Aulam Caesaream Regiam carebant effectu, cum hoc tempore denuo prodierit ordinatio moscovitica, vigore cuius in omnibus noviter a moscovitis occupatis provinciis omnis extraneus influxus impediatur et fideles harum provinciarum in Imperio degentibus subordinabantur Episcopis. Cfr. HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 838.

Post tertiam dismembrationem Poloniae, Catharina II iam aperte Ecclesiam Ucrainam Catholicam persequi coepit, quam omnino in suo imperio destruere decrevit. Idcirco cum novo vigore opus « conversionis » refloruit, dum Episcopus V. Sadkovskij districtum Polocensem obtinuit et Episcopus non unitus Mohiloviensis eandem activitatem promovere coepit.

Huic activitati tota Hierarchia ucraina sese opposuit; Metropolita de conaminibus Gubernii et Ecclesiae Dissidentium protestabatur (27) necnon, ut melius iura libertatemque suae Ecclesiae defenderet, Petropolim profectus est (28), ubi tamen ei silentium impositum fuit, secus tamquam auctor seditionis consideraretur (29). Imo, Imperatrix, ut suum propositum ad effectum perduceret, suppressionem Metropoliae eiusque dioecesium edicto imperiali die 6 Septembris 1795 statuit (30). Tali modo Metropolia Kioviensis cum tribus dioecesium Suffraganeis supprimebatur (31). Virtute nominati decreti una solummodo Archidioecesis Polocensis remansit, cuius Pastori - Heraclio Lisovskij - omnes fideles et clerus tam saecularis quam regularis suppressarum dioecesium subiciebantur. Sacerdotibus saecularibus, ad Ecclesiam non unitam transire nolentibus, ex speciali imperiali gratia libera extra regna emigratio concedebatur, quod si ulterius permanerent pensio a 50 usque 100 rublones assignabatur (32). Episcopis suppressarum dioecesium permissum quoque erat locum commorationis pro libitu eligere simulque pensio annuaria concedebatur (33). Metropolitae autem solummodo Romae aut Petropoli, cum annua pensione 6000 rublonum, commorare permissum fuit (34), attamen titulus: « Metropolita Kioviensis, Haliciensis totius-

(27) KOJALOVIC M., o. c., p. 371; AMMANN A. M., o. c., p. 388; Cfr. TITLINOV B., *Gavril Petrov*, Petrograd 1916, p. 1068-1078.

(28) AMMANN A. M., o. c., p. 388; PETROV N., *Kratkija izvestija o položeniji Bazilijanskovo Ordena i raznyh peremjenach v jeho upravljeniji ot 1772-1811 g.*, in « *Trudy Kijevskoj Duchovnoj Akademiji* », 1868, (III-IV), p. 166-167.

(29) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. II, p. 376.

(30) Sicut iam dictum est, Episcopi auxilium Romae et apud Aulam Caesaream invocabant, sine tamen fructu.

(31) Ita suppressae sunt Eparchiae: Kioviensis cum titulo Metropoliae Kioviensis, Haliciensis totiusque Rusy, Berestensensis et Volodymyriensis, Turoviensis et Pinscensis atque Luceoriensis Ostrogensisque Cfr. SOLOWIJ M. M., *De restitutione Metropoliae Kioviensis in Imperio Rossiaco sub Imperatore Alexandro I* (anno 1806), in « *Annalecta OSBM* », Ser. II, Sect. II, vol. I (VII), fasc. 2-3, Romae 1950 p. 230.

(32) HARASIEWICZ M., o. c., p. 839; PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. II, p. 373.

(33) *Polnoje Sobranije Zakonov Rossijskoj Imperiji*, t. 23, S. Peterburg 1830, Nr. 17384, p. 772-773; Cfr. quoque *Akty izdavaemyje Vilenskoju Archeografičeskoju Komissijeju*, t. XVI, Vilna 1889, p. 12-13.

(34) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. II, p. 373; - Metropolita Theodosius Rostockij a Catharina II erat male visus (Cfr. TOLSTOJ D., *Le catholicisme Romain en Russie*, t. II, Paris 1864, p. 347), quia ipse locum in Senatu Poloniae habuit et a mo-

que Rusy » ipsi relictum fuit (35). Inter alias prohibitiones receptio Bul-
 larum et litterarum Romanorum Pontificum, ob decreta dei 17 Januarii 1782
 et 7 Januarii 1785, Episcopis prohibebatur simulque relationes cum Episcopis
 in aliis Statibus degentibus denegabantur. Exinde difficultas relationum inter
 Metropolitam et Episcopos, in Borussia et Austria commorantes, praesertim
 quoad provisionem Sedium vacantium exoritur quam maxima. Theodosius
 Rostockyj, in Galicia suam metropolitica iurisdictionem nonnisi via diploma-
 tica, videlicet per Legatum austriacum Petropoli residentem, exercere aliquo-
 modo potuit. Talis autem via suas habuit difficultates ac haud breve exige-
 bat tempus.

Anno ex. gr. 1793 Episcopus Peremysliensis Maximilianus Rylo, vita
 functus est sed nominatus in Episcopum Peremysliensem, Antonius Anhe-
 lovyč, consecrationem obtinere non potuit nonnisi anno 1796, per delega-
 tionem in personam Episcopi Leopoliensis Petri Bilanskyj extraditam. Haec
 difficultas etiam post mortem Petri Bilanskyj (29 Maii 1798) locum habuit (36).

Propter hanc difficile communicationem cum Metropolita, Aula Caesa-
 rea a Gubernio Haliciensi exquisivit, quomodo influxus extranei Kioviensis
 Metropolitae quoad confirmationem et consecrationem Episcoporum regni
 Haliciae et Volodymyriae in posterum praepediri possit. Gubernii autem
 Haliciensis sententia, de die 29 aprilis 1796, erat, ut Haliciensis Metropolia
 cum Sede Leopoli restauraretur et Petrus Bilanskyj, qua senior et intimus
 Consiliarius Suae Maiestatis, Metropolita nominetur. Revocabatur quoque
 Gubernium ad anteriorem suam opinionem, videlicet, ut etiam Episcopi
 Hungariae huic Metropolitae subicerentur (37).

Hierarchia Haliciensis ucraina, ob hanc eandem difficultatem, a Metro-
 polita Theodosio Rostockyj expetivit, ut suam metropolitica iurisdictionem in
 Halicia Episcopo seniori, Cholmensi, Porphyrio Važynskyj, viro gravi, scien-
 tiis Romae imbuto et zelo religionis flagranti, delegaret simulque consen-
 tiret, ut eidem apud Caesaream Regiam Maiestatem et Sedem Apostolicam
 intuitu regulandae suae hierarchiae operari permitteretur. Metropolita tamen
 nullum responsum dedit (38); sed conamina Haliciensis Hierarchie ad restau-
 randam Metropoliam Haliciensem non solum non cessarunt, sed magis
 adhuc creverunt.

scovitis tamquam anti-moscovita considerabatur. Cfr. ASV. Arch. Nunz. Vienna, vol.
 218, f. 33.

(35) HARASIEWICZ M., o. c., pp. 666-667, 678; PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. II,
 p. 384; AMMANN A. M., o. c., p. 388.

(36) HARASIEWICZ M., o. c., pp. 669, 679; PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. II,
 p. 410-411.

(37) HARASIEWICZ M., o. c., p. 667-668.

(38) HARASIEWICZ M., o. c., p. 679; PETRUŠEVYČ A. *Sv. Lit.*, t. II, P. II, p. 411.

ART. 3. - CONAMINA CLERI ET GUBERNII IN RESTAURATIONE
METROPOLIAE HALICIENSIS.

Post mortem Episcopi Bilanskyj (29 Maii 1798) et post nominationem Episcopi Nicolai Skorodynskyj in Episcopum Leopoliensem, ad Metropolitam Theodosium Rostockyj, Petropolim, recursus factus fuit, ut necessitatibus Ecclesiae provideret, per delegationem Porphyrii Važynskyj.

Hoc quoque tempore, quo ad Metropolitam Kioviensem pro consensu in restaurationem Metropoliae Haliciensis scriptum fuit, Romam ad Procuratorem Generalem Jordanum Mickievych OSBM litterae missae sunt. Procurator vero, brevi post acceptas litteras, ardentissimas preces ad S. Sedem Apostolicam, ut Ecclesiae Ucrainae quamprimum meliori modo provideretur, retulit (1). Inter alias rationes scribebat nominatus Procurator, quod Ordo Hierarchicus ucrainorum unitorum iam propter detentionem Petropoli et surrogationem in locum eius Metropolitae latini (2) ac designationem in Metropoliam unitam Coadiutoris non uniti, iam propter introductionem Episcoporum, Parochorum et monachorum non unitorum in omnes ecclesias unitas in Imperio Moscoviensi sitas, ita perturbatus extitit, ut nec Episcopi inter se communicare et magis adhuc extra limites Domini recurere valeant. Quapropter unicum medium salvandae Unionis in restauratione Metropoliae Haliciensis superesse videtur. Proponebat idem Procurator, ut praeter Eparchias Halicienses etiam Eparchiae Hungariae dictam Metropoliam constituerent, metropolitanam vero dignitatem optime meritis Porphyriusz Vaynskyj, Episcopus Cholmensis et Belzensis, obtinere poterit. Dicta restauratio facilius obtineri poterit, si « Sanctitas Vestra, disponendo ad Aulam Imperialem Francisci II, Nuntio Apostolico onus imposuerit, tractandi de hac materia non

(1) APF, *Scrith. rif. n. Congr. MPR*, vol. 18, f. 73-75.

(2) Pro catholicis latini ritus ex dioecesi Vilnensi, qui post primam dismembrationem Poloniae (a. 1772) subditi Imperii Moscoviensis devenerunt, Episcopus Vilnensis Massalski suum Coadiutorem Stanislaum Bohusz-Siestrzencewicz tamquam Vicarium Generalem Bielorussiae instituit. Decursu temporis tam Vicarius hic quam Catharina II separationem a Vilnensi Episcopo atque erectionem independentis Archiepiscopatus obtinere studuerunt. Hoc propositum anno 1773 actuatum fuit et subsequenti anno (1774) novo Episcopo in civitate Mohiloviensi residentia assignabatur, quod tamen a Sancta Sede improbatum fuit (Cfr. AMMANN A. M., *o. c.*, p. 384). Hac de causa Catharina II completam scissionem cum Roma et constitutionem Ecclesiae Statalis pro omnibus suis subditis minabatur. Romanus Pontifex Pius VI cedere coactus fuit et per Nuntium Apostolicum Archetti, Petropolim missum (a. 1783), Archiepiscopatum Mohiloviensem instituit et in primum Archiepiscopum Stanislaum Bohusz-Siestrzencewicz nominavit (Cfr. AMMANN A. M., *o. c.*, p. 385). Cum Metropolita Theo-

cum Ministris respectivorum Guberniorum, sed cum Ipso solo Imperatore » (3).

S. Congregatio de Propaganda Fide tamen iustis ex causis, respicientibus Imperium Moscoviae et Austriae, vivente Petropolique commorante Kioviensi Metropolita Theodosio Rostockyj, negotium creandi seu, melius dicamus, restaurandi Metropoliam Haliciensem suspendendum esse censuit (4).

Hoc eodem tempore Episcopi polonici, non obstantibus tot Sedis Apostolicae mandatis circa ritum graeco-catholicum ucrainorum datis, a Gubernio Haliciensi postulabant, ut cum ucrainis Haliciae commorantibus secundum Bullam « *Etsi pastoralis* » procederetur. Gubernium autem hac de re sententiam Episcopi Peremysliensis Antonii Anhelovyč, cum contra ipsum Golaszewski, Peremysliensis latini ritus Episcopus, ad Gubernium Haliciense litteras mittebat, requisivit (5).

Interea Gubernium Cracoviense, occasione dismembrationis dioecesium ritus latini, anno 1800 sub praetextu defectus dotationis Eparchiae Cholmensis unitae, Aulae Caesariae proposuit, quatenus dicta Eparchia post mortem Episcopi Porphyrii Važynskyj supprimeretur et Leopoliensi vel Peremysliensi incorporaretur (6). Cum res ad aures Leopoliensis et Peremysliensis Episcoporum pervenerit, ipsi dilucide demonstrabant, Eparchiam Cholmensis tum ob magnam distantiam a nominatis Eparchiis quum ob magnum numerum parochiarum neutri Eparchiae incorporari posse (7). Hae similesque rationes Hierarchiam Haliciensem ucrainam impellebant, ut proprium Metropolitam obtineret, cum Metropolita Theodosius Rostockyj, Petropoli residens, nihil pro eorum difensione possit. Hac de causa noviter litteras tam ad Nuntium Vienneensem Severoli, quam ad S. Congregationem de Propaganda Fide, mediante Procuratore Romae residente, miserunt. Procurator vero, antequam S. Congre-

dosius Rostockyj, ut diximus, sua iurisdictione metropolitana destitueretur, Siestrzencewicz etiam Ecclesiam ucrainam catholicam sibi subiicere studuit, quod partim et obtinuit.

(3) APF, *Scrutt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 18. f. 73v.

(4) APF, *Scrutt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 18. f. 134.

(5) HARASIEWICZ M., o. c., p. 696; - Vide quoque responsionem Antonii. Cfr. *IBID.*, p. 718-728.

(6) *IBID.*, o. c., p. 679-680; - Similis polonorum praetensio, suae iurisdictioni ucrainos subiciendi eorumque Episcopos supprimendi, brevi post Berestensem Unionem in lucem prodit. Circa annum 1626 Regni Cancellarius (Ecclesiasticus polonus) litteris regiae nominationis pro Eparchia ucraina Cholmensi clausulam adiecit, ut nominatus Episcopus (Theodorus Meleško) teneatur suae in spiritualibus et temporalibus administrationis Episcopo Cholmensi polonico rationem reddere. Huic autem clausulae S. Congregatio de Propaganda Fide sese opposuit et Nuntio Apostolico in Regno Poloniae commisit, ut dicta clausula revocaretur, quod et factum est. Cfr. HARASIEWICZ M., o. c., p. 681.

(7) HARASIEWICZ M., o. c., p. 679-680.

gatio de Propaganda Fide transmitteret suam ministerialem informationem Nuntio Viennensi de desideris Hierarchiae ucrainorum unitorum, prospectum de eadem Hierarchia ucraina misit (8).

In dicto prospectu Generalis Procurator, postquam breviter sortem Ecclesiae Ucrainae post tertiam dismembrationem Poloniae in lucem pusuisset, de Hierarchiae Haliciensis per Nuntiaturam Viennensem ad Imperatorem recursum, ut cum eiusdem ritus Hungariae et Transilvaniae Episcopis ex suo gremio unum Metropolitam, a Kioviensi separatum, eligere possint, sermonem habuit (9).

Nequidem hac vice ad quamdam solutionem circa Metropoliam Haliciensem perventum fuit, ob existentiam Metropolitae Kioviensis Theodosii Rostockyj, qui titulo « Metropolitae Kioviensis et Haliciensis » fruebatur. Post mortem Catharinae II, quae uno anno post suppressionem Metropolitae Kioviensis (6. XI. 1796) subsecuta est et post intronisationem Pauli I mutatio in regimine Imperii simulque in modo agendi Imperatoris Ecclesiam ucrainorum versus communiter expectabatur (10). Non solum alius modus agendi Imperatoris, sed etiam restitutio metropolitanae iurisdictionis Theodosio Rostockyj Eparchiarumque repristinatio expectabatur.

Spes haec tam magna erat, quod cum Pauli I ad thronum ascensu inter fideles Clerumque Ecclesiae Ucrainae Catholicae fama spargebatur, Imperatorem totam Hierarchiam ucrainam una cum Metropolita restabilivisse (11). Immo, inter plures circumibat exemplar litterarum Metropolitae, in quibus iste nomine suo totiusque Hierarchiae pro dignitatis metropolitanae restauratione Paulo I gratias agebat (12). Hae, quamquam falsae, notitiae a fidelibus cum magno gaudio excipiebantur et non pauci e fidelibus recenter ad Ecclesiam Disunitam « conversis » ad gremium Ecclesiae Catholicae revertebantur (13). Quare Gubernium Moscoviense motum hunc reprimere satagebat et Paulus I Metropolitam admonuit, ut per litteras pastorales, ad fideles catholicos datas, falsas notitias dissipare conaretur (14). Iussu Imperatoris Metropolitae die 30 Martii 1797 populum admonuit, ne falsis notitiis aures praeberent, quia tali

(8) APF, *Scrutt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 18. f. 134-135.

(9) APF, *Scrutt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 18. f. 134.

(10) SOŁOWIJ M., *o. c.*, p. 230.

(11) IBIDEM.

(12) LIKOWSKI E., *Dzieje ...*, t. II, p. 7-8; *Trudy Kijevskoj Duchovnoj Akademiji*, Kiovia 1878 (III-IV), p. 105-106; - Textum fabricati sermonis invenies in « *Akty izdavaemije Vjlenkoju Archeograficeskoju Komisijeju* », Vilnae 1889, t. XVI, 569.

(13) KOJALOVIC M., *Istorija vozsojedenenija zapadnorusskich unijatov starich vremen*, S. Peterburg 1873, p. 393-394; SVIDERSKIJ L., *Joann Krassovskij, Polockij Unijatskij Arhijepiskop*, Vitebsk 1911, p. 36-38.

(14) LIKOWSKI E., *Dzieje ...*, t. II, p. 8.

in casu severae poenae ex parte Gubernii eos exspectabunt (15). Cum autem eodemque anno extraordinarius Legatus Pii PP. VI, Laurentius Litta, Moscoviam venisset (16) et inter alia de reintegratione dignitatis metropolitanae Eparchiarumque Ecclesiae Ucrainae Catholicae, a Catharina II suppressarum, ageret (17), spes restitutionis Metropoliae Kioviensis renovata est. Die 22 Junii 1797 Nuntius Apostolicus, de restauratoine Metropoliae Kioviensis (18) agens, mutationem perantiqui tituli Metropolitanae Kioviensis — « Metropolita Kioviensis et Haliciensis » — in alium, ex. gr. « Metropolita Unitorum », vel « Metropolita Vilnensis » proponebat (19), quam propositionem die 4 Julii eiusdem anni repetivit (20). Ob oppositionem suspicionesque, quas Gubernium contra Metropolitam Theodosium Rostockyj (21) habebat, persuasiones Legati in favorem Metropolitae nullum habuerunt effectum (22). Legatus vero solum hoc obtinere potuit, quod die 28 Aprilis 1798 Paulus I duas (23) Eparchias anno 1795 suppressas, nempe Berestensem pro Lithuaniensi et Minscensi

(15) AVAK, t. XVI, p. 568.

(16) ROUET DE JOURNAL M. J., *Nonciatures de Russie d'après les documents authentiques*: - *Nonciature de Litta (1797-1799)*, Città del Vaticano 1943, pp. IX-X, 36, 39.

(17) *IBID.*, p. 427.

(18) *IBID.*, p. 68-71; - « Projet sur l'établissement des évêchés pour les catholiques des deux rits dans les nouvelles provinces ajoutées à l'empire de Russie ».

(19) « Si le titre de Kiovie et Halicz rencontre des difficultés, on pourroit substituer celui de Métropolitaine des Unies ou même celui de Métropolitaine de Vilna »; *IBID.*, p. 70.

(20) « On demande seulement qu'il soit accordé au prélat Rostowski (sic! - debet esse Rostockyj), la permission de résider à Vilna ou il exercerait ses fonctions avec le titre de métropolitaine des grecs-unis ou bien métropolitaine de Vilna au lieu de Kiovie qu'il a porté jusqu'ici »; *IBID.*, p. 84.

(21) *Cfr.* p. 123.

(22) ROUET DE JOURNAL M. J., *o. c.*, pp. 74-75, 136, 175, 186, 218, 225, 314, 427-428.

(23) A. M. AMMANN in suo, pluries a nobis citato, opere asserit, tres dioeceses restitutas fuisse (*Cfr.* AMMANN A. M., *o. c.*, p. 398). Attamen haec assertio fundamento caret, cum Archieparchia Polocensis nunquam (anno 1795) suppressa fuit, sed post brevem Cathedrae Polocensis vacationem, post J. Smogoževskij Archiepiscopi Polocensis in Metropolitam Kioviensem (a. 1780) et extra confinia Imperii Moscoviensis de gentis electionem, suum Pastorem in persona Hieracii Lisowskij obtinuit. Polocensis vero Archiepiscopus, post dioecesium episcopaliū ipsiusque metropolitanae die 6 Septembris 1795 suppressionem (*Cfr.* PSZRI, t. 23, N. 17384, p. 772-773 et AVAK, t. XVI, p. 12-13) usque ad annum 1798 solus Ecclesiam Ucrainam et Bielorusiae administrabat. Hunc novum statum rerum Sedes Apostolica agnoscebat et die 22 Januarii 1793 Polocensi Archiepiscopo necessariam iurisdictionem super « omnes christifideles Rutheni Ritus etiam Ecclesiasticos tam Saeculares quam Regulares, quamdiu legitimorum Episcoporum et Superiorum Regularium potestas et iurisdicatio super ipsos exerceri non possit » contulit; ASV, N. P., t. 344/III, fasc. 93.

districtu et Luceoriensem pro reliquis districtibus restituere dignatus est (24), dum Pinscensis et metropolitana Kioviensis simul cum dignitate metropolitana suppressae permanserunt (25). Tali modo Ecclesia Ucraina Catholica, defectu unius Capitis, tamquam secundaria considerabatur seu talis quae vel ad latinum ritum vel ad disunionem transire debebat. Archiepiscopus Mohiloviensis Stanislaus Bogusz-Siestrzencewicz, qui ab anno 1799 caput Ecclesiae Catholicae Moscoviae constitutus fuit (26), suam iurisdictionem etiam supra Ecclesiam Ucrainam usurpare coepit et sese pro unico Capite catholicorum tam ritus latini quam ritus graeco-catholici considerabat.

Anno 1801 Imperator Paulus I, nocturno tempore 12-13 Martii, ab officialibus cohortis aulicae occisus fuit et Alexander I ei in throno successit. Haec mors, sicut iam prius mors Catharinae II, spem restorationis Metropoliae Kioviensis renovavit. Metropolita Kioviensis novo Imperatori litteras memoriales porrexit, quibus restorationem Metropoliae Kioviensis expetebat (27). Interea ad tractanda negotia Ecclesiae Catholicae Petropolim Nuntius Varsaviensis Laurentius Litta missus olim fuit et deinde novus Legatus Pii PP. VII, Thoma Arezzo, ad Imperatorem Alexandrum I (1801-1825) mittebatur (28).

Tunc solummodo Rostockyj responsionem in negotio restorationis Metropoliae Haliciensis, de qua re, probabiliter, a S. Congregatione de Propaganda Fide interrogatus fuit, dedit, cui restorationi omnino adversabatur (29).

(24) PSZRI, t. XXV, N. 18503, p. 222; AVAK, t. XVI, p. 15; - In Berestensem Episcopum Arsenius Glovnevskyj nominatus est. Ad Luceoriensem vero antecedaneus Episcopus Luceoriensis, Stephanus Levinskyj, qui ab anno 1795-1798 Počajoviae commorabatur, restitutus fuit; in Polocensi autem Archidioecesi Hieraclius Lisovskyj remansit (Cfr. PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. II, P. II, p. 403). Metropolita Kioviensi et Episcopo Josaphato Bulhak, qui Zyroviciis commorabatur, antiqua pensio et libertas in electione loci commorationis concessa fuit; IBID, p. 403-404.

(25) ROUET DE JOURNAL M. J., o. c., p. 210; AVAK, t. XVI, p. 15; PSZRI, t. XXV, N. 18503, p. 222.

(26) AMMANN A. M., o. c., p. 400.

(27) AVAK, t. XVI, p. 32; ROUET DE JOURNAL M. J., o. c., - *Nontiatore d'Arezzo (1802-1806)*, P. I, Romae 1922, pp. XCVIII. 6, 179, 463.

(28) ROUET DE JOURNAL M. J., o. c., *Nontiatore de Litta (1797-1799)*, p. 33, 41

(29) Hae animadversiones sine data et subscriptione in Archivo Congregationis de Propaganda Fide inveniuntur. Tamen ex interna critica harum animadversionum deducere possumus, quod anno 1801, vel ad maximum initio 1802, scriptae fuerunt. In his enim animadversionibus de recentissime secuta consecratione tam Episcopi Peremyshliensis (Antonii Anhelovyč, anno 1796) quam Leopoliensis (Nicolai Skorodinskyj, anno 1799) agitur, necnon Metropolita « ad praesens vero spem quoque habet, melioris obtinendae sortis et gratia et favore eiusdem S. Sedis dignissimi Legati » (APF, *Scritt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 18. f. 230v.), quod, vivente Paulo I, nec quando petitio Metropolitae circa restorationem Metropoliae Kioviensis ab Alexandro I (13. XI. 1803) reiecta fuit, certe sperare non potuit.

Asserebat enim, se posse omnium Ecclesiarum necessitatibus subvenire, tum de iure, tum de facto, sive per se, sive per personam delegatam (30).

Ut suam assertionem comprobaret, etiam hoc adiungebat, quod ex unitate totius Hierarchiae ucrainae spes mutui adiutorii in criticis temporibus vigeat. Ritus quoque et consuetudines in casu divisionis facilius mutationes subire possunt ob diversos Nationum mores cessaretque harmonia et nexus inter Pastores unius alteriusque Domini, et per consequens mutuum iuvandi Sanctamque Unionem defendendi studium. In fine, huius iuris privatio ac diminutio sibi dishonorem causabit et despectum (31). Quare Metropolita iuri suo libere renunciare ac Hierarchiae successoribusque praeiudicare non potest.

Ob has mutatas circumstantias Metropolita Kioviensis et Haliciensis restorationi Metropolitiae Haliciensis opponebatur, cui quoque Hierarchia latina suam oppositionem adiungebat, cum non restauratione Metropolitiae Haliciensis, sed defectu Capituli in Ecclesia Haliciensi ucraina facilius eam sibi subiugare sperabat. Attamen Hierarchia Haliciensis, his non obstantibus difficultatibus, die 30 Aprilis 1802 per Generalem Procuratorem Romae commorantem Sacrae Congregationi de Propaganda Fide nova vota porrexit, novis roborata argumentis. Proponebatur enim, ut mediante auctoritate Thomae Arezzo, Apostolici Delegati, Metropolita Theodosius Rostockyj ab obligatione Petropoli commorandi liberetur (32) et ad antiquam suam residentiam Radomysliae vel Vilnae restitueretur. Simulque, ut Episcopi: Volodymyriensis — Simeon Mlockyj, Pinscensis — Joachimus Horbackyj et Ostrogiensis — Stephanus Levinskyj cum suarum Eparchiarum Parochis ad suas Sedes redire possint et in iis ordinariam iurisdictionem exercere liberum eis sit; — monachi autem, ut sua monasteria cum omni inventario denuo pos-

(30) Sequentia verba comprobant, quod auctor animadversionum Metropolita Theodosius fuit: - « Ill. mus Smogorzewski *antecessor meus* in Polonia manens obtenta facultate a Gubernio Caesareo Leopoliensi, Leopolim in persona venit et Ill. mum Bielanski in Episcopum illius Dioec. praemisso Canonico processu consecravit »; *IBID.*, f. 230.

(31) « Metropolitanus Modernus, qui per successionem ius Metropolitanicum in Galliciae Episcopos obtinet, et illud variis in contingentibus exercebat, quae ex ratione iure suo spoliari potest, quod Augustissima etiam Imperatoria Romanorum Aula, occasione creandi Episcopi Premisliensis et Leopoliensis modernorum benigne recognovit. Multum ille pro S. Unione et obedientia S. Sedi Apostolicae perpersus est, ad quae si etiam hoc iure privaretur, et hierarchiam, quae ad sua tempora integra permansit, dismembrari et diminui in Catholico quoque Imperio pati cogeretur, infeliciorem se Antecessoribus suis et in demeritum haec accidi existimare deberet »; *APF, Scritt. rif. n. Congr., MPR*, vol. 18, f. 236v.

(32) Metropolita Theodosius Rostockyj, ut suo loco dictum est, tempore Catharine II, ob decretum anno 1795 emanatum, facultate ad suam Archidioecesim redeundi destitutus fuit et Romae vel Petropoli in posterum commorare obligabatur. Ipse vero hanc ultimam civitatem elegit.

sidere possent. Metropolita vero sua sponte vel ita disponente S. Congregatione de Propaganda Fide, cum scitu Imperatoris Moscoviae, Coadiutorem cum futura successione tam in temporalibus quam spiritualibus sibi procurare debebit. Hierarchia vero ucraina, iuxta antiquam praxim, in omnibus ritus sui necessitatibus ut non a Stanislao Siestrzencewicz, Metropolita Mohiloviensi Latinorum (33), sed a proprii ritus Metropolita, Theodosio nempe Rostockyj immediate dependeat.

Instabatur quoque, ne absque ad S. Sedem recursu Metropolita latinus eiusque Suffraganei saeculares et monachos ad suum ritum admitterent (34) et ut uniti a dissidentibus molestiis non afficerentur (35). Hierarchia Haliciensis conscia sibi erat difficultatum, modo speciali ex conaminibus factis tam apud Paulum I quam apud Alexandrum I, restituendi antiquam Metropoliam Kioviensem, ob quae Metropolita restorationi Metropoliae Haliciensis semper contrarius erat. Ex alia parte titulus Metropolitae Kioviensis religioni dominantis, scilicet disunitorum, reservatus fuit, catholicos ucrainos autem Metropolitae latino vel disunito submittere studium omne movebatur.

His de causis S. Congregationi de Propaganda Fide, in casu quo pertractions S. Sedis cum Moscovia impossibiles evaderent, propositum fuit, ut Divinae Providentiae ucrainos unitos in Imperio Moscoviae relictis, nova Metropolia eorum in Dominio Austriae formaretur, quemadmodum iam Episcopi Halicienses Franciscum II, Romanorum Imperatorem, rogaverunt et S. Congregationi de Propaganda Fide per Procuratorem Generalem in Urbe supplicarunt et sic Unio Ecclesiae Ucrainae totaliter non destrueretur (36). Romanus vero Pontifex Pius VII instantias Hierarchiae Haliciensis oppositionemque Metropolitae Kioviensis considerans, « Memoriam », probabiliter, per suum Legatum Thomam Arezzo Petropolim misit, in qua de restoratione Metropoliae Kioviensis secundum supra relatum rogationem Procuratoris Generalis Jordani Mickievycz tractatur (37).

(33) AMMANN A. M., o. c., p. 385.

(34) Siestrzencewicz latinisationem larga manu propugnabat simulque presbyteros ucrainos, qui apud ipsum auxilium contra oppressiones non unitorum quaerebant, ad usum in S. Missa pani azymi et pronuntiationem in lingua latina verborum consecrationis obligabat; in ceteris liturgia S. Chrysostomi permittebatur.

(35) Sub numero octavo legimus: « Ut ... Uniti ab Episcopis, Parochis et Monachis Religionis Dominantis respectu exercendi Ritus sui Catholici non molestentur, nec per (vim) ad Parochias introductorum Disunitorum Episcoporum pertrahantur, sed ut iisdem omnibus Privilegijs gaudeant, quibus gaudent et Latini Catholici »; APF, *Scrith. rif. n. Congr.*, MPR, vol. 18, f. 135v.

(36) APF, *Scrith. rif. n. Congr.* MPR, vol. 18, f. 136v.

(37) APF, *Scrith. rif. n. Congr.* MPR, vol. 18, f. 172-174v.

Ante suum in Moscoviam iter Legatus Thomas Arezzo instructionem, cuius finis principalis repristinatio Metropoliæ Kioviensis fuit, obtinuit (38). Hic omnem curam adhibere debebat, ut Kioviensis Metropolia reintegraretur, si non iam in persona Theodosii Rostockyj, saltem in persona alicuius ex Praelatis eiusdem ritus.

Anno 1803, ad mandatum Imperatoris Francisci II, apud Magistratum Caesareum Regium reordinatio dioecesium latini ritus pertractabatur. Hac occasione a Clero ritus latini propositum fuit Episcopos ucrainos Halicienses Episcopis latini ritus subordinandi, post vero eorundem decessum nullum alium Episcopum ucrainum catholicum constituendi, sed Clerum atque fideles latino loci Ordinario subiciendi. (39). Hoc occasionem dedit Episcopis Haliciensisibus ucrainis, die 12 Maii 1803 Leopoli congregatis, Vicarium Generalem Leopoliensem, Michaelem Harasievič, Viennam ad aulam Caesaream Regiam et Nuntium Sedis Apostolicae mittendi. Postea Episcopi (40) et Vicarius supradictus in vico Jaživ, apud parochum Strilbyckyj (41) congregati, decursu trium dierum ultimam revisionem « Memoriarum », quae Viennae tam Aulae Imperiali quam Nuntio Apostolico consignari debebant, perfecerunt. Quibus acceptis, Harasievič recte Viennam profectus est.

Die 15 Junii eiusdem anni in audientia apud Imperatorem Franciscum II habita, Harasievič primum inter desideria Episcoporum ucrainorum Haliciensium exposuit, ut nempe antiqua Metropolia Haliciensis restauraretur; deinde alia desideria, de quibus infra agemus, praesentavit. Quasi decursu unius mensis hac de re tractabat, quo tempore Nuntium Viennensem pluries adivit, eique brevem historiam Metropoliæ Haliciensis circumstantiarumque descriptionem necnon motivorum pro eiusdem restauratione pugnantium, ad Sedem Apostolicam transmittendam, die 11 Julii 1803 porrexit (42).

In dicta « promemoria », postquam summatim historiam Metropoliæ Haliciensis illustravit ac breviter de persecutione Ecclesiae Ucrainae in moscovitico

(38) ROUET DE JOURNAL M. J., o. c.; *Nonciature d'Arezzo*, P. I, p. 6.

(39) HARASIEWICZ M., o. c., p. 751; LEVYCKYJ J. EM., *Prykarpatska Rus' v XIX-m vitsi*, Leopoli 1888, t. I, p. 12.

(40) Convenerunt enim Episcopus Leopoliensis Nicolaus Skorodynskyj et Pere-myaliensis Antonius Anhelovyč. Cfr. HARASIEWICZ M., o. c., p. 770-771; LEVYCKYJ J. EM., *Prykar. Rus'* ..., p. 12-13.

(41) IBIDEM.

(42) HARASIEWICZ M., o. c., pp. 752, 753, 754-760; ASV, *Arch. Nunz. Vienna*, vol. 209, p. 6-8; APF, *Scritt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 18, p. 248-249v; LEVYCKYJ J. EM., o. c., p. 13; - Hoc quoque anno, die 20 Junii, Cancellariae Status similem « promemoria » Delegatus direxit, copiam autem memorialium Romam, Jordano Mickievyč pro informatione, die 15 Junii 1803 misit. Cfr. HARASIEWICZ M., o. c., p. 753.

Dominio necnon de difficili ad Metropolitam Kioviensem Hierarchiae Haliciensis recursu tractavit, necessitatem restaurationis Metropolitae Haliciensis in luce posuit, ubi, inter alia, sequentia habentur: « Interest sane et Episcoporum unitorum Galiciensium et totius Cleri ac populi rutheni S. R. Ecclesiae addictissimi, ut dum in partibus russicis Hierarchia ruthena unita jam est extincta, eadem in partibus Galiciae conservetur, et in locum suppressae Metropolitae Kyoviensis Unitorum Ruthenorum restauretur Metropolia pro unitis antiqua Haliciensis in Galicia, utque ex Episcopis unus Metropolitana dignitate gaudeat, illisque iuribus utatur, quibus hucusque Metropolitae Kiovienses et Halicienses usi sunt, quaeque illis Sacra Sedes tempore susceptae unionis, prout supra dictum est, in perpetuum reservaverat » (43). Secundum opinionem Harasievič, etiam Aula Caesarea in restaurationem Metropolitae Haliciensis inclinabat unumque ex viventibus Episcopis ad dignitatem metropolitanam elevare intendebat (44). Quapropter Episcopi Halicienses, mediante suo Delegato, intercessionem ad Sedem Apostolicam Nuntii Severoli humilime efflagitabant, ut negotium S. Unionis conservationi et propagationi maxime necessarium. Restaurationem Metropolitae Haliciensis, referente M. Harasievič, tam Clerus quam populus ucrainus catholicus Haliciensis exoptant; ideo ne conditionem suam in comparatione cum disunitis collimitaneis peiorem considerent, qui plena gaudent libertate et adsistentia Hierarchiae, suadentibus aliis etiam rationibus, instantiae eorum desideriisque omnino annuendum est necesse.

Praeter conservationem Unionis et Hierarchiae ucrainae in Halicia, ex hac restauratione etiam spes restabiliendi S. Unionem et Eparchias, in Dominio Moscoviensi suppressas, renovabitur; in casu vero contrario, de ulteriori sorte harum Ecclesiarum omnino desperandum. Altera ratio in necessitatem restaurationis Metropolitae Haliciensis ex eo deducebatur, quod disunitus Metropolita, Kioviae residens, tituloque « Kioviensis et Haliciensis » pollens, iurisdictionem spiritualem in Regno Haliciae, ubi maiori ex parte ucraini catholici commorabantur, sibi competere praetendebat. Huic autem praetensioni pro semper impedimentum poneretur, si in Halicia propria Metropolia Haliciensis restauraretur (45).

His omnibus visis, Nuntius Apostolicus Viennensis aliiue aliam moverunt difficultatem, existentiam nempe actualis Meropolitae Theodosii Rostockyj, qui titulo « Kioviensis et *Haliciensis* » fruebatur, quique consensum suum in

(43) ASV, *Arch. Nunz. Vienna*, vol. 209, f. 7v.; APF, *Scritt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 18, f. 249; HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 759.

(44) ASV, *Arch. Nunz. Vienna*, vol. 209, f. 8.; APF, *Scritt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 18, f. 249; HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 259.

(45) HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 760; ASV, *Arch. Nunz. Vienna*, vol. 209, f. 8.; APF, *Scritt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 18, f. 249.

hanc restaurationem semper negabat. Ideo Episcopi Halicienses simul ad Theodosium Rostockyj recursum iterum fecerunt expostulantes, ut ius suum in personam Porphyrii Važynskyj cederet. Nullo tamen recepto a Metropolita responso simulque obmota a Nuntio Severoli circa restaurationem Metropoliae Haliciensis difficultate cognita, die 26 Octobris 1803 Episcopus Peremysliensis Antonius Anhelovyč et Leopoliensis Nicolaus Skorodynskyj ad Metropolitam denuo litteras dederunt (46), quibus non iam totalem cessionem iuris a Metropolita in favorem Episcopi Cholmensis petebant, sed ut ob criticas circumstantias (47) sibi Coadiutorem Metropoliae in persona Porphyrii Važynskyj assumere dignaretur et hoc in sensu scriptam resolutionem daret (48), quam revera Metropolita die 16 Februarii 1804 dedit, quaeque ob conamina apud Imperatorem Moscoviae Alexandrum I pro restitutione Metropolitae Kioviensis facta, (49) negativa fuit. Metropolita sperabat novos ab Imperatore consequi favores pro Ecclesia Unita, quam ob causam etiam Episcopus Luceoriensis S. Levinskyj, vocatus, Petropolim venit (50). Inde, prudentia suadente, nihil se praeiudiciosum facere posse asseverabat (51).

Eodem tempore Hierarchia Haliciensis, mediante Delegato suo Michaelae Harasievič, instabat, ut apud Gubernium Haliciense sive commissio ecclesiastica, in qua persona ex ritu graeco assideret, constitueretur, sive saltem presbyter ucrainus in relatorem de rebus ecclesiasticis quoad Clerum et ritum graecum catholicum nominetur, cuius necessitas propter defectum cognitionis rerum ecclesiasticarum apud laicas personas urgebat, ad meliorem negotiorum ecclesiasticorum pertractationem. Si tamen defectus provisionis obstaret, tum negotium hoc aliquo ex membris alicuius Capituli, suam fundationem habenti, committendum expetebatur. Cognita tamen oppositione tum Imperatoris tum Aulae Caesareae, Hierarchia paratam se exhibuit de

(46) LEVYCKYJ J. EM., o. e., p. 13; HARASIEWICZ M., o. e., p. 753-754.

(47) Hierarchia latina, ut dictum est, Eparchias ucrainas in Halicia sibi subii-cere conabatur.

(48) Antequam litterae ad Metropolitam expedirentur, die 13 Septembris 1803 ab Episcopis Porphyrio Važynskyj et Nicolao Skorodynskyj Gubernatori Haliciae d'Urmenij petitum intuitu restaurationis Metropoliae Haliciensis et nominandi in Metropolitam unum ex tribus (Cholmensis, Peremysliensis, Leopoliensis) Episcopis exhibitum fuit. Die 1 Decembris eiusdem anni ab Episcopis Peremysliensi et Leopoliensi apud Maiestatem Caesaream instabatur, ut Metropolia Haliciensis restauraretur et Cholmensis Episcopus, « senior et meritis reliquos exsuperans », ut Caput eorum constitueretur; Cfr. HARASIEWICZ M., o. e., p. 754.

(49) ROUET DE JOURNAL M. J., o. e., *Nonciature d'Arezzo*, P. I, p. 719-720; P. II, (Romae 1927), p. 477.

(50) IBIDEM, P. I, pp. 514, 528; Cfr. TKDA, 1868 (III-IV), p. 134; LEVYCKYJ J. EM., o. e., p. 13.

(51) HARASIEWICZ M., o. e., p. 754; LEVYCKYJ J. EM., o. e., p. 13.

proprio huic relatori sustentationem procurare, donec talis sustentatio ex restauratis Capitulis obveniret.

Dictam declarationem Episcoporum in supplementum prioris petitionis, die 22 Iulii 1803, Imperatori Francisco II Delegatus Hierarchiae exhibuit, quae declaratio a Cancellaria Aulica Gubernatori d' Urmeni communicata dein fuit. Hic autem praeconceptam contra Clerum ucrainum opinionem habens (52), Aulae Caesareae anno 1803 propositionem exhibuit, ut Clerus ucrainus a participatione fundi religionis excluderetur nec in negotio relatoris ecclesiastici ex Clero ucraino seligendi favorabilis esse voluit. Exinde rem differebat procrastinabatque, ne sua opinio Viennam, tempore quo Michael Harasievič ibi commorabatur, perveniret. His de causis Hierarchia ucraina Haliciensis die 18 Octobris 1803 directe ad proprias manus Imperatoris Francisci II petitionem transmisit, ut pro eorum ritu proprius relator negotiorum constitueretur novaque motiva adduxit et demum die 1 Decembris 1803 iteratas preces praesentavit (53). Res proinde denuo ad Gubernium Haliciense dilata est, quod die 16 Martii 1804 ad Aulam Caesaream negativam responsionem dedit, ut potius nullus ecclesiasticus relator ex quocumque ritu constituatur. Attamen non obstante hac opinione iam die 30 Martii eiusdem anni Gubernator Haliciae relatores ecclesiasticum pro utroque ritu Andream Zeisl proposuit (54). Huic propositioni Aula Caesarea Regia annuit et ut Episcopis ucrainis satis fieret, pro negotiis ritum divinaque officia respicientibus commissionem apud Gubernium Haliciense, cum participatione Episcopi Leopoliensis aut eius Vicarii Generalis, instituit. Frustra contra hanc dispositionem Hierarchia Haliciensis protestabat ac pro ritu graeco-catholico proprium relatores expetebat (55).

Restaurationi Metropolitae Haliciensis, ut dictum est, Theodosius Rostockyj omnino opponebatur et ita conatus Episcoporum ucrainorum Haliciensium inanes semper fiebant. Interea Episcopus Cholmensis, Porphyrius Vžynskyj, die 9 Martii 1804 vita functus est (56), cui mox in via aeternitatis, die 25 Ianuarii 1805, Metropoli Theodosius Rostockyj sequutus est seriemque Metropolitae Kioviensium Haliciensiumque catholicorum concludit. Occasione hac arrepta, Peremysliensis et Leopoliensis Episcopi Imperatori Francisco II

(52) HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 765-766.

(53) IBIDEM.

(54) IBIDEM.

(55) HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 767-768.

(56) PETRUŠEVYČ A., *Kratkoje izvistiye o Cholmskoj eparchiji ...*, in « *Naukovyj sbornyk* » Leopoli, p. 58. 1867. Post mortem Porphyrii Vžynskyj Cholmensem Eparchiam Antonius Arhelovyč, Episcopus Peremysliensis, administrabat. LEVYCKYJ J. EM., *o. c.*, p. 13 et n. 3; cfr. PELESZ J., *o. c.*, II, 832.

supplicarunt, ut conformiter precibus, die 15 Junii 1803 per Delegatum ad-motis, Metropolia Haliciensis per intercessionem Imperialis Aulae apud Sedem Apostolicam restauraretur (57). Sed, hoc non obstante, novae difficultates ex nominatione Heraclii Lisowskyj in Metropolitam Ecclesiarum unitarum in Imperio Moscovitico abortae sunt, quae etiam hac vice omne conamen inane reddiderunt.

ART. 4. - ULTIMAE VACILLATIONES (1805 - 1807).

Theodosius Rostockyj, Metropolita Kioviensis Haliciensisque die 25 Januarii 1805 de vivis ad coelestia, anno 80 vitae suae, migravit. Haec mors Metropolitae Episcopos Halicienses (1) ad maiorem intensioremque activitatem pro Metropolitae Haliciensis restauratione stimulabat. Ad negotium hoc promovendum, Viennae duo Agentes, De Böhm et Jekel, constituti sunt (2). Nominati Agentes, post suam nominationem, apud Aulam Caesareo Regiam instantias fecerunt, ut negotium Metropolitae Haliciensis in considerationem resumeretur et Imperatori pro approbatione porrigeretur. Cum relator Aulicus de Dankesreiter, multis negotiis obrutus, nihil intuitu restorationis Metropolitae Haliciensis Imperatori Francisco II proponere potuit, primus Agens die 27 Martii 1805 suadebat, ut unus Episcoporum Viennam veniret negotiaque acceleraret. Cum iam die 23 Maii 1805 Leopoliensis Episcopus Nicolaus Skorodinskyj e vivis cedebat, in tota Halicia (3) unicus nonnisi Episcopus Peremysliensis Antonius Anhelovyč remansit, cui trium dioecesium incumberebat spiritualis regiminis onus. Hanc ob causam petitio Agentis desideratum effectum habere non potuit, quia Episcopus negotiis in tribus Eparchiis occupatus iter Viennense arripere non valuit. Attamen ne res inactiva maneret, A. Anhelovyč ad Viennensem Nuntium, comitem Severoli, litteras direxit, in quibus rogavit Nuntium, ut apud S. Congregationem de Propaganda Fide ac Aulam Imperialem instantias intuitu restorationis Metropolitae Haliciensis faceret. Post receptam litteram Antonii Anhelovyč Nuntius ad S. Congregationem petitionem de hoc negotio direxit.

Hoc quoque anno negotium de obtinendo relatore ucraino apud Gubernium Haliciense desideratum effectum haud habuit, cum mediante decreto

(57) HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 771.

(1) Hoc tempore solum duo Episcopi, post mortem (9 Martii 1804) Episcopi Cholmensis Porphyrii Vazynskyj, nempe Leopoliensis - Nicolaus Skorodinskyj et Peremysliensis - Antonius Anhelovyč, Hierarchiam Haliciensem constituebant.

(2) HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 771.

(3) Antonius Anhelovyč, Episcopus Peremysliensis, post mortem (9 Martii 1804) Cholmensis Episcopi Porphyrii Vazynskyj administrator praefatae Eparchiae fuit.

Aulico de 30 Aprilis 1805 haec dignitas Andreae Zeisl concedebatur. Nominatione praefati relatoris, ipsique etiam negotia ritum graecum catholicum spectantia concedendo, instantiae Episcoporum ucrainorum evanuerunt (4). Cum nominatione A. Zeisl in relatorem, negotium etiam restorationis Metropoliæ Haliciensis novum habuit impedimentum, cum in nominato relatore oppositorem restorationis Metropoliæ Haliciensis atque cleri saecularis ucraini obtinuit.

Cum vacatione Eparchiarum nova exoriebantur conamina utriusque, tam saecularis quam regularis, Cleri, ut ex suo gremio in Episcopos candidati eligerentur. Ex Basilianis pluries episcopalem dignitatem obtinere studuit Iulianus Sponring, Vicarius Generalis Peremysliensis, cui etiam supradictus Andreas Zeisl favebat, qui ad vacantes tam Leopoliensem quam Cholmensē Eparchias Basilianos promovere quam maxime studuit. (5)

Ex parte vero Episcopi Antonii Anhelovyč ac Cleri saecularis Imperatori Francisco II admotae sunt preces, ut orbatas Eparchias novis provideret Pastoribus. Aula Regia ex parte sua disposuit, ut mandatum propositionis candidatorum Peremysliensi Episcopo Antonio Anhelovyč, qua administratori in spiritualibus, pro opinione daretur. Gubernatoris Haliciae d' Urmenij (23 Iulii 1805) emanavit proinde decretum, ut sibi ex Clero ucraino viri, qui ad dignitatem episcopalem idonei essent, praesentarentur (6). Peremysliensis Episcopus ac insimul administrator Eparchiarum Leopoliensis et Cholmensis, suos candidatos Gubernatori Haliciae die 28 Octobris 1805 proposuit.

Ut iam diximus, occasione obitus Metropolitae Theodosii Rostockyj, ad instantiam Nuntii Apostolici Viennensis apud S. Congregationem de Propaganda Fide mota fuit denuo quaestio de creanda Metropoli Haliciensi. Quapropter die 13 Augusti 1805 a Jordano Mickievyč, OSBM, Procuratore Generali Romae residente, hac de re opinio requisita fuit, quam opinionem ille cum adnexis a Vicario Generali Leopoliensi, anno 1803 sibi duabus vicibus communicatis, memorialibus, S. Congregationi transmisit. In sua relatione, postquam conamina Hierarchiae Ucrainae Haliciensis pro restauratione Metropoliæ Haliciensis illustravit (7), S. Congregationem, nomine totius populi

(4) HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 774.

(5) *IBID.*, p. 775.

(6) *IBIDEM*.

(7) Asserebat enim, quod Episcopi ucraini Halicienses, considerando in Dominiis Moscoviae et Borussiae in dies maiora ac maiora detrimenta Unioni illata, anno 1803 per se ipsos et mediante Nuntio Apostolico Viennensi Imperatori Romano Francisco II supplicarunt, ut ipso instante a Sede Apostolica novus Metropolitae in Dominiis Caesareo Regiis institueretur. Si autem ad ipsum, ob leges politicas, ex extraneis Dominiis in negotiis spiritualibus, secundum antiquam consuetudinem, catholicis ucrainis recurrere illicitum esset, saltem ex omnibus Austriae Provinciis recursus permetteretur.

ucraini, necnon utriusque Cleri ucraini, rogabat, ut quam primum Caput Hierarchiae Ucrainae institueret.

Secundum antiquum morem ucrainorum, institutionem Metropolitae electio ipsius praecedere debebat, quae in conventu Episcoporum voto activo pollentium perfici debebat. Cum Episcopi ex diversis Dominiis ad hanc electionem perficiendam convenire non poterant, in ipso autem regno Haliciae unus Peremysliensis Episcopus aderat, Procurator supplicabat, ut prius pro Sedibus vacantibus, Leopoliensi et Cholmensi, Pastores constituerentur, dein tres congregati suum Caput eligerent (8).

His omnibus consideratis, S. Congregatio de Propaganda Fide die 31 Augusti 1805 (9) ad Nuntium Viennensem scribens restorationi Metropolitae Haliciensis annuit, attamen praefatam restorationem secundum opinionem J. Mickievyč OSBM ad effectum deducere voluit.

Recepta responsione S. Congregationis, Nuntius Viennensis binas Aulae Imperiali Regiae, sub 14 et 24 Octobris 1805, nomine S. Congregationis exhibuit notas (10), petendo, ut Metropolia Haliciensis restauraretur, et Metropolitae antiquus titulus «Haliciensis» assignaretur. Difficultas vero ex eo, quod unus Peremysliensis remansit Episcopus facile solvi potest, cum pro vacantibus Sedibus Episcopi nominari possint, qui postea reuniti suum Caput secundum proprium ritum eligere atque approbationem Sedis Apostolicae obtinere possunt. In nominatione autem Episcoporum S. Congregatio observationem Synodi Zasmotianae, ab Imperatore Francisco II, postulavit (11). Petitio autem S. Congregationis, probabiliter, ob ultimam clausulam (12) quoad nominationem Episcoporum bellaque napoleonica sine desiderato effectu remansit.

Post definitivam prope Austerlitz die 2 Decembris 1805 Napoleonis I super exercitus foederatorum reportatam victoriam, Viennae consultationes foederatorum populorum de novo ordine in Europa instaurando initium habuerunt

Cfr. *Scrirt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 18, f. 432; HARASIEWICZ M., o. c., p. 761-764.

(8) «... infrascriptus Procurator Generalis ... supplicat humillime Sacrae Congregationis de Propaganda Fide pro Instantia nova ad Aulam Viennensem, ut novus Candidatos Sedi Apostolicae sive ex Clero Saeculari, sive Regulari ... pro Episcopatu Chelmensi et Leopoliensi praesentet et ad declarandum unum ex tribus pro Archiepiscopo Metropolita Haliciensi consentiat»; *Scrirt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 18, f. 433.

(9) *Scrirt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 18, ff. 547, 548v.

(10) ASV, *Arch. Nunz. Vienna*, vol. 226, f. 136.

(11) *IBID.* f. 137.

(12) Nominatus articulus Synodi Zamostianae iam tempore regiminis Mariae Theresiae ac deinde Josephi II non obligans declaratus fuit et nunc Gubernium Austriacum eum totaliter invalidum reddere studuit. Cfr. HARASIEWICZ M., o. c., p. 802-803; Cfr. *IBID.*, p. 610.

et Possoniae die 22 Decembris eiusdem anni inita pace concludebantur. (12a) Quapropter negotia intuitu restorationis Metropoliæ Haliciensis nullum exitum habuerunt simulque dictae vicissitudines missioni in Dalmatiam Juliani Sponring, Vicarii Generalis Peremysliensis, posuerunt obicem causabantque eius Peremysliam reditum (13). Post pacem Possoniensem Clerus ucrainus Haliciensis tam Imperatorem quam Sedem Apostolicam iterum restorationis Metropoliæ Haliciensis causa adiit. Remisso tamen hoc negotio ad Gubernium Haliciense, res denuo in manus A. Zeisl, clero saeculari et restorationi Metropoliæ Haliciensis infensi, venit, qui ad partes suas Gubernium Haliciense pertraxit et die 21 Februarii 1806 in secreta sessione, semotis secretariis, suam adversam mentem contra candidatos ex clero saeculari pro vacantibus Eparchiis ab Antonio Anhelvyč indicatos revelavit. In dicta sessione A. Zeisl candidatos Episcopi Peremysliensis deprimebat, Basilianos autem extollebat eosque Imperatori pro Eparchiis vacantibus commendare studuit. In sua item Aulae Caesareae proposita relatione deducebat, quod tam pro Ecclesia quam pro civitate summe proficuum fore, si Episcopi ucraini Haliciae, sicuti Hungariae, metropolitanae iurisdictioni Archiepiscopi Leopoliensis ritus latini subiicerentur, ad maiorem unionem et concordiam Cleri utriusque ritus.

Huic sententiae, praeter A. Zeisl, quinque adhuc de gremio Gubernii accesserunt (14). Pluralitas autem votorum Gubernii cum Praesidio praefatae sententiae opponebatur et in opinione stetit, quod ad evitandas collisiones et querimonias Episcoporum ucrainorum Metropolitam e Clero ucraino ab Imperatore nominare necessarium erit. Nam hoc quoque Bulla Clementis PP. VIII « *Decet Romanum Pontificem* » propugnat, ubi specialia iura et praerogativae Metropolitis, ex eodem ritu et Natione, concessa sunt. In Sedem Metropolitanam Leopoliensis episcopalis Sedes proponebatur, cui praeficiendus Episcopus primo suam confirmationem et consecrationem a Sede Apostolica obtinere deberet, deinde eius elevatio ad Metropolitanam dignitatem sequeretur, qua obtenta, nominatos Episcopos, Cholmensem et Peremysliensem, ipse confirmaret.

In utraque propositione, sive Hierarchia Ucraina iurisdictioni latini Archiepiscopi subiiceretur, sive proprius Metropolita crearetur, promotio J. Spon-

(12a) *Enciclopedia Cattolica*, vol. III, Città del Vaticano, col. 1625.

(13) Sub finem anni 1804 (2 Decembris) supremo mandato regio J. Sponring, in directorem missionis in Dalmatia designatus, Viennam vocatus fuit, unde Peremysliam reversus est. Cfr. HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 774.

(14) Sequentes consiliarii Gubernii sententiae A. Zeisl consentiebant: Kohlmanhueber, Platzer, Comes Gairuk, Barond e Binder et Steipee. Cfr. HARASIEWICZ M., *o. c.* p. 777. PELESZ J., *o. c.*, t. II, p. 665.

ring ad Sedem Leopoliensem, in secunda vero etiam ad dignitatem metropolitanam, omnino intendebatur. Hanc promotionem hisce ex motivis urgebant, quod candidatus scientia atque actuositate in regenda dioecesi quam scholis pollet uniceque ad dirigendum Seminarium Leopopolitanum aptus sit (15). Pari modo pro Cholmensi Eparchia alius Basilianus, nomine Petrus Kozakievych, Vicarius Generalis Berestensis, proponebatur (16). Die vero 11 Aprilis 1806 super communicatis Gubernio Haliciensi notis Nuntii Viennensis, intuitu restorationis Metropoliæ Haliciensis promotionisque ad vacantes Sedes Episcoporum ex Ordine SBM, a Gubernio eo tendens opinio facta est, ut hae dignitates Basilianis conferrentur, quoad Metropoliam vero revocabatur Gubernium ad suam relationem de die 21 Februarii eiusdem anni.

Cum de his omnibus notitia ad Episcopum Antonium Anhelovych pervenit, iam die 15 Martii 1806 per suum Agentem in Aula Regia Caesarea repraesentabat, quam tortuosis viis propositiones pro vacantibus Sedibus fuerint factae. Directe Imperatori exponebatur necessitas, ut facta propositio revocaretur ac denuo in Commissione apud Gubernium adhibito Episcopo Administratore vacantium dioecesium, ventilaretur. Die autem 20 Aprilis proxima, nova expositio, documentis instructa, ex parte Cleri saecularis ad Suam Maiestatem Imperialem directa fuit. In dicta expositione petebatur, ut in promotione ad Eparchiam Leopoliensem Basilianis non daretur locus, imo ut Basiliani itidem Sedem S. Georgii Leopoli evacuant, ut a duobus annis apud Gubernium propositio regulandi Cleri archicathedralis haerens Imperatori substerni demanderetur ac in fine, ut J. Sponring ad Leopoliensem Eparchiam via praecluderetur. Die vero 20 Maii 1806 directe ad Suam Maiestatem Caesaream Regiam substernebatur separatim memoriale Cleri saecularis, ut a promotione ad Leopoliensem Episcopatum monachi excluderentur (17).

Hac vice conamina Cleri saecularis non caruerunt effectu, quia iam 17 Iulii 1806 negotium restorationis Metropoliæ Haliciensis a Cancellaria Aulica approbationem obtinuit, variis ducta rationibus.

Imprimis asserebatur, quod restauratio Metropoliæ Haliciensis ucrainorum tam sub respectu ecclesiastico quam politico summe proficua fore, quia influxui extraneorum ponet obicem. Per eam instantiis Cleri ucraini, a tot annis pluries repetitis et fundatis, satis fieret, eo magis, quod in praesenti tempore nullum obstaculum in restauratione praefatae Metropoliæ invenitur, cum Metropolita Theodosius Rostockyj mortuus et in eius locum nemo suffectus sit. Opinio autem ut Hierarchia Ucraina Leopoliensi Archiepiscopo

(15) HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 777.

(16) *IBID.* p. 777-778.

(17) *IBID.* p. 778-779,

latini ritus subiiceretur reicienda omnino est, cum tempore occupationis Regnorum Haliciae et Volodymyriae fidelibus ritus graeco-catholici, ibidem valde numerosis aequalis tutela et protectio ab Imperatore adpromitteretur. Sequendo opinionem minoritatis Gubernii Haliciensis non tantum tres Episcopi ucraini male contenti fierent, verum etiam Clero totoque populo ansa ad deserendam S. Unionem praeberetur. Imo, neque Sedes Apostolica parata esse videtur ad amplianda iura Archiepiscoporum Leopoliensium latini ritus, quae pro Metropolitae ucrainis tempore Unionis stipulata sunt, prouti ex contextu Bullae « *Decet Romanum Pontificem* », Clementis PP.VIII, necnon Nuntii Apostolici Viennensis colligi potest. Denique ipsum Gubernium Haliciense in suis anterioribus relationibus tale propositum nunquam manifestavit, contra, toties opinabatur, separatam in Halicia Metropoliam pro ucrainis restaurandam esse. Relate ad incorporationem Episcoporum transcarpaticarum regionum ad Haliciensem Metropoliam, iam prius ab Imperatore sit decisum (18).

Quoad loci pro nova Metropolia designationem, civitas Leopoliensis proponebatur; cum Halicia, antiquae Metropoliae Sedes, in circuitu Eparchiae Leopoliensis sita sit, ideo non de institutione, sed de restauratione antiquae Metropoliae revera agitur, quae circumstantia favorabilis sententiae Sedis Apostolicae in causa erat. Proponebatur quoque, ut novo Metropolitae summa 10000 florenorum, quae Episcopo Leopoliensis propria fuit, cum additamento 2000 fl. ex fundo religionis, donec bona Metropoliae Haliciensis a comitibus Skarbkie occupata restituerentur (19), assignaretur (20).

Relate ad personam Metropolitae Cancellaria Aulica proponebat, ut dignitas metropolitana non J. Sponring, sed potius Peremysliensi Episcopo, Antonio Anhelovyč, conferatur, quam propositionem variis argumentis comprobare studuit. Promotio enim ad metropolitanam dignitatem presbyteri, unico actuali Episcopo excepto, qui non tantum per 11 annos Eparchiam rexit, sed ad praesens etiam trium dioecesium administratorem agit, haud promerita et iniuriosa esset. Ipsum enim Gubernium Haliciense anno 1796 hac in re dedit sententiam, ut dignitas Metropolitae non simplici presbytero, sed uni ex actualibus Episcopis, inter quos etiam Antonius Anhelovyč erat, conferretur. In favorem autem nominati Episcopi etiam haec circumstantia pugnat, quod Leopoli adest Seminarium pro tribus Eparchiis, quod Episcopi Leopoliensis inspectioni subest, cui sane Anhelovyč, ut olim Rector Seminarii Generalis Leopolitani, aptissimus esset. Ideo ut unice pro metropolitana dignitate aptus

(18) Cfr. IBID., p. 580.

(19) Hoc vero et tempore de dictis bonis processus ducebatur.

(20) APF, *Scrirt. ref. n. Congr. MPR*, vol. 18, f. 592.

a Cancellaria Aulica consideratus, Imperatori commendabatur (21).

Secundum mentem Cancellariae Aulicae restaurationem Metropoliae Haliciensis provisio Eparchiarum Cholmensis et Peremysliensis praecedere deberet, sed ab Imperatore nominati candidati a futuro tantummodo Metropolita suam confirmationem consecrationemque obtinere deberent (22), quae sententia quasdam postulationes S. Congregationis de Propaganda Fide, a Nuntio Viennensi praefatae Aulae die 24 Octobris 1805 communicatas, in memoriam revocat.

Supra relata opinio in Consilio Status unanimiter approbata et ab Imperatore iuxta suum tenorem die 11 Septembris 1806 in toto confirmata fuit. In sequelam huius decisionis eodemque die ad Sedem Apostolicam expeditae fuerunt litterae, quibus Antonius Anhelovy^č Summo Pontifici Pio VII pro confirmatione praesentabatur atque petebatur, ut Romanus Pontifex Leopoliensem Ecclesiam ad metropolitaneam evehere dignaretur, episcopum autem eiusdem Ecclesiae pro futuris temporibus non solum dignitate verum etiam iuribus et privilegiis, quae per Bullam Clementis PP.VIII, de anno 1595, « *Decet Romanum Pontificem* », Haliciensi et Kioviensi Metropolitae concessa erant, benevole insignire eiusdemque metropolitanae iurisdictioni Peremysliensem et Cholmensem Episcopos universumque Haliciae Clerum et populum eiusdem ritus subordinare velit (23). Nominatio Peremysliensis et Cholmensis Episcoporum eo usque distuli proponebatur, donec nominatus Metropolita confirmationem a Sede Apostolica acciperet, a quo dein de candidatis competens informatio haberi posset.

Eodem fere tempore de negotio restaurationis Metropoliae Haliciensis ampla informatio Nuntii Apostolici Varsaviensis ad Secretariam Status pervenit, in qua, exposita intentione Gubernii moscoviensis Ecclesiam Ucrainam Catholicam destruendi, electionem successoris defuncti Mertopolitae Theodosii Rostockyj in Dominiis Moscoviae impossibilem affirmavit. In dispositione vero Aulae Imperialis Metropoliam Haliciensem restituendi, ad quam, secundum Nuntium, omnes ucraini catholici in Dominiis etiam Moscoviae et Borussiae commorantes in suis necessitatibus etiamsi secrete recurrere possent, Providentiam Divinam, quae nunquam deserat suam Ecclesiam, ipse videt. Ucraini catholici, prosequitur Nuntius, Regni Haliciae et Volodymyriae prius communicabant cum Metropolita Kioviensi Haliciensique, qui tamen nec Kioviae nec Haliciae, sed Radomysliae vel Vilnae residebat; ideo non tam de residentia vel antiquo titulo Metropolitae agitur, sed potius de restitutione Capitis et dignitatis metropolitanae, quod toto Corpori ucrainorum essentiale est. Metro-

(21) *IBID.*

(22) HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 779-781; PELESZ J., *o. c.*, t. II, p. 666-667.

(23) HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 781; PELESZ J., *o. c.*, t. II, p. 667; SOŁOWIJ M. M., *o. c.*, p. 243; APF, *Scrirt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 18, f. 592rv.

polita enim « godendo in vigore della disciplina, e costume della Chiesa Greca, nonchè per concessioni dè Sommi Pontefici una Giurisdizione estensissima, e maggiori prerogative dè Metropolitani Latini, *interessa moltissimo ad ogni Individuo Greco Unito che si conservi una simile dignità* tanto perchè gli è più comodo di ricorrere nè spirituali bisogni al Superiore locale, quanto perchè gli piace naturalmente la conservatione del decoro, e dè privilegi della propria religione » (24).

Contra autem timorem nonnullorum, quod restauratione Metropoliae Haliciensis Unio ucrainorum dissolvetur et status catholicorum in Moscovia peiorabitur, Nuntius clare affirmat: « Lunghi pertanto dal doversi temere ch'un Metropolita stabilito nelle Galizie faccia torto alla Santa Unione, sono anzi di parere che gli potrà essere vantaggiosissimo. Piacerà sicuramente a tutti i Greci Uniti »; in suppositione autem, quod tali in casu Gubernium moscoviticum suis subditis prohiberet recognitionem iurisdictionis novi Metropolitae, « lo stato di quei cattolici non diverrà peggiore, potendo essi continuare, come hanno fatto negli ultimi tempi, a ricorrere all'autorità Apostolica per provvedere ai loro particolari bisogni; e con tal mezzo intatta rimarrà sempre la Santa Unione » (25).

His praemissis, Nuntius solvit etiam dubium et dissipat timorem, ne restauratio Metropoliae displiceat Moscoviae, vel ne ipsum Gubernium moscoviense exequutioni huius programmatis, si de his omnibus ante tempus in cognitionem venisset, poneret obicem.

Supposita autem S. Congregationis de Propaganda Fide favorabili decisione, quasdam reflexiones adicere Nuntius opportunum esse censuit. Relate ad titulum antiquum: « *Metropolita Kioviensis Haliciensisque* », « crederei dunque a proposito che nel costituire il nuovo Metropolitano precedesse al titolo di Premislia o di altra Chiesa quello di Halicz, e venisse denominato »: « *Archiepiscopus Haliciensis et Premisliensis Metropolita Ruthenorum* » (26). Unde Moscovia, respectu Haliciensis tituli nihil obicere posset cum iste non in propriis, sed Austriae Dominiis invenitur. Hoc tamen modo in novo Metropolita successor quasi antiquorum Metropolitanarum indicaretur. Ad quem effectum Nuntius iurisdictionem praefati Metropolitae super omnes ucrainos extendere necessarium putavit. Quare textus Bullae prudenter parandus erit, ne, stricta petitione Aulae Caesareae Regiae in considerationem sumpta, iurdictio praefati Metropolitae ad solos ucrainos in Dominiis Austriae commorantibus restricta appareat (27).

(24) APF, *Scritt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 18, f. 439rv.

(25) *IBID.*, f. 439v-440.

(26) *IBID.*, f. 440v.

(27) « Il Governo Austriaco domanda il Metropolita per i Greci Cattolici dè proprj Stati; ma per ritrarne tutto il vantaggio possibile e farsi che la di Lui Giurisdizione

Quoad aliarum Sedium episcopalium provisionem, decisionem Synodi Zamostianae prae oculis habens, Basilianorum promotionem, variis argumentis probatam, consiliavit (28). Institutioni saecularium vero non opponebatur, sed, ut satis fieret decretis Synodi Zamostianae, ante eorum consecrationem vota religiosa in Ordine S. Basilii Magni ab eis emittenda proponebat.

Cum postulatio Imperialis Aulae pro restauratione Metropoliae Haliciensis ad Secretariam Status pervenerat, Cardinalis Casoni, Secretarius Status, litteram cum folio, in quo praefata instantia Gubernii Austriaci continebatur, ad Praefectum S. Congregationis de Propaganda Fide, Cardinalem Di Pietro, misit, ut omnia competenter examinarentur cum omni possibili diligentia, et, adiecta opinione S. Congregationis, ad Cardinalem Secretarium Status remitterentur (29).

Adiuncta ad litteras Cardinalis Casoni postulatio Imperialis Aulae variis argumentis probabatur. Ante omnia stetit thesis, quod ante Poloniae divisionem unus et quidem Kioviensis Haliciensisque existeret ucrainorum Metropolita, ad quem omnes Episcopi eiusdem Nationis et Bielarussiae pertinebant. Post divisionem vero Poloniae Metropolita pluresque Episcopi praeprimis Moscoviae subiecti fuerunt. In partibus autem ad Regem Borussiae spectantibus nullus inveniebatur Episcopus et nonnisi sub finem pontificatus Pii PP. VI Rex Borussiae erectionem Suprasliensis Eparchiae eiusque directam Sedi Apostolicae subiectionem a Romano Pontifice postulavit, et obtinuit (30).

In partibus ad Imperatorem Austriae spectantibus, tres inventi sunt Episcopi qui usque nunc Kioviensi Metropolitae Suffraganei erant. Cum autem Imperator Austriae non vult, ut praefati Episcopi Metropolitae Moscoviae commoranti subdantur, Suam Sanctitatem rogat, ut Leopoliensis Ecclesia ad metropolitanam dignitatem evehatur eique Cholmensis Peremysliensisque Ecclesiae in Suffraganeas deputentur. Insimul petit, ut Metropolitae praefatae Ecclesiae iura et privilegia Kioviensis Metropolitae quoad confirmationem Episcoporum suae Metropoliae (31) concedantur. Nominatus autem Metropolita, in omni Sedis vacatione, ab Imperatore Austriae nominari et a Sede Apostolica in solita forma confirmari debet, suos autem Suffraganeos ab Imperatore nominatos ipse Metropolita consecrare instituereque potest.

si estenda sopra tutti i Ruteni di quelle parti, sarà necessario di combinare giudiziosamente il tenore delle Bolle in modo che sembri aversi riguardo alla stretta petizione (e ciò per non dispiacere al Governo sudetto e per non comprometterlo colla Russia o colla Prussia); ma che nel tempo stesso la Giurisdizione del nuovo Metropolitano non apparisca ristretta ai soli Ruteni esistenti nè Stati Austriaci »; *IBID.*, f. 441.

(28) *IBID.*, f. 442rv.

(29) APF, *Scritt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 18. f. 485.

(30) *IBID.*, f. 486rv.

(31) *IBID.*, f. 487.

Pari tempore pro vacante Leopoliensi Eparchia Imperator Antonium Anhelovyč, Episcopum Peremysliensem, nominavit, ius sibi reservando alios Episcopos nominare, quos novus Metropolita canonice instituere debet (32). Si Sedes Apostolica hanc postulationem Imperatoris Austriae reiceret, variae possent oriri quaestiones in praeiudicium ucrainorum, qui manerent sine proprio Episcopo. Unde propter bonum spirituale animarum Sua Sanctitas huic postulationi benigne inclinare potest (33). Sed nec hac vice hoc laudabile propositum feliciter successit.

Dum enim negotium restaurationis Metropoliae Haliciensis separataeque ecclesiasticae provinciae (34) Viennae et Romae agitabatur, Moscoviae ab Alexandro I die 24 Iulii 1806 Praeses secundi departamenti Collegii Ecclesiastici Romani Catholici, Archiepiscopus nempe Polocensis Heraclius Lisowskyj in Metropolitam unitarum Ecclesiarum Russiae nominatus fuit (35). Licet Hieraclio Lisowskyj neque titulus Metropoliae Kioviensis, neque eo minus titulus Metropoliae Haliciensis adscribebatur eiusque iurisdictio ex edicto Alexandri I solummodo ad fideles unitos in Dominiis Moscoviae degentes restringebatur, osiores tamen Cleri ucraini, ad praepediendum Romae negotium restaurationis Metropoliae Haliciensis confirmationisque nominati Metropolitae Antonii Anhelovyč, cuius promotio iis non arridebat, hanc circumstantiam et eventum quasi simultaneam cum gaudio arripuerunt.

Dum Praefectus S. Congregationis de Propaganda Fide litteras a Secretaria Status obtentas sententiamque nominatae S. Congregationis super has litteras Secretario Status, Cardinali Casoni, non remittebat, ultimus denuo restitutionem litterarum a S. Congregatione petivit. Praefatae litterae autem non apud Praefectum S. Congregationis de Propaganda Fide, sed apud Card. L. Litta, qui negotia ucrainos spectantes optime novit, cum Petropoli pluribus annis munus Delegati Apostolici gerebat, inveniebantur. Quapropter Card. Di Pietro die 27 Ianuarii 1807 ad Card. L. Litta suas litteras direxit,

(32) *IBID.*, f. 487rv.

(33) *IBID.*, f. 487v.

(34) Cum tribus sedibus episcopalibus: Leopoliensi, Peremysliensi et Cholmensi.

(35) Nominatio Hieracii Lisowskyj in Metropolitam ita sonat: « Nous nommons très gracieusement le Président du second Departament du College Ecclesiastique Romain Catholique, l'Archevêque de Polock Eraclius Lissowski Métropolitain des Eglises Unies en Russie avec tous les privilèges et prérogatives qu'avait le Métropolitain Rostocki d'après les règles de l'Eglise Unie et les Bulles qu'ont été données dans les différents temps »; APF, *Scritt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 18, f. 564; AVAK, t. XVI, p. CXI. SOŁOWIJ M. M., *o. c.*, p. 234.; Cfr. SVIDERSKYJ L., *Joann Krassovskij, Polockij Unijatskij Archiepiscop*, Vitebsk 1911, p. 141.; THEINER A., *Die neuesten Zustände ...*, p. 326.; HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 773, 781-783.; LEVYCKYJ J. EM., *o. c.*, p. 15.

in quibus petivit, ut daret ipsi aliquam indicationem, quae Praefecto utilis esset pro responsione ad interrogationes Secretariae Status (36).

Interea Agens Aulae Imperialis Regiae Lebzeltern responsionem ad postulationes Imperatoris Austriae sibi extradere Secretariam Status urgebat; tandem die 8 Kalendas Martii Bulla restorationis Metropolitae Haliciensis exarata fuit (37).

Brevi post ad Praefectum S. Congregationis de Propaganda Fide ampla, undecim foliis constans, relatio super postulationibus Aulae Imperialis Regiae Card. L. Litta pervenerat, ex qua quaedam desumi opportunum esse duximus (37a).

Cardinalis Litta in sua relatione asserit, nominationem H. Lisowskyj in Metropolitam totaliter circumstantias immutasse, quapropter nunc commodum catholicae religionis et bonum S. Unionis canonicam H. Lisowskyj in metropolitana dignitate institutionem exigit. Aliter agere idem esset ac dissipare bonam spem sanctaque desideria Sedis Apostolicae, Ecclesiae Unitae, nominati Metropolitanae H. Lisowskyj et claudere hanc portam, quam Divina Providentia miraculose aperuit (38).

Exemplum Pii PP. II, qui anno 1458 Metropoliam Kioviensem in duas partes divisit, pro nunc inapplicabile manet, cum eo tempore Romanus Pontifex sanam partem, ut eam a corruptione schismatica salvaret, separavit, sed nunc non de schismatico Jona, sed de catholico legitimoque Archiepiscopo Polocensi agitur. Denique Pius PP. II schisma non fundavit, sed partem salvabilem Ecclesiae Ucrainae ab imminente periculo salvavit, Pius PP. VII autem « col suscitar un nuovo Metropolita in Galizia, cioè un rivale ed un emulo di Monsignor Lissowski, verrebbe ad organizzar con le proprie mani un nuovo scisma, che finora per misericordia di Dio non esiste punto nella Metropoli di tutta la Russia » (39).

Ex hoc patet, quod praesentes circumstantiae omnino diversae sunt ab illis, quae die 31 Augusti 1805 ad Nuntium Viennensem, intuitu restorationis Metropolitae Haliciensis, expositae fuerunt (40). Nam cum restoratione Metropolitae Haliciensis pessumdaretur proxima occasio restorationis Metropolitae Kioviensis, periculum schismatis immineret. Quapropter habentur fortes rationes, quibus Imperator Austriae Episcopique Halicienses ucraini

(36) APF, *Scritt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 18. f. 514.

(37) WELYKYJ A., *Documenta ...*, vol. II, N. 871, p. 319.

(37) a) Cardinalis L. Litta suam opinionem quoad restorationem Metropolitae Haliciensis die 16 Aprilis 1807 Praefecto S. Congregationis de Prop. Fide misit. Cfr. *Scritt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 18, f. 556rv.

(38) APF, *Scritt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 18, f. 564-565.

(39) IBIDEM, f. 566v.

(40) Cfr. p. 138.

persuaderi possunt de minus opportuna ad praesens eorum petitione (41).

Die 13 Martii 1807 Secretarius Status, Cardinalis Casoni, alia vice suas litteras ad Praefectum S. Congregationis de Propaganda Fide direxit, quibus exposuit, se hucusque intuitu restorationis Metropolitae Haliciensis a Sacra Congregatione nullam responsionem obtinuisse. Quapropter Cardinalis Casoni praefatum Praefectum rogavit, ut ipsi quam citius responsionem daret (42). Mense Aprili Cardinalis di Pietro, sententia Cardinalis L. Litta obtenta, suam opinionem de restauratione dictae Metropolitae exaravit atque Secretario Status misit.

Praefectus S. Congregationis de Propaganda Fide in suis litteris ad Secretarium Status asserit, se improvisis circumstantiis rerum ucrainarum praepeditum esse et sine consilio Cardinalium S. Congregationis de Propaganda Fide responsionem dare non posse. Ut autem instantiis Secretarii Status satisfaceret, suam opinionem de hoc negotio personalem dare opportunum esse duxit (43).

Expositionem suam Cardinalis Di Pietro a divisione Poloniae incipit, nam cum dicta Poloniae divisione ucraini inter tres status (Austria, Moscovia et Borussia) divisi sunt. Moscoviae, decreto Catharinae II, die 6 Septembris 1795, Metropolita Kioviensis et Haliciensis Theodosius Rostockyj atque eius Suffraganei omnino ab exercitio spiritualis atque temporalis auctoritatis impediti fuerunt, et saevissimae persecutiones ucrainorum catholicorum coeperunt, quae si perdurassent, Sedes Apostolica restaurationi Metropolitae Haliciensis aliena non esset. Cum tamen pro nunc praefata pericula cessarunt et ab Alexandro I emanavit decretum « col quale nomina Monsignor Arcivescovo di Polocia per Successore del defunto Metropolitano di Kiovia Monsignor Teodosio Rostocki, e fattosi luogo a provvedersi dalla S. Sede la vacante Metropoli di Kiovia in persona di Monsignor Eraclio Lissowski..., viene insieme a cessare qualunque motivo di prendere alcun nuovo temperamento » (44). Has suas considerationes Praefectus S. Congregationis de Propaganda Fide supremo iudicio Romani Pontificis Pii VII per Secretarium Status submittere opportunum esse censuit, quia nominatae considerationes « possono essere atte a far desistere la Imperial Corte di Vienna da ogni ulteriore premura » intuitu restorationis Metropolitae Haliciensis, ex quo Episcopi Haliciae « debbono parimenti esser contenti di mantenere la opportuna comunicazione coll'antico loro Metropolitano di Kiovia » (45).

(41) APF, *Scritt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 18, f. 567.

(42) *IBID.*, f. 543.

(43) *IBID.*, f. 551v.

(44) *IBID.*, f. 553v.

(45) *IBID.*, f. 554.

Deinde, opportunum esset, si copia responsionis, quae iussu Summi Pontificis Pii VII a Secretario Status Agenti Aulae Imperialis Austriae Lebzelterndaretur, ab eodem Secretario Status Nuntio Apostolico Viennensi etiam transmitteretur (46).

Non defuerunt Romae etiam aliae relationes eiusdem tenoris, unde nil mirum, si praevaluisset sententia, restaurationem Metropoliae Haliciensis iam non esse amplius necessariam neque opportunam. Non obstante restaurationis Metropoliae Haliciensis a Sede Apostolica confirmatione et personae ad eam nominatae approbatione Bullarumque decreta expeditione (47), eadem Sedes Apostolica ob adversam informationem praefatae restaurationi sese contraria declaravit, his praeseptim ex motivis: 1) nunquam apud ucrainos duae Metropoliae et duo Metropolitae aderant; 2) iam ab Imperatore Alexandro I Archiepiscopus Polocensis H. Lisowskyj in Metropolitam nominatus sit; 3) Leopoli Metropolita ritus latini existit, consuetum autem est, ne in eadem provincia et civitate duo Metropolitae instituantur; 4) monachi Basiliani eorumque Protoarchimandrita restauratione Metropoliae Haliciensis offenderentur (48).

Haec negativa sententia Sedis Apostolicae medio Secretariae Status Cancellariae Aulicae communicata fuit, quae die 13 Iulii 1807 a Gubernio Haliciensi, et die 3 Iulii 1807 a Metropolita A. Anhelovyč dilucidationem obiectionum Sedis Apostolicae expostulavit.

Jussu nominati Metropolitae a Leopoliensi Generali Vicario M. Harasievič, die 27 Iulii 1807, innixa documentis dissertatio de Metropolia Haliciensi a Kioviensi quondam distincta, iniuria tamen temporum extincta et Kioviensi unita, deque chronologia Metropolitanarum Haliciensium exarata fuit, cui sequuta est in brevi expositio de Protoarchimandritae Basilianorum ad Ordinem et Metropolitam relatione et responsiones ad interrogationes Gubernii, omniaque a Metropolita A. Anhelovyč Viennam missa sunt (49). Simultaneae privatis litteris ministro externorum negotiorum, Comiti Stadion, tota res uberius exposita fuit ac obiectiones contra restaurationem Metropoliae Haliciensis solutae.

Secundum testem ocularem, Leopoliensem Vicarium Generalem, litteris ad Comitem Stadion missis adiunctum est, quod tota haec oppositio «ab insinuationibus Basilianorum factis, quos referens Zeisl protegit, et ad Ep.patus promovere vult, provenit, ad quos iidem monachi exclusivum ius praetendunt, habentes se pro Ordine praelatico, qui Ep.pos super se non agnoscunt, et exemptionem quaerunt » (50).

(46) *IBID.*, f. 554v.

(47) Bullae quidem iam 8 Kalendas Martii et 17 Kalendas Aprilis 1807 exaratae sunt, attamen solum post annum (25. IX. 1808) promulgatae.

(48) HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 782; PELESZ J., *o. c.*, t. II, p. 668.

(49) PELESZ J., *o. c.*, t. II, p. 668; Cfr. LEVYCKYJ J. Em., *o. c.*, p. 15.

(50) HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 783; - Censemus autem quod Basiliani restaurationi

Obtenta responsione Antonii Anhelovyč ad obiectiones contra restaurationem metropoliae Haliciensis, Cancellaria Aulica fortissimam instantiam Romam misit, qua, refutatis obiectionibus, Metropoliae atque nominati Metropolitae approbationem urgebat eo vel magis, quod ipsa Sedes Apostolica praevis restorationem praefatae Metropoliae postulaverat.

Resumptis Romae denuo a ministro Lebzeltern negotiis, S. Congregatio de Propaganda Fide novam solutionem rei Sedi Apostolicae proposuit. Sedes Apostolica, media Secretaria Status ad Aulam Imperialem Regiam litteras misit, in quibus proponebatur, ut Halicienses Episcopi a nexu Metropoliae Kioviensis separarentur ac immediate Romanae Sedi subordinarentur, ut ita restauratio Metropoliae Haliciensis iam non esset amplius necessaria. Sed ne quidem huic propositioni Gubernium Austriacum consentire voluit et denuo pro restauratione praefatae Metropoliae instabat (51).

Secretarius Status, ut rem ad finem deduceret, a Praefecto S. Congregationis de Propaganda Fide transmissionem sibi omnium chartarum, restaurationem praefatae Metropoliae spectantium, postulavit, quibus examinatis, in sententiam venit, quod praesens Aulae Imperialis Austriae instantia nihil novi est, cum ipsa S. Congregatio de Propaganda Fide die 31 Augusti 1805 Nuntio Apostolico Viennensi respondens, expresse proposito erigendi Metropoliam Haliciensem faventem se declaravit (52). De hac dispositione S. Congregationis Nuntius Apostolicus Viennensis Aulam Caesaream Regiam informavit, unde nihil mirum, quod praefata Aula de benigna dispositione Sedis Apostolicae quoad restaurationem Metropoliae Haliciensis persuasa, responsionem definitivam per suum ministrum Lebzeltern urget. Praeterea in favorem restorationis Metropoliae Haliciensis sententiae tam Joannis Antonii Benvenuti (53) quam Procuratoris Generalis Basilianorum, Jordani Mickievič (54), habentur. Institutio quidem unius Metropolitae conservari potuit atque debuit quando

Metropoliae Haliciensis usque ad nominationem Hieracii Lisowskyj in Metropoliam non opponebantur, cum eorum Procurator Generalis, J. Mickievič, Romae residens, in sua relatione ad S. Congr. de Prop. Fide necessitatem praefatae restorationis sustinebat. Non ita fuit quoad nominationem candidatorum pro vacantibus Eparchiis ex clero saeculari. Basiliani, Synodum Zamostianam secum habentes, ex suo gremio candidatos ad dictas dignitates promovere conabantur. Post vero H. Lisowskyj in Metropolitam nominationem, restorationi Metropoliae Haliciensis sese opponere potuerunt quidem, cum a dicto Metropolita, membro sui Ordinis, observantiam decreti Zamostiani sibi faventis sperabant. Hanc suppositionem confirmare videtur obiectio, quae ita sonat: « Monachi Basiliani et eorum Protoarchimandrita perinde offenderentur »; HARASIEWICZ M., o. c., p. 782.

(51) HARASIEWICZ M., o. c., p. 783; SOŁOWIJ M. M., o. c., p. 224.

(52) APF, *Scritt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 18, f. 547.

(53) Monsignor I. A. Benvenuti Delegacioni Pontificiae Petropoli operam praestabat.

(54) APF, *Scritt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 18, f. 547.

Hierarchia Ucraina in Dominiis unius Status inveniebatur, sed, inter varios Status divisa, nescitur utrum de praefato Metropolita idem sentire potest. Contrarium nempe probat erectio in Dominiis Borussiae novi Episcopatus, qui immediate Sedi Apostolicae subditus est (55).

In chartis autem, quas Card. Casoni ad Praefectum S. Congregationis de Propaganda Fide remisit, modus erectionis Metropoliae Haliciensis indicabatur, scilicet, quod non de erectione, sed de restauratione antiquae Haliciensis Metropoliae agitur (56), ad quam novum quoddam consilium Cardinalium S. Congregationis de Propaganda Fide non est necessarium, cum iam die 31 Augusti 1805. in littera ad Nuntium Apostolicum Viennensem, postulationi huic et instantiae S. Congregatio annuit, et nisi sibi contradicere vellet, consilium Cardinalium dictae S. Congregationis hic et nunc solum de condicionibus in restauratione Metropoliae Haliciensis exhibitis agere potest. De hoc statu rerum Praefectus S. Congregationis de Propaganda Fide tam Card. Antonelli quam Card. Litta certiores reddere debuit (57).

Uti iam innumimus, a nominatione Archiepiscopi Polocensis Hieracii Lisovskyj (24 Julii 1806) in Metropolitam pro unitis in Dominiis Moscoviae, Romae spes revixit restaurandi Metropoliam Kioviensem Haliciensemque, quae tamen ob varias difficultates peracta non fuit, ansamque dedit auctoribus in diversas abire opiniones. Novissimus solum auctor, M. Solovij, in pluries iam a nobis citato opere (58) directe de restauratione dictae Metropoliae tractat, dum alii auctores obiter tantummodo de re loquuntur atque severa iudicia de persona Hieracii Lisovskyj proferunt (59). Contra hos auctores, qui H. Lisovskyj accusant, M. Solovij etiamsi plura documentis fundata affert, quoad difficultates tamen ob quas restauratio dictae Metropoliae nullum effectum habuit non sat fundatum iudicium protulit.

Secundum opinionem M. Solovij H. Lisovskyj in dignitate Metropolitae Kioviensis Haliciensisque a Sede Apostolica confirmatus non fuit tum ob erec-

(55) «Conosco bensì, che questo stabilimento di un solo Metropolitano doveva, e poteva osservarsi quando tutta la Polonia era interamente soggetta ad uno stesso Dominio; ma ora, che la Polonia è divisa in più Dominj, mi è ignoto se debba, e possa continuare a praticarsi uquale sistema; essendomi noto d'altronde, che i Greci Ruteni della Polonia Prussiana, non possono più dirsi dipendenti da alcun Metropolitano Ruteno; essendosi nella Polonia Prussiana eretto un Vescovado Ruteno, non soggetto ad alcun Metropolitano, ma soggetto immediatamente alla Sede Apostolica»; APF, *Scritt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 18, f. 548rv.

(56) IBIDEM.

(57) IBID., f. 549v.

(58) SOLOWIJ M. M., *o. c.*, p. 228-248.

(59) HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 785; LIKOWSKI E., *Dzieje ...*, t. II, p. 24; BOUDOU A., *Le Saint-Siege et la Russie (1814-1847)*, t. I, Paris 1922, p. 153; GATTI-KOROLEVSKIJ, *I Riti e le Chiese Orientali*, t. I, Genova 1942, p. 1640; SOLOWIJ M. M., *o. c.*, p. 245-246.

tionem Metropoliæ Haliciensis tum ob defectum postulationis apud Sedem Apostolicam ab Imperatore Moscoviæ Alexandro I pro H. Lisovskyj confirmatione (60). Huic opinioni adstipulari non possumus, cum prae manibus documentum habemus quod, probabiliter, nominatum auctorem latebat, ex quo documento fundamentalem rationem non confirmationis H. Lisovskyj in metropolitana dignitate probare studebimus. Hoc documentum ob litteras Nuntii Viennensis ad Legatum Moscoviensem Viennae residentem missas exaratum est.

In nominatis litteris Nuntius Apostolicus Viennensis, Comes Severoli, asserebat, quod ob defectum postulationis ex parte Imperatoris Moscoviæ H. Lisovskyj hucusque in metropolitana dignitate a Sede Apostolica approbatus non est et haec approbatio adhuc obtineri potest, si Imperator eum a Sede Apostolica postularet (61).

Cum de his omnibus Praefectus S. Congregationis de Propaganda Fide, Card. di Pietro, notitiam obtinuit, die 6 Aprilis 1808 Secretariam Status certiore fecerat atque haec verba adiunxit: « L'una e l'altra di simili *espressioni usate da Monsignor Nuntio appariscono affatto contrarie* alla Massima di non ricognoscersi qui alcun diritto o privilegio de' Sovrani Protestanti a nominare Vescovi di Chiese Cattoliche, e di non far dipendere la provista de' Vescovadi Cattolici dalle istanze dei medesimi Sovrani Protestanti » (62). Nuntio autem, qui iam suas litteras revocare non potuit, facta est repraehensio atque in futuris similibus casibus modus agendi indicabatur.

Nolumus affirmare, a M. Solowij nominatas causas in denegatione confirmationis H. Lisovskyj in metropolitana dignitate effectu caruisse, sed solum, expressam responsionem Sedis Apostolicae habentes, non haesitamus asserere, eas fundamentalem rationem denegationis praefatae confirmationis non constituisse. Vicissitudines a M. Solowij enumeratae solummodo causas secundarias fuisse, quibus etiam aliae causae secundariae adiungi possunt, causa vero primaria alibi quaeri debet.

(60) SOLOWIJ M. M., *o. c.*, p. 244-245.

(61) «Par cette disposition le S. Père bien loin d'ôter à l'Archêvêque de Kiovie, qui portoit autrefois le Titre aussi d'Haliez, aucune de ses prérogatives, ni des prérogatives de sa Métropole dans l'Empire des Russies, non seulement il veut qu'elles restent intactes dans le dit Empire, mais il est prêt aussi de le confirmer à l'occasion de donner l'Institution Canonique au nouveau Archêvêque de Kiovie, qui est déjà désigné par S. M. l'Empereur de Russie dans la Personne de Monsig. Poloskowski (sic) et qui obtiendra infailliblement du S.te Siège Apostolique cette Institution aussitôt que l'Auguste Cour de Russie en fera l'instance »; ASV, *Germania*, vol. 704, sub die 6 Aprilis 1808.

(62) *IBIDEM*.

Ultimis enim tandem mensibus anni 1807 S. Congregatio de Propaganda Fide, ob noviter exortas pertractationes de restauratione Metropolitae Haliciensis, negotiis dictae Metropolitae occupabatur. Die 23 Septembris 1807 Praefectus S. Congregationis ad Cardinalem Casoni litteras misit, quibus de restauratione Metropolitae Haliciensis favorem sententiam dedit (63), petendo, ut in compositione Bullae erectionis Metropolitae Haliciensis duae clausulae, hoc est: conservatio Synodi Zamostianae et renuntiatio iurium H. Lisovskyj ad Metropoliam Haliciensem adiungantur. Romanus Pontifex hanc sententiam S. Congregationis in toto approbavit.

Ideo Secretarius Status Ministrum Gubernii Austriae certiore reddidit, Summum Pontificem petitioni Aulae Caesariae Regiae pro restauratione Metropolitae Haliciensis annuisse. Brevi post etiam ad Nuntium Apostolicum Viennensem scriptum est, ut processum canonicum pro Antonio Anhelovyč conficeret. Nuntius autem, ex ignotis nobis causis, rem longe protrahebat; Romae vero Minister Lebzelter, cum de assensu Romani Pontificis pro restauratione Metropolitae certus factus esset, extraditionem Bullarum urgebat. Qua de re Romae processus canonicus cum Procuratore Generali Basilianorum, Jordano Mickiewyč, peractus fuit (64) atque, non exspectata Nuntii Apostolici Viennensis responsione, Bulla restorationis Metropolitae Haliciensis aliaque documenta mense Maio 1808 Viennam expedita sunt. Dictae Bullae, etiamsi inde a primis mensibus anni 1807 exaratae erant, tamen ob influxum adversariorum solum mense Maio 1808 Viennam transmissae fuerunt (65).

ART. 5. — BULLA RESTAURATIONIS.

Bullae, quae occasione restorationis Metropolitanae Haliciensis ad neoelectum Haliciensem Metropolitam, Antonium Anhelovyč, missae sunt, personam Nominati, pallium professionemque fidei, necnon iuramentum fidelitatis respiciebant. Bulla autem institutionis Metropolitae Haliciensis, quae incipit: « *In universalis Ecclesiae regimine* » (1), binas clausulas continebat. In prima clausula committebatur mandabaturque Nuntio Apostolico Viennensi, ut sive per se sive per aliam personam ecclesiasticam, ab eo ad hoc specialiter subdelegatam, Hieracium Lisovskyj, Administratorem Metropolitae

(63) APF, *Scritt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 18, f. 591rv.

(64) HARASIEWICZ M., o. c., p. 785.

(65) SOŁOWIJ M. M., o. c., p. 244; HARASIEWICZ M., o. c., p. 783-784; PELESZ J., o. c., t. II, p. 668.

(1) WELYKYJ A., *Documenta ...*, vol. II, N. 871, p. 312sq.

Kioviensis, de hac dispositione certior fieret, ut hic sponte iuribus quoad Metropoliā Haliciensem resignaret. In secunda vero clausula observatio omnium singularumque praescriptionum Synodi Zamostianae praescriberetur (2). Primum punctum harum praescriptionum Synodi Zamostianae erat nominatio Episcoporum ex Ordine Basilianorum vel ex Clero saeculari, qui ad professionem monasticam obligabantur (3). Gubernium autem Austriacum, ob sua principia abolendi omnem influxum extraneorum, atque ob praefatas clausulas tenori Bullae opponebatur.

Principalis tamen causa oppositionis Gubernii Austriaci clausula erat, secundum quam ad episcopalem dignitatem solummodo monachi Basiliani vel saeculares presbyteri, qui professionem monasticam emittunt promoveri possunt. Hic Synodi Zamostianae articulus iam tempore regiminis Mariae Theresiae et postea sub Francisco II, uti Eparchias Haliciae non obligans declaratus fuit. Nunc vero Gubernium Austriae eum totaliter irritum declarare studuit. Consequenter, ob dictas clausulas, Bullae restorationis Metropolitae Haliciensis « placet regium » denegabatur ac Cancellaria ministerii externorum negotiorum praefatam Bullam ad revisionem Romam mittere decrevit (4). Omnia vero, quae Nuntio Viennensi quoad correspondentiam cum Administratore Metropolitae Kioviensis committebantur, Gubernium Austriacum Archiepiscopo Leopoliensi latini ritus Kicki committi statuit. Inter haec, die 24 Martii 1808, ex Aula Caesarea Regia expediebantur litterae ad Metropolitam Haliciensem A. Anhelovyč, ut se Nuntio Apostolico Viennensi, qui iussu Sedis Apostolicae processum canonicum instituere debebat, insinueret. Metropolita vero Vicarium Generalem Leopoliensem, Michaelē Harasiewič, cum plenipotētia Viennam misit, ut is omnem intuitu restorationis Metropolitae Haliciensis operam daret.

Plenipotens Metropolitae Haliciensis primis diebus Maii Viennam veniens notitiam accepit, processum canonicum ante expeditionem Bullarum, uti superius dictum est, Romae cum Procuratore Generali Basilianorum peractum iam fuisse. Jordanus Mickievič tamquam mandatarius, etiamsi, secundum testimonium Vicarii Generalis Leopoliensis, talis constitutus non fuit, nomine

(2) « Volumus etiam quod omnia et singula, quae statuta fuerunt in laudata Zamostiae Synodo per Apostolicam Sedem confirmata, nunc et in posterum a Leopoliensi et Haliciensi Metropolita atque ab Episcopis Kelmensi et Premisliensi et ab universa Natione Ruthena observantur, firmis et in suo robore semper mansuris Apostolicis constitutionibus et Conciliorum Generalium decretis super Ritibus Graecorum emanatis ... »; WELYKYJ A., *Documenta* ..., vol. II, N. 871, p. 318.

(3) HARASIEWICZ M., o. c., p. 784; PELESZ J., o. c., t. II, p. 669. Cfr. SOŁOWIJ M. M., o. c., p. 244; LELYCKYJ J. EM., o. c., p. 15.

(4) PELESZ J., o. c., t. II, p. 669 HARASIEWICZ M., o. c., p. 784; LEVYCKYJ J. EM., o. c., p. 15.

nominati Metropolitae A. Anhelovyč, extraditionem pallii petivit, quod pallium, semper secundum testimonium praefati Vicarii, a Metropolita nunquam quaerebatur (5). Plenipotentarius Hierarchiae Haliciensis etiamsi insertioni in Bullas clausularum contrarius erat, Viennae omnem conatum adhibere debuit, ne Bulla restorationis Metropolitae Haliciensis pro correctione Romam remitteretur, cum Sedes Apostolica, male informata, desideriis Aulae Caesareo Regiae suum consensum denegare et tali modo negotium in longum protrahere potuisset. In casu etiam quod Sedes Apostolica desideriis Aulae consensisset atque loco Nuntii Apostolici Viennensis Leopoliensi Archiepiscopo latini ritus supra dictum negotium commisisset, timendum erat, ne idem Archiepiscopus non solum relate ad renuntiationem iurium Administratoris Kioviensis nihil fecisset, sed etiam iurisdictionem metropolitanam super Episcopatu Haliciae sibitribuendam esse ne iterum instaret (6), et ita totum negotium omnino impediret (7).

Quapropter M. Harasievič apud quasdam personas in Cancellaria Status, quibus Bullae Romam remissio committebatur, insistebat, ne Bulla Romam remitteretur. Ipse enim, collatis cum Nuntio Viennensi consiliis, die 5 Iulii 1808 ministerio externorum negotiorum promemoriā dedit, se Nuntio Apostolico exposuisse, « assensum Hieracii Lissowski ad restorationem Metropolitae Haliciensis non esse necessarium, cum neque pro Galicia nominatus neque a Sede Romana confirmatus, titulo Haliciensis Metropolitae utatur » (8), ideo « non esse hic locum alicuius renuntiationis Metropolitae Lissowski » (9). Restauratio Metropolitae Haliciensis, prosequitur, solum ad Sedem Apostolicam et Imperatorem pertinet, quare sibi a Nuntio data est assicuratō, quod hunc in finem Heraclio Lisovskyj a Sede Apostolica solummodo notificatio daretur et ita tota res finem habebit. Similiter Nuntius Apostolicus, a Delegato informatus, paratum se monstravit, negotium quam primum finiendi ac, anterioribus iussis Sedis Apostolicae satisfaciens, litteras ad H. Lisovskyj exaravit, expostulando ab ipso renuntiationem suorum iurium quoad Haliciensem Metropoliam. Supra nominatus Delegatus tamen Nuntio demonstravit, quod petitio cessionis iurium a H. Lisovskyj ullo caret fundamento, cum ille solum pro unitis in Dominiis Moscoviae residentibus ab Impera-

(5) HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 785.

(6) Ibidem.

(7) Revera anno 1809 Cholmensis Eparchia magnaue pars dioeceseos Leopoliensis, in districtu Tarnopoliensi et Zaliŕcensi, ab Austria avulsa simulque Pius PP. VII die 6 Junii 1809 Roma abductus fuit.

(8) HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 786.

(9) IBID., p. 785; PEŁESZ J., *o. c.*, t. II, p. 670; Cfr. LEVYCKYJ J. EM., *o. c.*, p. 17, SOŁOWIJ M. M., *o. c.*, p. 244.

tore Alexandro I nominatus sit. Michael Harasievič rogavit quoque Nuntium Viennensem, ut S. Congregationi de Propaganda Fide totum hunc verum statum notificaret, et revera Nuntius S. Congregationi notificavit, quod quaecumque renuntiatio ex parte H. Lisovskyj quoad Metropoliam Haliciensem est superflua (10).

Aula Caesareo Regia item Imperatori repraesentavit, quod retromissio Bullae Romam supervacanea esset, cum solum clausulis « placet regium » denegari posset, secus in annos hoc negotium protraheretur (11). Delegatus vero, absente Imperatore, Archiduci Reinero, qui partes Imperatoris agebat, die 3 Augusti 1808 rem totam exposuit ac « placet regium » super Bullam atque Caesareo Regium Diploma super restauratione Metropoli Haliciensis exposulavit. Tandem placetum regium super Bulla restorationis, exclusis Synodo Zamostiana renuntiationeque iurium H. Lisovskyj, quam etiam approbatio conceptus nominati Diplomatis die 11 Augusti 1808 emanavit (12).

In praefato diplomate legimus: « Nos ad splendorem Ecclesiae Catholicae promovendum paternumque Nostrum affectum erga clerum et populum ritus graeco catholici in regnis Nostris haereditariis Galiciae et Lodomeriae degentem commonstrandum constituisse Metropolitanam dignitatem, quae olim Haliczii extiterat, per temporum vero vicissitudines abolita est, restituere, eamque cum Episcopatu Leopoliensi conjungere. Quapropter consentiente in id Summo Pontifice SS. Papa Pio VII erigimus, et augmento dotationis decretis Nostris statuto ornamus Episcopatum Leopoliensem ritus graeco catholici in Metropolitanam sedem titulo: Ecclesiae Metropolitanae Leopoliensis et Haliciensis, cuius Antistites Archiepiscopali dignitate praesint Ecclesiis Premisliensi cum Samboriensi et Sanocensi unitae et Chelmensi cum Brestensi et Belsensi unitae » (13).

Praemissis his omnibus observationibus, directe ad considerationem Bullae restorationis Metropoli Haliciensis accedere opportunum esse duximus. In nominata vero Bulla, quae verbis « *In universalis Ecclesiae regimine...* » incipit, Romanus Pontifex asserit, quod ipse « divina disponente clementia » ad regimen Ecclesiae Jesu Christi vocatus, « ad gregem Dominicum oculos nostrae mentis intentos semper habentes, et quid Apostolicae providentiae impendere debeamus, ut ubique commode atque utiliter gubernetur, et ad ecclesiastica pascua fideliter dirigatur, eam potissimum muneris nostri curam

(10) HARASIEWICZ M., o. c., p. 785.

(11) PELESZ J., o. c., t. II, p. 670; HARASIEWICZ M., o. c., p. 786.

(12) HARASIEWICZ M., o. c., pp. 786, 802-803; LEVYCKYJ J. Em., o. c., p. 17.

(13) HARASIEWICZ M., o. c., p. 800.

agnoscimus, quod tot Ecclesiarum praesules opportunis pro commodiori populorum spirituali regimine praerogativis decorentur » (14).

Quapropter, pergit Summus Pontifex, christianorum Principum vota hisce in rebus favore complectit et nonnulla statuere curat, quae in Domino salubriter conspiciit expedire. Sed antequam de suo proposito: « nonnulla interdum statuere », aliquid diceret, Pius PP. VII unionem Ucrainae Nationis cum Apostolica Sede breviter describere conatus est (15).

Ob varias autem postmodum temporum vicissitudines, et praecipue divisionem Poloniae, «necesse visum fuit», ut ab Apostolica Sede saepe saepius circa negotia Ecclesiae Ucrainae nonnulla gererentur. Idcirco Sedes ipsa Apostolica sedulam curam de Natione Ucraina suscipiens, perspectis circumstantiis, aliqua de novo statuere haud neglexit et Universalis Pastor Pius VI Episcopatum Suprasliensem, qui in Dominiis Borussiae inveniebatur, necnon quoad ipsam metropolitanam Kioviensem atque alias episcopales Ecclesias eiusdem ritus in Dominiis Moscoviae existentibus «plura statuere non omiserit» (16).

« Nobis autem nuper exposito », quod Episcopi: Leopoliensis, Cholmensis et Peremysliensis, in Francisci I Austriae Imperatoris ac Bohemiae atque Hungariae Regis Apostolici ditione existentes, ad Metropolitam Kioviensem appellare eumque consiliorum suorum participem facere minime possint, quapropter Imperator Franciscus I summo opere cupiat Ucrainorum Haliciae existentium spirituali bono consulere, ideo « a nobis singulari studio per suas litteras postulaverit, ut a iure Metropolitico... Archiepiscopi Kioviensis abdicatis ecclesiis antedictis, Leopoliensem Cathedralem ecclesiam, quae a felicitis recollectionis Joanne Papa vigesimo tertio per suas litteras Romae datas quinto calendas Septembris anno Millesimo quadringentesimo decimo, Pontificatus sui anno tertio, antequam Sedem Haliciensem transferret in Metropolitanam, sub invocatione Beatae Mariae Virginis tunc fuit erecta (17), ac

(14) WEIŁKYJ A., *Documenta ...*, vol. II, N. 871, p. 313.

(15) *IBID.*, p. 313-314.

(16) *IBID.*, p. 313-314.

(17) Cardinalis Baldassar Cossa (Neapolitanus) die 25 Maii 1410 in Vicarium Christi electus fuit atque nomen Joannis XXIII sumpsit; ideo « Pontificatus sui anno tertio », quando litterae pro Metropoliae Haliciensis latini ritus in civitatem Leopoliensem translatione editae sunt, non annum 1410, sed 1413 significat. Unde error in Bulla restorationis Metropolitae Haliciensis quad praefatam datam evidens est, uti etiam confusio Metropoliae Haliciensis ucrainorum cum Metropolia Haliciensi latini ritus, quae sub Joanne XXIII erecta et anno 1413 Leopolum translata fuit. Translatio Metropoliae Haliciensis anno 1413 facta non Metropoliam Haliciensem ucrainorum, sicut Pius PP. VII innuit, sed Metropoliam polonam respicit. Notum enim est, Metropoliam Haliciensem ucrainorum iam anno 1401 suo Pastore destitutam fuisse et

deinceps ad simplicis Episcopalis Ecclesiae statum redacta (18), *nunc denuo in Metropolitanam cum unione tituli dictae perantiquae Haliciensis Ecclesiae*, cuius territorium intra limites suae dictionis modo reperitur, *per Nos erigatur*, nec non Kelmensis et Premisliensis respective Episcopales Ecclesiae eiusdem novae Metropolitanae Leopoliensis Ecclesiae quoad ius nominationis ad illas et ad illarum Praesulum canonicam institutionem respective concedantur » (19).

Romanus Pontifex, temporum locorumque circumstantiis mature perspectis atque agnoscens, quod plurae et non leves inveniuntur difficultates ob quas Metropolita Kioviensis ius suum metropoliticum in ucrainos catholicos Haliciae exercere non potest ac comperta necessitate occurrendi stabili methodo spirituali ucrainorum regimini, « Apostolici officii nostri esse duximus, vota precesque eiusdem Francisci Imperatoris ac Regis benigne suscipere et illis, quantum in Domino possumus, clementer obsecundare » (20).

Quapropter Nuntio Apostolico Viennensi, Comiti A. G. Severoli, mandatum fuit, « ut sive per se sive per aliam personam ecclesiasticam, ab eo ad hoc specialiter subdelegatam, certiorato prius » Administratore Eparchiae Kioviensis Hieracio Lisovskyj, Polocensis Ecclesiae Archiepiscopo, « titulum perantiquae Ecclesiae Haliciensis a Metropolitana Ecclesia Kioviensi, cui pridem unitus fuerat » apostolica sibi delegata auctoritate disiungat et separet. Dicto Nuntio in praefata Bulla commissum quoque fuit, ut Eparchias Halicienses ucrainorum catholicorum « a quacumque superioritate et Metropolitana iurisdictione Ecclesiae et Archiepiscopi Kioviensis... seiungat, abdicet, et absolvat, atque in posterum separatas et minime Archiepiscopatui ac pro tempore existenti ipsius Ecclesiae Kioviensis Antistiti subiectas » esse declararet. Leopoliensi autem Ecclesiae nominatus Nuntius « titulum alterius Ecclesiae Haliciensis simili facultate » unire « ac perpetuis futuris temporibus unitum esse ac fore » declarare « et nostro (Pii PP. VII) nomine » decernere debuit, « ita ut quicumque in posterum Cathedram Leopoliensem canonice

anno 1412 Eparchia Haliciensis a Vicario Metropolitae Kioviensis Haliciensisque regebatur. Deinde ob instantias Nobilitatis et fidelium Haliciensis Eparchiae Episcopatus Leopoliensis erectus fuit, cui etiam Eparchia Haliciensis unita est.

Causam erectionis Eparchiae Leopoliensi primique Leopoliensis Episcopi, Macarii Tueapskyj, in primo articulo huius capituli longe lateque explicavimus.

(18) Metropolita Haliciensis « ad simplicis Episcopalis Ecclesiae statum redacta » *de iure*, cum nullum documentum extat, non fuit, sed solum *de facto*, cum propriis Pastoribus inde ab anno 1401 ad 1808 destituebatur necnon a Kioviensi Metropolita hoc tempore regebatur.

(19) WELYKYJ A., *Documenta ...*, vol. II, N. 871, p. 315.

(20) *IBIDEM*.

occupaverit, una simul nuncupetur et inscribatur *Leopoliensis et Haliciensis Praesul* ». Dein Nuntius Apostolicus Viennensis Metropolitam Haliciensem, « qui palii et crucis usum more Archiepiscoporum eiusdem Ritus habeat, aliisque gaudeat privilegiis, praerogativis, honoribus et iuribus similibus Archiepiscopis debitis et concessis, quibus omnibus pro tempore existentes huius Leopoliensis et Haliciensis Ecclesiarum invicem, ut praefertur, unitarum Archiepiscopi uti, frui, potiri et gaudere possint, et valeant ac etiam debeant » apostolica ad hoc sibi delegata auctoritate « tenore praesentium perpetuo » erigere atque instituere debuit (21).

Haec omnia ita Nuntius facere debuit, ut Leopoliensis atque Haliciensis Ecclesiarum unitarum Praesules « omnia et singula », quae ad similes Ucrainae Nationis Archiepiscopos « in eorum civitatibus munus exercendum de iure, usu, consuetudine aut alias quomolibet spectare et pertinere solent, ac debent, gerere, facere et exercere libere ac licite possint » (22). Hanc autem plenam et omnimodam Metropolitanarum Haliciensium auctoritatem praefatus Nuntius tenore dictae Bullae nomine Pii PP. VII concedere et impertiri potuit atque valuit.

Alias autem superius nominatas Cholmensensem et Peremysliensem Ecclesias, « ut Ecclesiasticae Hierarchiae in toto catholico orbe semper servetur ordo », in Archiepiscopatum Leopoliensis et Haliciensis Ecclesiarum invicem unitarum suffraganeas Nuntius A. G. Severoli assignare atque praefatarum Ecclesiarum Praesules et loca omnia personasque tam ecclesiasticas quam laicas in earum respective Dioecesibus commorantes metropolitico iuri Haliciensis Metropolitae simili Pii PP. VII delegata auctoritate subiicere atque supponere debuit (23).

Quum vero omnia superius nominata nomine Summi Pontificis a Viennensi Nuntio Apostolico expleta fuerint, Pius PP. VII Imperatori Austriae Francisco I atque eius in Haliciae Regno successoribus in omnibus vacationibus Haliciensium Eparchiarum facultatem nominandi infra « tempus a iure praefixum ecclesiasticas personas idoneas, iis dotibus praeditas, quae iuxta Sacrorum Canonum praescripta et iuxta statuta... Synodi Zamosciensis requiruntur » concessit, cum lege tamen, quod quandocumque Metropolia Haliciensis vacare contingerit, « quilibet ad eam nominatus confirmationem suae nominationis, institutionem ac provisionem Ecclesiae huiusmodi nec non muneris consecrationis » a Romano Pontifice pro tempore existente petere at-

(21) *IBID.*, p. 316; APF, *Scritt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 18, f. 532.

(22) WELYKYJ A., *Documenta ...*, vol. II, N. 871, p. 316; APF, *Scritt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 18, f. 532v.

(23) WELYKYJ A., *Documenta ...*, vol. II, p. 317.

que obtinere simulque litteras Apostolicas expedire facere omnino debet ac teneatur » (24).

Quoad personam Antonii Anhelovy³ in Bulla restorationis Metropoliae Haliciensis Summus Pontifex ita sese expressit: « *Nos enim in futurum ac pro tempore existentem Archiepiscopum dictarum Ecclesiarum Leopoliensis et Haliciensis invicem unitarum* » omnium ucrainorum in Dominiis Francisci I Imperatoris Austriae degentium « *Metropolitam declaramus* cum auctoritate singula exercendi, quae ad huiusmodi ius Metropoliticum dignoscuntur pertinere ». Eidem Antonio Anhelovy³ atque eius successoribus, attentis peculiaribus circumstantiis ac de speciali indulgentia, Pius PP. VII facultatem concessit « *nominatos ad suas suffraganeas Episcopales Ecclesias Kelmensem et Premisliensem, dummodo iis dotibus praediti sunt, quae, ut supra dictum est, requiruntur, auctoritate et nomine Sedis Apostolicae confirmandi et instituendi, munusque consecrationis impendendi iisdem modo ac forma, quibus facultas huiusmodi Metropolitano Kioviensi ab antedicto Papa Clemente Octavo, Praedecessore Nostro, per suas Apostolicas litteras secundo loco supramemoratas fuerat elargita* » (25).

Ex superius dictis clare patet, quod Metropolitae Haliciensi omnia ea iura, quibus Metropolitae Kiovienses Haliciensesque fruebantur sunt concessa. Solum extensio metropolitanae auctoritatis est diminuta (26). Attamen de dicta extensione atque praefatis iuribus Haliciensis Metropolitae in sequenti parte agemus.

Hoc in loco explicare opportunum esse duximus, quare in nostra dissertatione verbo « restauratio » et non « erectio », sicut in Bulla « *In universalis Ecclesiae regimine* » adhibetur, usi sumus. Hoc vero fecimus, quia verbum « restauratio » magis eventui negotiorum quoad Metropoliam Haliciensem respondere videtur. Ex superioribus scimus enim, quod Metropolia Haliciensis iam anno 1302/3 existebat, ut ex perantiquis documentis elucet (27), et ob vicissitudines temporis suam existentiam anno 1401 amisit, unde anno 1805-1808 non erectio, sed restauratio antiquae Haliciensis Metropoliae necessaria

(24) APF, *Scrirt. rif. n. Congr. MPR.* vol. 18, f. 533; WELYKYJ A., *Documenta ...*, vol. II, N. 871, p. 317.

(25) WELYKYJ A., *Documenta ...*, vol. II, N. 871. p. 317.

(26) « Volumus praeterea, quod per disposita in hisce nostris literis nullum de coetero iuribus ac privilegiis Metropolitanae Ecclesiae Kioviensis praeiudicium inferatur, nec quidquam circa Ruthenorum in imperio Russico existentium Ecclesiasticam Hierarchiam censeatur immutatum ».

« Denique volumus quod nihil pariter super Ordine Monachorum S. Basilii Magni eiusdem Ruthenae Nationis, innovatum intelligatur »; *IBID.*, p. 318; APF, *Scrirt. rif. n. Congr. MPR.* vol. 18, f. 533v.

(27) MIKLOSICH F. - MULLER J., *o. c.*, t. I, p. 578-580.

fuit. In praefata autem Bulla verbum «restauratio» non adhibitur, attamen sensus idem habetur, cum expressio: «Sedes Haliciensis... *nunc denuo* in Metropolitana..., per nos *erigatur*» nihil aliud nisi restaurationem Metropolitae Haliciensis asserat. Ideo nos nihil aliud fecimus nisi hoc, quod expressionem «*nunc denuo ... erigatur*» uno verbo «*restauretur*», quod magis historiae Metropolitae Haliciensis respondere videtur, substituimus, eundem tamen sensum derelinquimus (28).

Cum pro hac restaurata Haliciensi Metropolia Antonius Anhelovyč, Episcopus Peremysliensis, nominatus atque ab Universali Pastore Pio VII institutus fuit, aliquid in genere de eius vita activitateque hic delibare opportunum esse censemus.

Antonius Anhelovyč in pago Hryniv, Bibrecensis districtus, familia sacerdotali anno 1756 natus est. Media vero studia Leopoli, in schola a Patribus S. Jesu directa, perfecit, deinde in convictum Nobilium ex ignotis nobis rationibus intravit. Sui ingenii causa iam 16 annum aetatis agens oculos Episcopi Leopoliensis Leonis Szeptyckyj in se convertit (29). Eodem fere tempore prima divisio Poloniae locum habuit ac Regnum Haliciae et Volodymyriae Romano Imperio cessit (30).

Anno vero 1774, Viennae, Seminarium pro Alumnis ritus graeci prope ecclesiam S. Barbarae, «Barbareum» dictum, fundatum fuit. Ad praedictum Seminarium, ab anno 1775, de Leopoliensi et Peremysliensi Eparchiis 14 Alumni mittebantur et inter primos ad hoc Seminarium ex Leopoliensi Eparchia missos, etiam Antonius Anhelovyč fuit. Decursu quinque annorum cum excelso exitu studia philosophica et theologica finivit, diplomaque doctoris in S. Theologia obtinuit. Tempore sui in Seminario commorationis in omnibus excellebat et tamquam exemplum imitandum aliis a Superioribus indicabatur. Domo reversus, a Leopoliensi Episcopo, Petro Bilanskyj, in presbyterum (a. 1780) ordinatus est.

Leopoli autem, una cum Episcopo Petro Bilanskyj, operabatur, ut Seminarium Generale erigeretur, quod vi decreti diei 30 Junii 1783 pro ucrainis Haliciae erectum est et anno 1787 pro omnibus graeco-catholicis in Austria existentibus extensum. Primus vero Rector dicti Generalis Seminarii Antonius Anhelovyč nominatus fuit, qui anno subsequenti dignitatem Rectoris Michaeli Sčavnyckyj tradidit, cum ipse cathedram theologiae dogmaticae, in noviter ab Imperatore Iosepho II erecta Leopoliensi Universitate, obtinuerit (31). Hoc

(28) WELYKYJ A., *Documenta ...*, vol. II, N. 871, p. 315.

(29) VON WURZBACH C., *Biographisches Lexicon des Kaisertums Oesterreich*, Wien 1856, t. I, p. 39.

(30) Cfr. p. 106.

(31) FINKEL L. - STARZYNSKI ST., *Historia uniwersytetu lwowskiego*, Leopoli 1894, t. I, p. 78.

quoque anno (1784) membrum commissionis bonorum ecclesiasticorum abolitorum monasteriorum (32) ac deinde consiliarius Aulae Caesareo Regiae, necnon Adessor ecclesiasticae commissionis, nominatus fuit.

Tempore visitationis Leopoliensis civitatis ab Imperatore Iosepho II (a. 1787), Antonius Anhelovyč denuo in Rectorem Generalis Seminarii Leopoliensis nominatus fuit, cum eius antecessor Michael Ščavnyckyj destitutus fuisset (33). Attamen A. Anhelovyč, post suam in Rectorem dicti Seminarii nominationem, etiam in posterum relationes cum Leopoliensi Universitate habuit eodemque anno (inter a. 1785-1789), quo in philosophica et theologica facultate lingua ucraina introducta est, ipse ex cathedra theologiae dogmaticae in lingua ucraina praelectiones habuit.

Dum ad ultimos decem annos decimi octavi saeculi pervenimus, Alicum decretum, de die 4 Octobris 1790, silentio praetermittere non possumus. Vi praedicti decreti magnae meliorationes in publicam instructionem introductae sunt, secundum quas scholae autionomae declaratae sunt, scilicet a Gubernio non dependentes, et publica instructio classi professorum concessa est. Unicuique professori licitum fuit, in rebus scholas spectantibus, suum consilium pro melioratione totius structurae scholarum pandi, directio autem scholarum ad professores eiusdem spectabat. Professores uniuscuiusque facultatis universitatum, gymnasii necnon scholarum elementarium debebant constituere collegia professorum, quibus vastissimus campus activitatis assignabatur. Omnia autem praefata collegia professorum suos procuratores nominabant, qui simul « Studien-Consess » (consessus studiorum) constituebant, quique mediator fuit collegia professorum inter et Aulam Imperialem Regiam, nedum et per Gubernatorem provinciae suas relationes cum praedicta Aula habuit. Tali modo nominatus « Studien-Consess » super largam autionomiam fundatus, potestas centralis et absoluta publicae instructionis in Imperio Austriaco devenit.

Electio autem procuratorum ad « Studien-Consess » initio anni 1791 locum habuit et in Leopoliensi Universitate causa asperarum litium fuit, et solummodo facultas theologica unanimiter praedicta dignitate Antonium Anhelovyč, qui hac dignitate usque ad annum 1795 gaudebat, exornavit.

Mense Februario 1792 Aula Imperialis Regia electionem « Studien-Consess » confirmavit (34), die vero 17 Aprilis eiusdem anni, in praesentia gubernialis consilarii Toren, installatio istius novae institutionis locum habuit.

(32) VON WURZBACH C., *o. c.*, t. I, p. 39.

(33) LEVYCKYJ J. F.M., *o. c.*, p. 3.

(34) « Studien - Consess », praeter Praesidentem, sex habuit socios, quibus anno 1792 adhuc duo alii socii additi sunt. Cfr. FINKEL L. - STARZYNSKI ST., *o. c.*, t. I, pp. 139, 147-148.

Dictus « Studien-Consess » usque ad finem anni 1802 in capite publicae instructionis Haliciae fuit.

Post mortem Peremysliensis Episcopi, Maxymiliani Rylo (a. 1793), et quidem die 6 Julii 1795, Romanus Imperator Franciscus II Antonium Anhelovyč, ob eiusdem opera in educatione Cleri praestita, in Peremysliensem Episcopum nominavit. Haec nominatio a Theodosio Rostockyj, Kioviensi Haliciensique Metropolita, comprobata fuit necnon ab eodem Metropolita Petro Bilanskyj, Leopoliensi Episcopo, facultas dictum Nominatum Episcopum consecrare data fuit. Vi praefatae facultatis Petrus Bilanskyj, die 14 Februarii 1796, Antonium Anhelovyč in Leopolitana cathedra, assistantibus Jacobo Tumanowicz, Leopoliensi Archiepiscopo Armenorum et Porphyrio Važynskyj, Cholmensi Episcopo, consecravit, ac die 21 eiusdem mensis Antonius Anhelovyč suam Cathedram Peremysliensem occupavit.

Tempore sui regiminis in Peremysliensi Cathedra, et quidem anno 1796-7, Antonius Anhelovyč ob opera data « Studien-Consessui », a sociis istius in Rectorem Magnificum Leopoliensis Universitatis electus fuit, qui tamen, ob suas occupationes in Eparchia, unum ex Professoribus, Michaellem Harasievič, in Pro-Rectorem nominavit (35).

Post mortem Leopoliensis Episcopi, Petri Bilanskyj (a. 1798), ut diximus, Antonius Anhelovyč tamquam vicinior Episcopus, a Praefecto Haliciensis provinciae (1. VI. 1798) obtento decreto, administrationem vacantis Sedis obtinuit.

Inde a primis temporibus episcopalis suae activitatis, Antonius Anhelovyč, una cum aliis Episcopis, plurimum laboravit, ut antiqua Haliciensis Metropolia restauraretur (36), quos labores anno 1808 victoria coronavit (37).

In Metropolitam nominatus die 11 Septembris 1806 Viennam ad stabilendam dotationem Metropoliae in bonis terrestribus iter arripuit et die 24 Decembris eiusdem anni Imperatori litteras, Viennae datas, tradidit, in quibus Imperatorem rogabat, ut ad meliorationem dotationis Metropoliae per sexennium redditus Eparchiae Peremysliensis retinere posset, necnon ut bona metropolitana (Krylos et Perekhynsko), ante suam installationem in Metropolitam, medio publicae auctionis elocata, in administrationem dentur (38).

In eisdem litteris instabat, ut pro fidelibus graeco-catholicis in Bukovyna, in quadam civitate confinante cum Bukovyna, v. g. Sniatyn vel Horodenka, Episcopum Suffraganeum instituere posset, qui tamen Episcopus, usquedum numerus praefatorum fidelium adaugeretur, munus Vicarii Generalis in Metro-

(35) LEVYCKYJ J. EM., *o. c.*, p. 6. n. 2.

(36) Cfr. p. 126 sq.

(37) Cfr. p. 136 sq.

(38) MALINOWSKI M., *o. c.*, p. 424-430; PELESZ J., *o. c.*, t. II, p. 893.

polia gereret, necnon ex mensa metropolitana sustentaretur. Nominata postulatio Antonii Anhelovy³ decreto Aulae Imperialis Regiae de 30 Septembris 1807 « placet » regium obtinuit (39), bellum tamen napoleonikum hoc optinum propositum ad nihilum reduxit.

Post cladem exercitus austriaci in Bavaria (19-20. IV. 1809) necnon post occupationem Viennae (13. V. 1809) a Napoleone I, Varsaviensis Principatus contra Austriam suum exercitum movit et iam die 18 Maii 1809 exercitus polonus Sandomyriam occupavit. Quibusdam diebus postea Leopolim advenerat notitia, quod exercitus polonus Leopolim versus properabatur. Post expugnationem Viennae ab exesercitu gallico, atque cum moscovitae in auxilium gallo-polonis regno Haliciae appropinquarent, exercitus austriaci, ne ab aliis terris haereditariis abscinderentur, versus Silesiam et Hungariam sese retrahebant; quare exercitus polonus sine maiori difficultate civitates et Leopolim iam die 27 Maii occupavit (40).

Cum occupatione civitatis Leopoliensis ab exercitu polono, tristis incipit pro ucrainis periodus. Iam die 29 Maii 1809 Generalis exercitus Róźniecki, qui in residentia metropolitana suam habitationem fixit (14), Metropolitam ad se vocavit eique proposuit, ut novam sub protectione Napoleonis I existentem auctoritatem civilem recognosceret. Metropolita autem responsum ei dedit, campum suae activitatis ecclesiasticae spiritualis naturae esse, quam ob rem multum pati debuit. Eodem adhuc anno a nova auctoritate bona metropolitana et Eparchiae Peremysliensis fisco addicta fuerunt, qua occasione turba popularis in residentiam Metropolitae ingressa est ac bona privata Metropolitae exportavit.

Ut autem odium turbae contra Metropolitam magis adhuc excitaretur, notitiae in populum spargebantur ac si Metropolita cum suo Vicario Generali aliisque sibi addictis presbyteris conspirassent, ut non solum exercitum polonorum Haliciam occupantem expellerent, verum etiam, ut omnia quae sapiunt polonismum, caede instituta, exstirparent, quem in finem Metropolitam arma parare asserebatur. Inanes fuerunt Metropolitae apud generalem I. Róźniecki contra calumniatores protestationes (42).

Unde die 1 Junii 1809 turba popularis armata manu residentiam Metropolitae et ecclesiam cathedralem, arma quaerens, perquisivit, sine ullo effectu. Hoc non obstante, die 3 eiusdem mensis Praefectus bellicus civitatis Leopoliensis, Hyppolitus Bleszynski, minas spirans a Metropolita exigebat mandatum ad universum Clerum, ut collecta pro Imperatore Francisco I prohi-

(39) LEVYCKYJ J. EM., *o. c.*, p. 22; PELESZ J., *o. c.*, t. II, p. 887-889.

(40) *IBID.*, p. 23-25.

(41) PELESZ J., *o. c.*, t. II, p. 876.

(42) LEVYCKYJ J. EM., *o. c.*, p. 27.

beretur et pro Napoleone I demandaretur necnon, ut iuberet suo Clero ne in S. Liturgia nomen Imperatoris Austriae sed Napoleonis I commemoraret, secus Metropolita ad castra Napoleonis I transportaretur. Metropolita autem responsionem dedit, ipsum eiusque Clerum iuramentum Francisco I emissum frangere non posse ac censere, Napoleonem I hunc modum agendi ipsi in malum vertere non posse. Ut autem his omnibus periculis quodammodo liberetur, Antonius Anhelovyč censuit pro aliquo tempore, valetudinis curandae causa, ad pagum Straševyči, prope civitatem Samborensem, sese conferre et hac de causa litteras passus ab autoritate militari postulavit, quae tamen Metropolitae denegatae fuerunt.

Die vero 5 Junii 1809 a nominato iam I. Bleszynski Metropolita varias typo impressas litteras edictales (sic dictas proclamationes), ut eas per Clerum sibi subordinatum in ecclesiis fidelibus notificare iuberet, obtinuit. Sequenti die Metropolita responsionem dedit, hucusque iurisdictionem ecclesiasticam non a Praefecto urbis bellico, sed a Gubernio mandata accepisse, deinde publicationem edictorum, sola politica obiecta continentium, nonnisi per Officia circularia, quae a moderno regimine militari conservantur, fieri solere ac in fine, eiusmodi obligationem nullum Episcoporum latini ritus unquam obtinuisse. Attamen praedictae rationes Metropolitae in considerationem sumptae non fuerunt et die 7 Junii eiusdem anni A. Anhelovyč responsum obtinuit, quod si iussa Praefecti non adimpleret, in militare iudicium vocatum iri.

His in circumstantiis Metropolitae nihil aliud remansit, nisi ut iussis Praefecti Leopoliensis sese submitteret, vel clam Leopolim relinqueret. Qua secunda possibilitate arrepta, Metropolita die 8 Junii 1809, simul cum Vicario Generali Michaele Harasievič, Leopolim relinquit. Per aliquot dies in pago Lisenyči abscondebantur, ex quo pago, die 10 Junii, Metropolita suo decreto Concistorium Leopoliense sustulit, ne sub pressione autoritatis revolutionariae polonae aliquem incautum passum faceret (43). In pago Lisenyči Metropolita saepius cum Patre Spirituali Leopoliensis Seminarii, Savatio Harasievič, communicabat et per ipsum regebat Metropoliam. Attamen breve post tempus Metropolita meridionales confines Haliciae cum suo Vicario Generali petere debuit, et die 18 Junii 1809 ad pagum Senečiv, qui in confinibus Haliciae et Hungariae situs erat, pervenerunt.

Syndacus dicti pagi, Kost Džulovyč, qui eodemque die (18. VI. 1809) in civitate Dolyna de fuga Metropolitae eiusque Vicarii Generalis notitiam ceperat, necnon pecunia, quae promittebatur illi, qui locum commorationis in-

(43) Cfr. HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 926-927; - Decretum Metropolitae, uti scriptum est, in pago Vojnyliv datum fuit, hac de causa, ut locus commorationis Metropolitae absonderetur. Cfr. LEVYCKYJ J. EM., *o. c.*, p. 29.

dicaret, inductus, proposuit sibi de identitate hospitum investigare. Adsumptis quibusdam civibus, ad parochum Lucam Sačkevyč se contulit, ubi de praesentia Metropolitae et Vicarii certus factus, eos militiae tradere sibi proposuit. Inde Metropolita eiusque Vicarius custodiae traditi, ad civitatem Stryj deducti fuerunt, ubi die 21 Junii 1809 nuntius pervenisset, exercitum austriacum iterum Leopolim occupasse; inde Officiales poloni sibimetipsis ab Austriacis poenas pertimescentes, fugam arripiendo, Metropolitam et eius Vicarium Generalem libertati restituerunt, qui Leopolim, die 23 Junii 1809, incolumes redierunt (44).

Sed iam die 28 Junii 1809 Leopoli cum magna parte Haliciae ab Austria Moscoviae tradita est, ad brevissimum tamen tempus; nam post pacem initam Senburniae, inter Franciscum I et Napoleonem, die 17 Octobris 1809, Halicia, cum quibusdam mutationibus, Austriae iterum restituta fuit. Vi praefatae pacis ab Haliciensi Metropolia Eparchia Cholmensis cum quadam parte Peremysliensis Eparchiae subrepta fuit, quia districtus Zamostianus Magno Ducatui Varsaviensi, seu regi Saxoniae, cessit; Moscoviae autem districtus Tarnopoliensis et Czortkoviensis. Cholmensis tamen Eparchia etiam in posterum ab Haliciensi Metropolita pendere non cessavit.

Postquam Eparchia Cholmensis Ducatui Varsaviensi adscripta fuit, rex Saxoniae, qua Magnus Dux Varsaviensis, Fredericus Augustus, in Cholmensem Episcopum, die 24 Februarii 1810, Ferdinandum Ciechanovskyj nominavit, ac die 27 Augusti 1810 a Metropolita Antonio Anhelovyč exquisivit, ut pro iure sibi competenti, nominatum Episcopum confirmaret et consecraret, quod die 8 Octobris 1810 Leopoli peractum fuit. Die vero 1 Novembris eiusdem anni, a rege Saxoniae requisitus, portionem Peremysliensis Eparchiae, in circulo Zamostiano contentam, Cholmensi Episcopo tradidit ea cum clausula, ut dicta iurisdictio valida esset tamdiu, quamdiu eadem Ducatui Varsaviensi in temporalibus paruerit (45). Quapropter rex Federicus Augustus suam complacentiam die 11 Maii 1811 Metropolitae significavit et hac ratione iurisdictio Haliciensis Metropolitae in Cholmensem Eparchiam, quae in alio Dominio inveniebatur, salva remansit.

Iam superius memorata pars Haliciae, quae moscovitis cessit (14. X. 1809), septemdecem Decanatus metropolitanae ucrainorum Eparchiae in se continebat, ac initio a Gubernio moscovitico fidelibus ucrainis catholicis relationes cum Haliciensi Metropolita haud prohibitae fuerunt. Cum autem ipsum Gu-

(44) Cfr. LEVYCKYJ J. EM., *o. c.*, p. 32; - Metropolita ab Imperatore Francisco I crucem Ordinis Leopoldi. Vicarius Generalis eiusdem Metropolitae vero, praeter crucem, etiam titulum « Von Neustern », obtinuit. IBIDEM.

(45) HARAŚIEWICZ M., *o. c.*, p. 934; cfr. PETRUŠEVYČ A., *Kratkoje izvistijsje ...*, p. 60-61.

bernum austriacum praefatum nexum non desideraret, die 21 Maii 1810 in Tarnopoliensi civitate efformatum fuit Concistorium, quod auctoritate Metropolitae Antonii Anhelovyč praedictam partem Eparchiae metropolitanae gubernabat. Anno vero 1811 Clerus ucrainus provinciae Tarnopoliensis Episcopo unito Luceoriensi, Gregorio Kochanovyč, subordinatus fuit, ad quem actum Clerus latini ritus, qui a Consistorio Leopoliensi latini ritus dependere noluit, et a longe distante Metropolita Mohiloviensi ritus latini Siestrzenciewicz dependi desiderabat, Gubernium moscovilicum induxit (46). Anno autem 1815, per tractatum Viennensis congressus, praefata territoria ad austriacum Dominium redierunt.

Postquam pax inter Imperatorem Austriae Franciscum I et Napoleonem I inita est, Metropolita A. Anhelovyč imprimis praecedentem ordinem in Leopoliensi et Peremysliensi Eparchia, bello perturbatum, conatus est restituere. Quapropter, initio anni 1810, Viennam profectus est, ut, inter alia negotia, bonum publicum Cleri ucraini et ritus concernentia, nempe provisionem vacantis Sedis Peremysliensis, dotationem adpromissam neorestauratae Metropolitae Haliciensis, regulationem Capitulorum cathedralium ab Aula Caesareo Regia exposceret atque obtineret.

Dum Metropolita A. Anhelovyč curaret, ut vacans Peremysliensis Eparchia de persona idonea provideretur, per vias tortuosas inimici Cleri ucraini procurarunt, ut Caesareo Regiae Maiestati quidam presbyter, Ioannes Kosteckyj, proponeretur. Metropolita autem inter candidatos pro Peremysliensi Eparchia in primo loco suum Vicarium Generalem, Michaellem Harasievič, proposuit, qui tamen, habens Viennae plures inimicos, ex catalogo candidatorum deletus est (47) et episcopalem nominationem mense Augusto 1810 praefatus presbyter, Ioannes Kosteckyj, obtinuit. Huic nominationi Metropolita sese opposuit et in litteris, die 26 Septembris 1810 datis, ad Franciscum I directis, asserebat, sub omni aspectu praefatum candidatum indignum esse episcopalis dignitatis. Attamen cum ipse iam ab Imperatore nominatus esset, Metropolita processum canonicum formare debuit. Quo peracto, praedictum Ioannem Kosteckyj, impedimentis canonicis irretitum, Metropolita, salva sua conscientia et convictione intima, eum ad episcopalem gradum promovere non potuit, quod explicite Francisco I manifestavit, necnon apud Imperatorem suis instantiis effecit, ut a priore nominatione recederet et bene meritum canonicum Leopoliensem, Michaellem Levickyj in Peremysliensem Episcopum nominaret. Imperator petitioni Metropolitae annuit et anno 1813 Michaellem

(46) *IBID.*, p. 937.

(47) PELESZ J., *o. c.*, t. II, p. 948.

Levickij in Peremysliensem Episcopum nominavit, qui die 20 Septembris a Metropolita confirmatus atque consecratus fuit (48).

Haud paucos labores Metropolita intuitu regulationis Capitulorum cathedralium, tam metropolitanae quam Peremysliensis Ecclesiae, suscepit. Anno vero 1813, et quidem die 25 Februarii, per supremum diploma antiquum Capitulum metropolitanum restitutum fuit et personae dictum Capitulum constituentes, iam prius ab Imperatore nominatae, die 3 Octobris 1813 a Metropolita secundum canones investitae, in metropolitana Ecclesia installatae sunt (49). Post mortem autem Metropolitae A. Anhelovyč administratio metropolitanae Eparchiae iam ad Capitulum pertinebat.

Non obstantibus difficultatibus, quas decursu suae metropolitanae activitatis Antonius Anhelovyč quam plurimas habuit, ob suum assiduum laborem meliorationem Eparchiarum Haliciensis Metropoliae ad felicem effectum deducere potuit. Conatibus enim Metropolitae Antonii Anhelovyč in Bukovyna ecclesiae ritus graeco-catholici erectae et Curatores ad easdem ex fundo religionis sustentati constituti sunt. Hac ratione consultum est, ut non tantum habitatores ucraini catholici in Bukovyna nullam occasionem Sanctam Unionem deserendi haberent, verum etiam opportuna data fuit occasio ad Unionem redeundi illis, qui ob defectum presbyterorum ucrainorum catholicorum ad Disunitos prius defecerant. Istius Metropolitae conatibus quoque, sed solum post eiusdem mortem, ecclesia S. Barbarae decreto Aulae Caesareo Regiae de 15 Januarii 1815 tanquam parochialis pro fidelibus ritus graeco-catholici in suburbiis Viennae agnita ac parochus istius « parochus proprius » vocatus est.

Maxime in votis erat Metropolitae A. Anhelovyč melioratio regiminis Generalis Seminarii pro graeco-catholicis Leopoli, quod sub immediata inspectione Gubernii existerat; quare iam anno 1790 Episcopi Haliciae petierunt, ut Imperator Seminarium hoc eis immediate subiiceret, attamen negativum responsum tunc acceperunt. Similiter die 28 Decembris 1803 et 24 Julii 1804 Episcopi frustra suam instantiam repeterunt. Solummodo petitio Antonii Anhelovyč, die 15 Martii 1806, in parte successum habuit. Die 14 Januarii 1808 aulica emanavit decisio, qua Seminarium quoad disciplinam et oeconomiam Metropolitae committebatur simulque quoad sustentationem alumnorum, moralem eorum educationem et impensas normativae praescribebantur regulae (50).

(48) HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 937-938; Cfr. LEVYCKIJ J. FM., *o. c.*, p. 36.

(49) Hac de re videas: HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 938-950.

(50) IBID., p. 805 sq.

Etiam si A. Anhelovyč magna pollebat eruditione (51) ac amator scientiarum fuit, in directione publicae instructionis ob grassantia bella (52) multum facere non potuit. Ad hoc etiam adiungendum est, quod Metropolita in temporalibus, post bellum 1809 valde limitatus fuit, ex quo usque ad mortem sese liberare non potuit, ita ut anno 1813, ut patet ex eius epistula ad Gubernatorem Haliciae, Ioannem Petrum Goes, paratus fuit litteram scribere ad Imperatorem resignando metropolitanae dignitati et conferre se in cellam monasticam, quia non obstantibus promissionibus Aulæ dotationes hucusque in charta remanserunt, dum negotia metropolitana eas quam maxime exigebant (53).

Praefatum napoleonicum bellum (a. 1809) Metropolitam in morbum iniecit, ex quo ipse iam sese liberare non valuit.

Cum summo totius Cleri atque populi ucraini dolore omniumque, quibus praeclarae dotes, scientia omnis generis, comitas, humanitasque primi catholici ucrainorum Metropolitae, in restaurata Haliciensī Metropolia, erant notae, et quae eidem communem aestimationem amoremque conciliabant, die 9 Augusti 1814, vitam, meritorum plenam, terminavit.

Anno 1815 in successorem A. Anhelovyč Peremysliensis item Episcopus, Michael Levickij nominatus atque die 8 Martii a Summo Pontifice Pio PP. VII confirmatus fuit.

(51) Cfr. *IBID.*, p. 696-752; - In suo testamento Metropolita Capitulo Leopolitano suam bibliothecam 8000 voluminum constantem reliquit.

(52) Hoc enim tempore (1809 et 1812) bella napoleonica grassabant.

(53) Cfr. MALINOWSKI M., *o. c.*, p. 430-434.

P A R S S E C U N D A

Metropolitaram Haliciensium iuridica forma

CAPUT PRIMUM

DE METROPOLITARUM GENERALI FIGURA IURIDICA

Caput nostrum tres in articulos dividimus. Primus articulus de Metropolitaram in Oriente figura iuridica, alter de Metropolitaram in Occidente eadem figura iuridica, tertius vero de Archiepiscopo maiore agit, quibus quaedam de generali Metropolitaram iuridica figura praemisimus.

Omnibus notum est, quoad ordinis potestatem a Christo institutam eiusque validum exercitium, omnes Episcopos in ipsius ordinis hierarchia gradibus quamvis in diversis, substantialiter attamen haud distinctis, aequales esse paremque cum ipso Romano Pontifice ordinis episcopalis potestatem habere (1). Quapropter gradatio, si quae existit, inter Episcopos nonnisi accidentaliter esse potest in usu licito et legitimo potestatis ordinis, aut aliunde ex potestate iurisdictionis est repetenda. Divino autem iure, cum suprema atque plena potestate iurisdictionis super omnes Episcopos, unus Romanus Pontifex constitutus est. Idcirco, etiamsi Episcoporum officium pariter ordinatione divina nitatur, iurdictio episcopalis singulis Episcopis a Romano Pontifice tamquam a causa proxima conceditur. Ex dictis patet quod nullus Episcopus in alium Episcopum quamdam superiorem auctoritatem habet, nisi a Romano Pontifice illam obtinuerit. Divino autem ex iure omnes Episcopi etiam quoad iurisdictionem aequales sunt; et in hierarchia iurisdictionis praeter Episcoporum gradum tantum unus superior extat gradus, scilicet Romani Pontificis primatus iurisdictionis (2). Medii vero gradus in hierarchia iurisdictionis inter Romanum Pontificem et simplices Episcopos uti Patriarchae, Primates atque Metropolitae, iure mere humano instituuntur atque universa ipsorum iurdictio in alios Episcopos est, « participatio quaedam potestatis pontificiae sive expresse sive tacite facta » (3). Ex hoc autem non consequitur, iurisdictionem Patriarcharum, Primatum et Metropolitaram esse mere delegatam. Iurdictio enim illorum est ordinaria, quia datur vi officii alicui sedi

(1) BOUXX D., *Institutiones Iuris canonici in varios tractatus divisae. De Episcopo*, Parisiis 1859, t. I, p. 397 sq.

(2) NILLES N., *Kalendarium manuale utriusque Ecclesiae Orientalis et Occidentalis*, ed. II, Oeniponte 1896, t. I, p. 456 sq.

(3) WERNZ F. X., *Ius Decretalium*, Prati 1915, t. II, 2, p. 50; - De originibus vicissitudinibusque historicis tam Patriarcharum quam Primatum videas nominatum auctorem WERNZ F. X., o. c., t. II, 2, p. 501-508, aliosque probatos auctores.

episcopali in perpetuum adnexi. Unde iurisdictio derivata (genus) cum iurisdictione delegata (species) confundenda non est; secus tam iurisdictio Episcoporum quam Romani Pontificis esset delegata.

In dubium autem vocari non potest, quin ab antiquissimis temporibus de facto omnes Episcopi parem iurisditionem vel honorem habuerint (4). Hoc, si quoad praerogativam Romani Pontificis omittimus, ordinatione Apostolorum testatur, nam S. Tito in Creta (5) et S. Timotheo in Asia proconsulari (6) quaedam episcopalis potestas maior quam aliis delata fuit. Hos enim Episcopos Apostoli sibi subiectos habuerunt. Ex epistulis S. Pauli satis videtur insinuari, quod iam tunc quasdam Ecclesias, v. g. Corinthi, Philippis, Ephesi centra fuisse aliarum Ecclesiarum eiusdem Provinciae, v. g. Achaiae, Macedoniae, Asiae proconsularis. Exemplo Apostolorum, quibus per orbem terrarum divisus S. Petrus praefuit, in singulis regionibus, pro forma (7) Collegii Apostolici, mox alia inferiora Collegia Episcoporum, uni Praelato immediate subordinata, constituebantur. Attamen, praeter exemplum Apostolorum propagatio Ecclesiae atque fundatio Ecclesiarum a matre non discendentium, (8), porro frequens in diversis Provinciis Synodorum celebratio (9) hoc effecerunt, ut iam primis saeculis ad quasdam episcopales sedes, sive ratione ipsius sedis sive ob praerogativam sedentis, maior delata esset potestas (10). Quem introductum morem postea accuratior terminologia secuta est (11).

At statim ab initio (12) Episcopi, qui sub quocumque respectu aliis Episcopis praefuerunt, titulo Metropolitae usi non sunt. Praefatus titulus vero, decursu temporis, Episcopis maiore potestate pollentibus familiaris evasit. Ipse terminus «Metropolita», haud improbabiliter, post Imperii Romani in

(4) CARRANZA B., *Summa Conciliorum*, Augustae 1778, t. I. (Conc. Nicaen. a. 325), p. 154-155, can. 4, 5, 6; (Conc. Constant. a. 381) can. 2, p. 289; PITRA J. B., *Iuris ecclesiastici Graecorum historia et monumenta*, Romae 1864, t. I, p. 429-430; *Codificatione Canonica Orientale*, Fonti, fasc. IX (disciplina generale antica sec. II-IX), NN. 758, 763.

(5) Tit., I. 5, 6; WERNZ F. X., *o. c.*, t. II, 2, p. 501.

(6) Tim., I. 3, 3.

(7) PHILLIPS G., *Kirchenrecht*, ed. III, Regensburg 1855-1872, t. II, pp. 7, 9, 18 sq.

(8) HERGENROETHER-KIRSCH, *Handbuch der allgemeinen Kirchengeschichte*, Freiburg 1924, t. I, pp. 438 sq., 684 sq.

(9) HEFELE C. J., *Conciliengeschichte*, Freiburg 1856, t. II, p. 83 sq.

(10) Cf. CARRANZA B., *o. c.*, t. I. (Conc. Nicaen. a. 325) can. 4, 5, 3. p. 154-155; (Conc. Constant. a. 381) can. 2, p. 289; (Conc. Carthag. a. 390) can. 12, p. 316; (Conc. Carthag. a. 397) can. 26, p. 324.

(11) WERNZ F. X., *o. c.*, t. II, 2, p. 502.

(12) Episcopi, qui deinceps titulo Metropolitae appellati sunt, primi, primae sedis Episcopi, (in Africa) seniores, dicebantur. DEVOTI J., *Institutionum Canoniarum libri IV*, Bassani 1843, t. I, p. 140.

provincias divisionem, receptus est atque ipsarum rerum eventu factum est, quod Episcopi, qui in provinciae Metropoli sedebant atque cum honore ceteris eiusdem provinciae Ecclesiis, quae filiales a matre non seiunctae erant, praestarent, titulo Metropolitae decorarentur (13). Decursu temporis huiusmodi titulus alias quoque in regiones divulgatus est et Episcopi, qui, aut ratione aetatis (uti in Africa), aut ratione sedium vetustatis, aut ratione finis, vel sedium praestantiorum, ceteris Episcopis praefuerint, *Metropolitae*, alii autem eiusdem provinciae Episcopi *Suffraganei* denominari coeperunt (14).

Eliamsi provinciarum Imperii Romani divisio, necnon quidam usus paganorum (15) aliaeque causae in originem dicti gradus Hierarchiae Ecclesiasticae influxum externum habuerunt, attamen huiusmodi influxus praecipuam causam praefati gradus Hierarchiae non constituebant et solum occasiones, adminicula externa, subsidia naturalia erant (16), quibus Ecclesia, illo tempore, etiam ad formandam Hierarchiam Ecclesiasticam, secundario quodam modo, usa est. Praefatae gradationis Hierarchiae Ecclesiasticae unicae causae efficientes dicendae sunt: ordinatio Apostolorum, qui in principalibus Romani Imperii civitatibus et provinciarum metropolibus Evangelium disseminarunt, quique sedes episcopales in iisdem civitatibus collocarunt (17) atque legitima consuetudo, ex natura rei promanans et ab Ecclesia approbata.

In antiqua autem Ecclesia, Metropolitae etiam Exarchae (in Oriente), v. g. in can. 6. Conc. Sardic. (a. 343) vel Primates (in Occidente), v. g. in Africa, appellabantur. Inde a saeculo quarto Metropolitae, qui, variis ex causis, pluribus provinciis praeerant, titulum Exarchae retinuerunt (18). Qui, initio, a Constantinopolitano Episcopo non dependebant, attamen decursu temporis iura atque praerogativae Exarcharum a Constantinopolitano Episcopo avocata sunt et, in Synodo Chalcedonensi (a. 451) (19), Constantinopolitano Praesuli in Exarchas iurisdictio tributa est. Posteriori tempore Exarchae erant delegati Patriarchae vel Episcopi ad actum (20) vel permanentes, quique esse poterant etiam Episcopi (21).

(13) ROMANI S., *Institutiones Iuris Canonici*, Romae 1941, vol. I. p. 235. MILASCH N., *Das Kirchenrecht der morgenländischen Kirche*, ed. II, Mostar 1905, pp. 243, 299.

(14) ROMANI S., *o. c.*, vol. I, p. 235.

(15) WERNZ F. X., *o. c.*, t. II, 2, p. 502.

(16) PHILLIPS G., *o. c.*, t. II, p. 27 sq.; WILMERS W., *De religione revelata libri quinque*, Ratisbonae 1897, pp. 290, 299 sq.

(17) CALLAEY F., *Praelectiones historiae ecclesiasticae antiquae*, Romae 1944, ed. II, p. 185-186.

(18) MILASCH N., *o. c.*, pp. 299, 325-326.

(19) PITRA J. B., *o. c.*, t. I, p. 532-533.

(20) V. g. ad monasteria visitanda.

(21) COUSSA A., *Epitome praelectionum de iure ecclesiastico Orientali*, Criptoferratae 1948, vol. I. p. 208.

Inter Exarchas autem nonnulli, et quidem Metropolitae seu Exarchae Romae, Alexandriae et Antiochiae, praecipuo honore fulgebant, quibus unice Patriarchae nomen postremo remansit (22). Patriarchalem dignitatem Exarchae praefatorum civitatum non tantum ex eo, quod in principalibus Romani Imperii civitatibus suas sedes haberent, verum etiam, idque potissimum, quod a S. Petro originem repeterent, ab Ecclesiae Patribus et priscis christianis, eximio quodam honore, semper sunt prosecuti. Temporis successu hisce tribus Patriarchis alii duo additi sunt, nempe Hierosolymitanus et Constantinopolitanus. Attamen non statim, pacifice ac legitime, sed pedetentim utraque haec Ecclesia ius patriarchatus, nemine amplius reclamante, impetravit. In Concilio Constantinopolitano I (a. 381), can. 3, Episcopo Constantinopolitano (23) ab Episcopis orientalibus concessa est praerogativa honoris immediate post Episcopum Romanum, eo quod illa civitas esset nova Roma. Attamen Episcopus Romanus semper primus inter patriarchas habitus est, cui regiones occidentis tamquam Patriarchae subiiciebantur (24).

In antiqua Ecclesia Metropolitae minime sane Archiepiscopi appellabantur, cum nomen potius titulum honorificum significabat, atque Metropolitae insignioribus, velut Patriarchis, Exarchis atque ipsi Romano Pontifici communis propriusque erat; et nonnisi a saeculo sexto paulatim Metropolitae dari coepit (25); a saeculo vero septimo Metropolitae frequentius titulo Archiepiscopi vocantur.

Nomen vero Metropolitae antiquissimum est (26) et usque ad nostra tempora more loquendi canonico Antistitem denotat, qui provinciae ecclesiasticae praeest et alios Episcopos sub se habet suffraganeos (27). Suffraganeorum autem titulus inde ex saeculo octavo in Gallia introductus est (28).

Metropolitae distinguuntur in residentiales, qui alios Episcopos sibi subiectos habent, et mere titulares, qui Episcopi sunt cum titulo Archiepiscopi exempti aut absque ulla exemptione a iure Metropolitae et ceteris Episcopis comprovincialibus solummodo titulo honorifico ut Archiepiscopi praecedunt. Attamen habetur quoque alia distinctio Metropolitae, qui « autocephali » dicuntur quique nulli Patriarchae vel Exarchae sive Primati subiiciuntur.

(22) AICHNER S., *Compendium Iuris Ecclesiastici*, Brixinae 1911, p. 391; MILASCH N., o. c., p. 326-329; PAPP-SZILAGYI J., *Enchiridion Iuris Ecclesiae Orientalis Catholicae*, Magno-Varadini 1880, ed. II, p. 99-100.

(23) HEFELE C. J., o. c., t. II, p. 17 sq.; PAPP-SZILAGYI J., o. c., p. 103.

(24) DEVOTI J., o. c., t. I, p. 135 et n. 4.

(25) HEFELE C. J., o. c., t. II, p. 554 sq.; BADIX D., o. c., t. I, p. 445 sq.

(26) CARRANZA B., o. c., t. I, (Conc. Nicaen. a. 325) can. 4, 6, p. 154-156; HEFELE C. J., o. c., t. I, p. 382 sq.; DEVOTI J., o. c., t. I, p. 139.

(27) CAPELLO F. M., *Summa Iuris Canonici*, Romae 1938, ed. III, vol. I, p. 443.

(28) WERNZ F. X., o. c., t. II, p. 497.

ART. 1. - METROPOLITAE IN ORIENTE.

Metropolitae, qui nunc ut plurimum audiunt Archiepiscopi, a Patribus Nicaenis, anno 325, can. 4, prima vice, confirmationi et electioni vel cheirotoniae Episcoporum uniuscuiusque Eparchiae vel Provinciae praeesse dicuntur. Et profecto can. 35 Apostolorum statuitur: « Episcopos gentium singularum scire convenit, quis inter eas primus habeatur: quem velut caput extiment et nihil amplius praeter eius conscientiam gerant, quam illa sola singuli, quae parochiae propriae et villis, quae sub ea sunt, competunt. Sed nec ille praeter omnium conscientiam faciat aliquid in eorum parochiis; sic enim unanimitas erit, et glorificabitur Deus per Christum in Spiritu sancto » (1); ad quem canonem Patres, in nono canone Concilii Antiocheni (a. 341), in quo exacta descriptio auctoritatis Metropolitae in ecclesiastica structura invenitur, provocare videntur (2). Iam secundo enim saeculo Concilia particularia seu topica celebrabantur, quibus nonnulli insigniores Episcopi praesidebant (3). In dubium autem vocari non potest, quod ipsi Apostoli, suo modo agendi, v. g. cum Tito et Timotheo, necnon Ecclesiarum in principalibus civitatibus provinciarum (metropolibus) fundatio praxim Metropolitaram saltem praeformavit (4).

Quod vero ab Apostolis adumbratum erat, id subsequentibus temporibus ab Ecclesia absolutum et perfectum est. Itaque nomen atque ius Metropolitae progressu temporis, ut diximus, certum fixumque redditum est. Officium autem Metropolitae, semper in Orientali Ecclesia, iam ex saeculo quarto, cum sede Episcopi metropolis provinciae civilis indubitanter coniunctum est (5). Quapropter ille solus Metropolitae nomine dicebatur, qui uni provinciae eiusque Episcopis praeerat.

Inde a saeculo sexto, ut superius diximus, Metropolitae etiam titulum Archiepiscopi tribuere coeptum est. Ratio praefatae attributionis etiam ex eo

(1) CARRANZA B., *o. c.*, t. I. (Canones Apostol. can. 35) p. 19.

(2) In canone nono Concilii Antiocheni legimus: « Per singulas regiones Episcopos convenit nosse Metropolitanum Episcopum sollicitudinem totius provinciae gerere. Propter quod ad Metropolim omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrant. Unde placuit, eum et honore praecellere, et nihil amplius praeter eum caeteros Episcopos agere, secundum antiquam a patribus nostris regulam constitutam, nisi ea tantum, quae ad suam dioecesim pertinent, possessionesque subiectae »; CARRANZA B., *o. c.*, t. I. (Antioch. Conc. can. 9) p. 195-196; Cfr. MILASCH N., *o. c.*, p. 323.

(3) HEFELE C. J., *o. c.*, t. II, pp. 83 sq., 92.

(4) THOMASSIN L., *Vetus et nova Ecclesiae disciplina circa beneficia et beneficiarios*, Magont 1787, P. I, L. I, N. 2; DEVOTI J., *o. c.*, t. I, p. 139, n. 2.

(5) HEFELE C. J., *o. c.*, t. II, pp. 382 sq., 517.

deduci potest, quod Metropolita suae provinciae Episcopis praeeset; idcirco Archiepiscopus vocabatur (6). Successu temporis uterque titulus promiscue ab Episcopis, qui provinciis praesidebant, adhibebatur, etiamsi nomina Metropolitae et Archiepiscopi non idem prorsus significarent. Quilibet Metropolita recte quidem Archiepiscopus nuncupabatur, non vero e converso dicendum est, cum Metropolita semper sub se Episcopos suffraganeos habeat; dantur autem Archiepiscopi, qui non provinciae, sed propriae dioecesi praesint atque Suffraganeos non habent. Archiepiscopi autem titulus, honoris causa, tum Episcopis residentialibus quum Episcopis titularibus dabatur (7). Quapropter Metropolitae nomen officium, Archiepiscopi vero dignitatem denotat (8).

Potestas Metropolitae secundum canones primorum tam generalium, seu oecumenicorum, quam particularium, seu provincialium Conciliorum sat ampla erat et iura longe maxima continebat. Quapropter antiquae Ecclesiae Metropolitanarum iura, saltem in genere, hic recensere opportunum esse duximus. Metropolitanarum enim attributiones, utpote plerumque antiquis canonibus innixae, sequentes recensentur:

1. Convocare Synodum provincialem eique praeesse necnon curare, ut eius decreta in tota provincia observentur.
2. Advigilare atque dirigere Episcoporum electionem.
3. Cheirotonium seu consecrationem in aliorum Episcoporum praesentia conferre.
4. Invigilare Eparchiis provinciae earumque ecclesiastica negotia agere.
5. Curam habere de vacantium sedium administratione.
6. Comprovincialium Episcoporum Eparchias visitare.
7. Recursus adversus comprovinciales Episcopos recipere.
8. Licentiam iisdem Episcopis dare, ut e sua Eparchia abesse possint.
9. Curam habere, ut item Episcopi vacantia officia conferant, eorumque negligentiam supplere.
10. Subditos Episcopos ad alias Eparchias transferre.
11. Condere leges, quae tamen in provincia tantummodo determinati Metropolitanarum suum habebant vigorem (9).
12. Negotia maioris momenti in provincia cognoscere de iisque consilium praebere.

(6) ROMANI S., *Institutio* ..., vol. I, p. 235; Cfr. PAPP-SZILAGYI J., *o. c.*, p. 109; DEVOTI J., *o. c.*, t. I, p. 139.

(7) ROMANI S., *o. c.*, vol. I, p. 235.

(8) CIC, can. 272.

(9) ZHISHMAN J., *Die Synoden und die Episcopal-Aemter in der morgenländischen Kirche*, Wien 1867, p. 84-86.

13. Licentiam dare presbyteris, ut adire possint civilem auctoritatem.

14. Commemorari in divinis officiis (10).

Praefatae enim metropolitanae attributiones in ambitu metropolitanae potestatis inveniebantur, attamen quaedam ex enumeratis Metropolitanarum privilegiis, ut ex inferioribus patebit, non exclusive ad Metropolitam pertinebant. Praecepta et leges ad totam provinciam spectantia in provinciali Synodo, coram Metropolita, considerari debebant. Decisiones autem provincialis Synodi nullum vigorem habebant, si eis metropolitana approbatio deesset, quam approbationem Metropolita denegare poterat, ac eo ipso Episcopus ad novam rei considerationem obligare.

Electio autem Metropolitanarum eo quoque modo procedebat ac electio Episcoporum, scilicet in Synodis provincialibus, cum hac sola differentia, quod confirmatio et electio neoelecti Metropolitae ad Exarcham provinciae spectabat (11). Haec praxis antiquae Ecclesiae, decursu temporis, quodammodo mutata est, cum pro electione Metropolitae praesentia Episcoporum vicinarum provinciarum omnino necessaria esset (12). Sicut in electione Episcopi, ut ex inferioribus patebit, ab Episcopis in Synodo provinciali congregatis, tres candidati metropolitanae dignitatis elegi ac Exarchae pro electionis approbatione praesentari debebant. Haec vero antiquae Ecclesiae disciplina canone 28 Chalcedonensis Synodi confirmata fuit; itidem, more electionis Metropolitanarum relicto, Constantinopolitano Patriarchae ius consecrandi Metropolitas in Eparchiis Asiana, Pontica et Thracica tribuitur (13).

Progressu tamen temporis, electio Metropolitanarum Synodo Patriarchali reservata est (14). Iam saeculis V-VI Synodi patriarchalis indicia cernuntur, in qua participant tum Metropolitae tum Episcopi determinati Patriarchatus, tum Episcopi determinato Patriarchae non subditi. Attamen, posteriori tempore, ius circumscribebatur ita, ut Synodis Patriarchalibus soli Metropolitae interessent. Labente enim tempore Synodus patriarchalis ultra evolvitur, quare iam sub fine saeculi noni organum ordinarium administrationis ecclesiasticae in Patriarchatu effecta est (15).

(10) MILASCH N., *o. c.*, p. 324-325; COUSSA A., *o. c.*, vol. I, p. 290; PAPP-SZILAGYI J., *o. c.*, p. 110.

(11) BALSAMON, in *Fonti*, ser. II, fasc. V, NN. 137, 269.

(12) *Fonti*, ser. II, fasc. V, NN. 269; Cfr. COUSSA A., *o. c.*, vol. I, p. 287-288, n. 366.

(13) «... ordinari autem..., praedictarum dioecesium metropolitanos a Constantinopolitano Episcopo, convenientibus de more factis electionibus et ad ipsum relatis»; PITRA J. B., *o. c.*, t. I, p. 533; Cfr. P. G., t. 137, col. 486; COUSSA A., *o. c.*, vol. I, p. 260-261.

(14) Hoc enim ex commentario Balsamonis in can. 28 Synodi Chalcedonensis et can. 6 Synodi Sardicensis patet. Cfr. P. G., t. 137, col. 486, 1446.

(15) HERMANN AE., *Appunti sul diritto Metropolitico della Chiesa Bizantina*, in «Or. Chr. Per.», t. XIII (1947), N. 3-4, p. 525; Cfr. COUSSA A., *o. c.*, vol. I, p. 282.

Sub hoc vero tempus, probabiliter, electio Metropolitanum ad competentiam Synodi patriarchalis spectare coepit, sicut Ae. Hermann, in citato a nobis opere, affirmat (16). Quid simile Balsamon probare videtur asserens, tempore anteacto Metropolitae in Synodis provincialibus electos fuisse, quod negotium deinde Synodis patriarchalibus reservatum fuit (17).

A primordiis Ecclesiae, secundum disciplinam in canonibus primorum Conciliorum statutam, Synodi metropolitanae seu provinciales bis in anno celebrari debebant (18). In Antiocheno Concilio can. 20 statutum quoque est, ut prima Synodus « quarta septimana pentecostes conveniat », secunda vero Synodus « quinto decimo die mensis Octobris » fiat (19). Attamen iam in secundo Nicaeno Concilio (20), ob itineris molestias, disciplina praecedentium Conciliorum mitigata est ac in 6 can. praefati Nicaeni Concilii sancitum fuit, provinciales Synodos semel in anno celebratum iri (21).

Successu temporis, disciplina annuae Conciliorum provincialium celebrationis paulatim non amplius observata fuit ita, ut Balsamonis tempore omnibus in locis Synodi celebrari desierint (22).

Convocatio autem Synodi provincialis a Metropolita facienda erat et perfectum Concilium illud erat, cui Metropolita interfuerit (23). Synodis provincialibus omnes Episcopi eiusdem provinciae interesse tenebantur, nisi ob iustam causam excusarentur (24). Competentia autem antiquorum Conciliorum provincialium in canonibus condendis et in iudiciis etiam criminalibus ac uni-

(16) « ... ci sembra che si possa affermare senza timore di sbagliare troppo gravemente che non erano trascorsi molti secoli dopo il Concilio di Calcedonia allorchè l'elezione dei Metropoliti divenne competenza del sinodo permanente invece che di sinodi provinciali »; IBIR., p. 532-533.

(17) P. G., t. 137, col. 486, 1446.

(18) « Propter utilitates ecclesiasticas, et absolutiones earum rerum, quae dubitationem, controversiamque recipiunt, optime placuit, ut per singulas quasque provincias bis in anno Episcoporum Concilia celebrentur »; CARRANZA B., o. c., t. I, (Conc. Antioch. a. 341, can. 20) p. 200; (Conc. Nicaen. a. 325 can. 5), p. 155; (Can. Apost. 38), p. 10; PITRA J. B., o. c., t. I, pp. 463, 21, 529; *Fonti*, fasc. IX, NN. 855, 850, 852; MILASCH N., o. c., p. 318.

(19) *Fontes*, fasc. IX, N. 855.

(20) PITRA J. B., o. c., t. II, p. 109; CARRANZA B., o. c., t. II, (Conc. Trullan. a. 692, can. 8), p. 160; (Conc. Nicaen. II. a. 787. can. 6), p. 292. - In Occidente vero inde a saeculo sexto semel in anno, immo saltem alternis annis provincialis Synodi celebratio urgebatur. Ch. KURTSCHIED B., *Historia Institutionum Juris Canonici*, Romae 1941, t. I, p. 141.

(21) ZONARAS, in *Fonti*, Ser. II, fasc. V, N. 82.

(22) BALSAMON, in *Fonti*, Ser. II, fasc. V, N. 256.

(23) PITRA J. B., o. c., t. I, p. 462; Cfr. MANSI J. O., *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio*, t. II, Parisiis 1759, col. 1315.

(24) *Fontes*, fasc. IX, NN. 844, 845, 846; Cfr. ROMANI S., o. c. p. 244.

versa ecclesiastica administratione satis ampla fuit (25). Ad Synodum provincialem quoque erectio novae Eparchiae necnon electio Episcopi pertinebat.

Cum in iure ecclesiastico erectio Eparchiarum, ex quibus corpus Ecclesiae coalescit, haud parvi est momenti, ea arbitrio singularum personarum non relinquebatur (26).

Episcoporum vero electio pro vacante vel noviter erecta Eparchia antiquitus ad Episcopos provinciae ac Clerum populumque determinatae Eparchiae pertinebat (27). Electio autem coram Metropolita, qui primo voto pollebat, facienda erat. Successu autem temporis in electione Episcopi loco populi Optimates partes activas habuerunt (28). Attamen in praefata electione tam populi quam Cleri votum decisivum non erat, eo quod, ut S. Cyprianus testat, ab Episcopis prout de vita ita et de moribus candidati testimonium expectabatur. Quapropter Episcopi libere alium designare potuerunt, si Cleri atque populi electio male facta fuit (29).

Pro novi Episcopi electione praesentia omnium Episcoporum provinciae in Synodo provinciali, canone 4 Concilii Nicaeni (a. 325), in quo nulla est mentio de Cleri populi in electione praesentia praescribitur (30). Attamen si « hoc difficile fuerit, vel aliqua urgente necessitate, vel itineris longitudine » in praefato Concilii Nicaeni canone statuitur, ut saltem tres Episcopi « in unum... congregati » necnon aliorum provinciae Episcoporum in scriptis consensum ferentes ad electionem novi Episcopi procedant.

Quidam Aristenus in sua quarti Nicaeni Concilii canonis interpretatione asserit, quod Episcopi electores tres candidatos pro nova vel vacante Eparchia eligere tenebantur et post factam electionem apud Metropolitam potestas fuit « unum e tribus electis, quem ipse praefert », eligere (31). Similem praefati canonis Concilii Nicaeni interpretationem Balsamon dedit, dum asserit, Episcopos tres candidatos eligere eosque Metropolitae praesentare necnon confirmationem electionis ab ipso postulare teneri. Metropolita vero vel senior Episcoporum provinciae, si Metropolita vacaverit, « ex tribus electis... eum

(25) CARRANZA B., *o. c.*, t. I, (Conc. Constantinop. a. 381. can. 2), p. 289; (Conc. Chalcedon. a. 451. can. 17, 19), p. 508-509; HEFELE C. J., *o. c.*, t. II, p. 17.

(26) « Placuit illud, ut plebes, quae nunquam habuerunt proprios episcopos, nisi ex Concilio plenario uniuscuiusque provinciae et primatis, atque consensu eius, ad cuius dioecesim eadem ecclesia pertinebat, decretum fuerit, minime accipiant »; *Fonti*, fasc. IX, N. 298. Cfr. quoque NN. 296, 297.

(27) MILASCH N., *o. c.*, p. 356-357; COUSSA A., *o. c.*, vol. I, p. 295; *Fontes*, Ser. III, vol. V, NN. 89, 90.

(28) HERMANN AE., *o. c.*, t. XIII, p. 529.

(29) HEFELE-LECLERQ, *Histoire des Conciles*, Paris 1907. t. I, p. 544 sq.

(30) CARRANZA B., *o. c.*, t. I, (Conc. Nicaen. a. 325. can. 4), p. 154; PITRA J. B., *o. c.*, t. I, p. 428.

(31) *Fonti*, Ser. II, fasc. V, N. 148; P. G., t. 137, col. 238.

quem ipse vult, et non ex necessitate » eum qui primus positus est in electione confirmare tenetur (32). Ex quibus patet, Metropolitam in electione Episcopi magna pollere auctoritate, attamen nihil facere posse, si neque tres saltem Episcopi simul congregari potuissent (33).

Attamen nequidem Episcopi, absque licentia Metropolitae, etiamsi multi, Episcopum eligere potuerant. Quapropter in 12 canone Synodi Carthaginesis Episcopis facultas Episcopum eligendi sine scitu Metropolitae denegabatur (34). Hac de causa Antiochena Synodus, in undevigesimo canone, sub poena nullitatis, Metropolitae, pro novi Episcopi electione, obligationem provincialem Synodum convocandi imposuit (35). Si autem vota electorum dividerentur, tunc sententia maioritatis praevalere debet.

Competentia autem multitudinis civium in novi Episcopi electione S. Patribus a primordiis non placuit, idcirco decreverunt « a provincialibus Episcopis uniuscuiusque provinciae episcopos eligi » (36). Quapropter iam in Concilio Laodicensi, ac deinde in Concilio Nicaeno II, populo votum in Episcopi electione denegatum est (37). Cum et post has praefatarum Synodorum praescriptiones Principes et Optimates ius eligendi Episcopos sibi arrogaverant, quarta Constantinopolitana Synodus contra ipsos insurrexit et canone 22 statuit, quod laici « potius silere, ac attendere » debebant, « usque quo regulariter a Collegio Ecclesiae... electio futuri Pontificis » acciperet finem. Si autem ipsi aliquid adversus « communem ac consentaneam, atque canonicam electionem Ecclesiastici ordinis agere » tentaverint, « anathema sit » (38).

Consecratio vero iam electi Episcopi a duobus, praeter Metropolitam, vel a tribus Episcopis, ut primo Apostolorum canone statuitur (39), fieri potest.

(32) *Fonti*, Ser. II, fasc. V, N. 149; *P. G.*, t. 137, col. 235; CARRANZA B., *o. c.*, t. I, (Conc. Nicaen. a. 325. can. 4), p. 154.

(33) HEFELE-LECLERQ, *o. c.*, t. I, p. 545.

(34) « Placet omnibus, ut, inconsulto Primato cuiuslibet Provinciae, nemo praesumat, licet cum multis Episcopis, in quocumque loco, sine eius praecepto, Episcopum ordinare. Si autem necessitas fuerit, tres Episcopos, in quocumque loco sint, cum Primatis praecepto, ordinare debeant Episcopum »; CARRANZA B., *o. c.*, t. I, (Conc. Carthagin. a. 390. can. 12), p. 316.

(35) *IBID.*, t. I, (Conc. Antiochen. a. 341, can. 19). p. 200; PITRA J. B., *o. c.*, t. I, p. 463; KURTSCHIED B., *o. c.*, t. I, p. 105.

(36) *Fonti*, Ser. II, fasc. V, N. 148.

(37) « ... non sit populis concedendum electionem facere eorum, qui altaris ministerio sunt applicandi »; CARRANZA B., *o. c.*, t. I, (Conc. Laodicen. a. 360, can. 13), p. 264; Cfr. t. II, (Conc. Nicaen. II, a. 787, can. 3), p. 292.

(38) *IBID.*, t. II, (Conc. Constantinop. a. 869, can. 22), p. 488-489; MANSI J. D., *o. c.*, t. XVI, col. 174 sq.

(39) « Episcopum a duobus, aut tribus Episcopis ordinetur »; CARRANZA B., *o. c.*,

Attamen consecrans Episcopus semper pro licentia consecrationis consensum Metropolitae habere debuit, cum « nihil amplius praeter eum [Metropolitam] caeteros Episcopos... secundam antiquam a patribus nostris regulam constitutam » agere possint, « nisi ea tantum, quae ad suam dioecesim pertinent » (40).

Cum Metropolitae variis ex causis (41) consecrationes Episcoporum ad vacantes Eparchias differebant, ex quo mala in determinata Eparchia nascebantur, Synodus Chalcedonensis in canone 24 statuit, ut « intra tres menses fierent Episcoporum ordinationes, nisi forte inexcusabilis necessitas coegerit, ordinationis tempus amplius protelari » et si quis Metropolitanum hoc non observaverit, « ipsum debere ecclesiasticae condemnationi subiacere » (42).

Metropolitanum iura, ut ex superioribus patet, solo humano iure nitebantur, ideo pro temporum conditione ampliari vel restringi potuerunt. Revera successu temporis in Oriente frequentia bella cum infidelibus, ob Arabum et Turcarum invasiones, atque populi christiani reductio effecerunt, ut iura metropolitana diminuerentur ac in favorem Patriarcharum transirent. His non obstantibus, remanebant regiones, ubi Metropolitae antiqua sua iura retinuerunt, quod Acacius Coussa in pluribus a nobis citato opere comprobatur. Ipse tamen cum de Kioviensi Metropolia sermonem haberet, ad inexactam expressionem pervenit, dicens: « In Russia Metropolitae, praeter illum Chioviensem et serius Mosquensem, in omnibus aliis Episcopis aequiparabantur » (43).

Hanc laudati Auctoris expressionem silentio transire non possumus, cum dicta assertio praefati Auctoris quodammodo nostram dissertationem tangere videtur (44). Quapropter hoc in loco notare iuvat, quod in « Russia », sub quo titulo Auctor haud dubie Ucrainam, Moscoviam et Belorussiam intelligit, praeter Kiovienses adhuc Halicienses Metropolitae, qui ab anno 1302/3 ad 1401 annum, cum brevibus intervallis, Haliciensem Metropoliam gubernabant, aderant, necnon iuribus, quibus Kiovienses Metropolitae gaudebant, utebantur. Quare praedicta opinio laudati Auctoris, si sub nomine « Russia » Ucraina, Moscovia et Bielarussia intelliguntur, sustineri non potest.

t. I, (Conc. Apostol. 1), p. II; HEFELE C. J., o. c., t. I, p. 800; SUVOROV N., *Učebnik tserkovnovo prava*, ed. V, Mosquae 1913, p. 333.

(40) CARRANZA B., o. c., t. I, (Conc. Antioch. a. 341, can. 9), p. 196; PAPP-SZILAGYI J., o. c., p. 109.

(41) V. g. ne fructum vacantis Eparchiae amitteret.

(42) CARRANZA B., o. c., t. I, (Conc. Chalcedon. a. 451, can. 24), p. 510; Cfr. BERDNIKOV J. S., *Kratkij kurs tserkovnovo prava pravoslavnoj greko-rossijskoj tserkvi*, Kazan 1913, p. 36.

(43) COUSSA A., o. c., p. 287.

(44) Praeter Kioviensem Metropoliam solum Haliciensis Metropolia in terris, quos Auctor sub nomine « Russiae » sumpsit, usque ad Concilium Florentinum, aderat.

Post Concilium Florentinum (a. 1439) duo aderant Metropolitae, Isidorus nempe et pseudo Metropolita Iona (45), uterque autem Metropolita titulum Kioviensis Metropolitae ferebat.

Post Unionem Berestensem (a. 1596) Kiovienses Metropolitae iuribus suorum praedecessorum pollebant, quae successu temporis revera diminuebantur, attamen in Sedis Apostolicae favorem et non Constantinopolitani Patriarchae. Anno vero 1807, ut dicebamus, Metropolia Haliciensis restaurata fuit et primo Metropolitae Antonio Anhelovyč eadem iura, quae in Bulla «*Decet Romanum Pontificem*» Kioviensi et Haliciensi Metropolitae Michaeli Rahoza data sunt, a Pio PP. VII in Bulla «*In universalis Ecclesiae regimine*» conceduntur (46). Quapropter etiam in restaurata Haliciensi Metropolia Metropolitae eadem ac Kioviensis Metropoliae Metropolitae itidem habuerant iura. Idcirco, si quis sermonem de Metropolitis «*Russiae*» instituat, ampla Orientalium Metropolitarum iura ad solos «*Chioviensem et serius Mosquensem*» Metropolitae, sine ulla de Haliciensi Metropolita mentione, rite restringere minime posse videtur.

Metropolitae Orientales, qui ad unionem cum Sede Apostolica accesserunt, cum iuribus, quibus ante unionem utebantur, remanserunt. Hoc in loco notare oportet, quod ipsi neque ordinationibus Concilii Tridentini (47), neque etiam canonibus Codicis Iuris Canonici directe ac per se tenentur, «*nisi de iis agatur, quae ex ipsa rei natura etiam Orientalem [Ecclesiam] afficiunt*» (48). Porro Metropolitae Orientales suis iuribus, cum quibus ad gremium Ecclesiae Catholicae accesserunt, usque ad nostra tempora gaudentur, exceptis illis, qui postea in propriis Synodis iura sua, secundum Concilii Tridentini ac Codicis Iuris Canonici praescriptiones, modificaverunt.

ART. 2. - METROPOLITAE IN OCCIDENTE.

In Occidente Metropolitae a primordiis eadem iura habebant ac Orientales Metropolitae. At ob abusus et negligentias Metropolitarum, iam ante authenticas compilationes Decretalium iura Metropolitarum a Romanis Pontificibus

(45) Dicimus «*Pseudo Metropolita*», cum Iona neque Romani Pontificis neque Patriarchae Constantinopolitani approbationem in Kioviensem Metropoliam habuit.

(46) WEIYKYJ A., *Documenta* ..., vol. II, N. 871, p. 313-319.

(47) «*Tridentinum, oecumenicum XVIII., quamvis decreta disciplinaria pro integra Ecclesiae vita sananda tulerit ... ita ut praeter dogmatica et cetera decreta quae ex rei natura etiam Orientales respiciunt, nihil ex hoc maximi momenti Concilii decretorum Orientales respiciebat*»; *Fonti*, Ser. III, fasc. VI. p. XII, n. 4.

(48) CIC, can. 1.

arctioribus limitibus circumscribebantur (1). Tali modo in Occidente potestas Metropolitaram paulatim diminuebatur simulque independentia Episcoporum augebatur.

In Decretalium iure vero non paucae praerogativae Metropolitaram retentae sunt et quidem:

1. Ius convocandi Concilia provincialia eisque praesidendi.
2. Confirmatio electionis et consecratio Suffraganeorum.
3. Ius visitandi Eparchias comprovincialium Episcoporum, servatis tamen conditionibus a iure requisitis.
4. Ius acceptandi appellationes in secunda instantia.
5. Iura per devolutionem acquisita, in casibus a iure expressis, supplendi negligentiam Suffraganeorum.
6. Censuras et poenas in casibus a iure expressis infligendi (2).

Post autenticas compilationes Decretalium, confirmatio electionis atque Suffraganeorum consecratio Metropolitae sublatae sunt (3). Hoc enim non ex improvise factum est, cum iam a saeculo quinto Romani Pontifices, licet sibi nondum reservarent nominationem et confirmationem Episcoporum, immediate suam interposuerint auctoritatem in urgenda et exequenda disciplina ecclesiastica quoad electionem atque consecrationem Episcoporum. Praesertim vero Innocentius PP. I (a. 404) praescripsit: « ut extra conscientiam Metropolitanus Episcopi nullus audeat ordinare Episcopum » (4).

Inde a Romanorum Imperatorum ad christianismum conversione paulatim isti sibi quasdam partes in Episcoporum electione vindicare coeperunt. Quamvis etiam Ecclesia in eligendis Episcopis studuit obtinere consensum Imperatorum, inde nequaquam sequitur ex iure quodam, illa aetate, absque consensu Imperatorum Episcopos valide novum Episcopum eligere non potuisse. At tamen successu temporis influxus saecularium in Episcoporum electionem tam magnus fuit, quod anno 615 rex Francorum, Chlotarius II, in edicto, quo canones Concilii Parisiensis V (a. 614) aprobavit, canonem secundo dicti Concilii clausulam addidit, quod Episcopus « per ordinationem principis ordinetur ». His de causis non semel delictum simoniae accessit, idcirco certamen Ecclesiam inter et principes exortum est, quod, quoad substantiam, in dissidio de investituris in favorem Ecclesiae finem habuit (5). Unde in Concilio Lateranensi II (a. 1139), canone 28, electio Episcoporum, excluso populo, ad Capitula ecclesiastica cathedralia delata est, quod ius in authenticis collectionibus

(1) WERNZ F. X., *o. c.*, t. II, 2, p. 509; AICHNER S., *o. c.*, p. 394.

(2) WERNZ F. X., *o. c.*, t. II, 2, p. 510.

(3) *IBIDEM*.

(4) WERNZ F. X., *o. c.*, t. II, 2, p. 553.

(5) *IBID.*, t. II, 2, p. 554-555.

Gregorii IX et Bonifacii PP. VIII continetur. Solum a saeculo XIV, Romani Pontifices sibi provisionem canonicam Dioecesium reservare coeperunt. Deinde ius commune Decretalium, quo libera electio Episcoporum fuit Capitulis cathedralibus concessa, paulatim, ob iustas causas, commutatum est in novam disciplinam liberae collationis Episcopatum per Romanum Pontificem (6), quod ius in Occidentali Ecclesia hucusque viget.

In Decretalibus Gregorii PP. IX continetur quoque formula iuramenti, quo Episcopi, ante suam consecrationem, promittere debebant se singulis annis sive per se sive per procuratorem limina Apostolorum esse visitaturos, nisi Summus Pontifex obligationem remittat. Haec autem visitatio liminum Episcopis iam ante authenticam compilationem Gregorii PP. IX fuit obligatoria (7). Huius vero obligationis prima vestigia in antiquissima illa praxi, bis in anno celebrandi Concilia provincialia, reperiuntur. Obligatio limina Apostolorum visitandi, in visitatione liminum seu Basilicarum SS. Apostolorum Petri et Pauli, ut ex Concilio Romano anni 1725 facile deduci potest, consistebat iam saeculo quinto S. Leo commemorat et inculcat consuetudinem Episcoporum Siciliae, secundum quam ex Sicilia singulis annis solummodo tres Episcopi ad Concilium, tempore autumnali celebrandum, Romam conveniunt. Porro a S. Gregorio Magno scimus, praedictos Episcopos singulis trienniis Romam proficiscendi coactos fuisse, sed ob haud levia incommoda ipse illud tempus ad quinquennium prorogavit (8). Post hanc aetatem paulatim introducta est obligatio, ut, imprimis ex saeculo undecimo, Metropolitae palium petitori atque mox etiam Episcopi sive per se sive per nuntium, statutis temporibus, limina Apostolorum visitarent.

Successu autem temporis plurimi Episcoporum, per specialia indulta apostolica, ab onere limina Apostolorum visitandi eximebantur. Haec indulta Alexander PP. IV Constitutione «*Importuna*», die 3 Augusti 1257, penitus abrogavit. Hanc antiquam disciplinam circa liminum visitationem Sixtus PP. V die 20 Decembris 1585, Const. «*Romanus Pontifex*», novo vigori restauravit. Papa Benedictus XIV hanc disciplinam etiam ad Praelatos nullius extendit. Denique S. Pius X nova quadam ratione tempus et modum relationis in visitatione liminum Apostolorum faciendae ordinavit, quae constitutio in Codicem Iuris Canonici relata est (9).

Finis autem illius visitationis, ut patet, non solum est pia peregrinatio, in qua Antistites debita veneratione prosequantur SS. Apostolos, qui suo

(6) IBID., t. II, 2, p. 555.

(7) IBID., t. II, 2, p. 575.

(8) IBIDEM.

(9) CIC, can. 340; Cfr. ROMANI S., o. c., vol. I, p. 268; CAPPELLO F. M., o. c., vol. I, p. 493-496.

sanguine Urbem Romam consecrarunt, sed maxime ut S. Petri successorem singulari modo honorent et viva voce, melius quam per scriptas epistulas, de pastoralis suo officio et statu suae Ecclesiae rationem reddant atque vicissim monita et consilia cum obedientia accipiant, quo arctioribus vinculis cum supremo Ecclesiae Pastore coniuncti, eo fortius et maiore cum zelo religionem christianam promoveant (10).

Metropolitum autem iura, in Decretalibus Gregorii PP. IX compilata, suam vim labentibus saeculis usque ad Tridentinum Concilium non amiserunt. Tridentinum enim Concilium quoad substantiam praerogativas metropolitanas, iure Decretalium definitas, non immutavit, attamen iura ablata non restituit, imo alia quoque iura sustulit vel limitavit (11).

Metropolitae, ut diximus, ordinariam habent potestatem, quae ius metropolitum, auctoritas metropolitana vel lex metropolitana vocatur. In suos autem Suffraganeos atque eorum subditos et Eparchias nihil possunt praeter hoc, quod in iure, iuxta vigentem Ecclesiae disciplinam, ipsis expresse fuerit concessum (12). Iurisdictio autem Metropolitum, quae iure Decretalium a Concilio Tridentino reformato nititur, sequens dumtaxat agnoscebatur:

1. Singulis trienniis Suffraganeos ad Concilium provinciale convocandi eique praesidendi (13).

2. Eparchias comprovincialium Episcoporum visitandi, postquam suas Eparchias visitarunt atque causa in provinciali Concilio approbata fuit (14).

3. Suffraganeos in erectione et conservatione dioecesani Seminarii negligentes corripiendi et complendi (15).

4. Sententias iudiciales in causis civilibus vel criminalibus, a Suffraganeis in prima instantia tamquam ab Ordinariis latas et per legitimam appellationem ad Tribunal metropolitanum dilatas, reformandi vel confirmandi.

5. Recursus sive querimonias ab ordinationibus extraiudicialibus Suffraganeorum admittendi, ast, saltem ordinarie, cum solo effectui devolutivo (16).

6. Suffraganeos Episcopos ab Eparchia absentes, sub poena interdicti

(10) Cfr. CARRANZA B., *o. e.*, t. IV, (Conc. Romanum a. 1725, tit. XIII, Cap. I) p. 548.

(11) *Concil. Trid.*, *o. e.*, Sess. XXIV, Cap. 2, de ref.

(12) Cfr. CARRANZA B., t. I, (Conc. Antioch. a. 341, can. 9) p. 195-196; WERNZ F. X., *o. e.*, t. II, 2, p. 517-518 et n. 134.

(13) *Conc. Trid.* Sess. XXIV, Cap. 2, de ref.

(14) *IBID.*, Sess. XXIV, Cap. 3, de ref.

(15) *IBID.*, Sess. XXIII, Cap. 18, de ref.

(16) WERNZ F. X., *o. e.*, t. II, 2, p. 519.

ingressus ecclesiae eo ipso incurrenda, infra tres menses per litteras Romano Pontifici denuntiandi (17).

7. Ex iure devolutionis Vicarium capitularem et Oeconomum nominandi, si vacante Sede intra octiduum Capitulum iure suo usum non sit aut male usum sit, v. g. non idoneos constituit, item beneficia vacantia conferendi (18).

8. Regulares exemptos ad praedicandum verbum Dei, quum id negligunt, compellendi (19).

Ex supra dictis facile patet, Metropolitae post Concilii Tridentini decisiones revera nulla in Suffraganeos competeat iurisdictio. Tantummodo circa quaedam disciplinae capita quoddam inspectionis genus et ius devolutionis, vi cuius Metropolitae comprovincialium Episcoporum aut negligentiam in Eparchiae gubernatione aut aliqua ab iis non recte facta corrigere valebant. Iura autem et praerogativae Metropolitanarum occidentalium adhuc magis canonibus Codicis Iuris Canonici circumscripta sunt (20).

Cum vero Metropolita sit Episcopus residentialis, in sua dioecesi eodem regitur iure ac comprovincialis Episcopus in sua dioecesi. Tamquam praeses autem ecclesiasticae provinciae nulla legifera et punitiva, sed administrativa quadam ac iudiciali pollet potestate (21), quod ex canonibus Codicis Iuris Canonici deduci potest (22).

Quoad celebrationem provincialium Conciliorum, a primordiis etiam in Occidente praescriptiones in primis Conciliis sancitae suum vigorem habuerunt. Porro ad Metropolitam pertinebat ius Concilia provincialia convocandi eisque praesidendi. Suffraganei autem praefatis Conciliis, nisi eos iusta causa excusasset, interesse obligabantur. Ex nullo vestigio reperitur, primis saeculis recognitionem vel approbationem quemdam provincialium Conciliorum a Romano Pontifice praescriptam fuisse (23). Comprovinciales Episcopi vero in promulgandis decretis magna libertate usi sunt.

Medio aevo ius constitutum de Conciliis provincialibus in substantia mutatum non fuit, quod solum accidentales et transeuntes mutationes subiit (24). Praxis autem semel in anno Concilium provinciale celebrandi in Occi-

17) *Conc. Trid.*, Sess. VI, Cap. I, de ref.

(18) *IBID.*, Sess. XXIV, Cap. 16, de ref.

(19) *IBID.*, Sess. V, Cap. 16, de ref.

(20) CIC, can. 274-280.

(21) ROMANI S., *o. c.*, vol. I, p. 236; WERNZ-VIDAL, *Ius Canonicum*, ed. II, Romae 1928, t. II, p. 556-557; CAPPELLO F. M., *o. c.*, vol. I, p. 444-447.

(22) CIC, can. 274-280.

(23) WERNZ-VIDAL, *o. c.*, t. II, p. 568 et n. 14.

(24) Saeculo nono vero in Conciliis provincialibus etiam Chorepiscopi memorantur, postea ex XI saec. quandoque a Legatis Sedis Apostolicae Concilia provincialia convocabantur.

dente, lege scripta et universali, in Concilio Oecumenico in Occidente celebrato, Lateranensi IV (25), approbata fuit. Attamen postea actum est, ut Concilia provincialia tertio quoque anno convocarentur, quod a Martino PP. V anno 1425 approbatum fuit (26). Tridentinum autem Concilium decretum de triennio innovavit aliaque decreta, uti diximus, publicavit, at recognitionem vel confirmationem decretorum provincialium Conciliorum a Sede Apostolica nondum praescripsit. Haec recognitio a Sixto PP. V (Const. « *Immensa* », 22 Ianuarii 1589) obligatorio modo praecepta, S. Congregationi Concilii fuit demandata. Ius constitutum de Conciliis provincialibus celebrandis inde a Sixto PP. V immutationem non subiit. Nequidem subsequentibus saeculis disciplina celebrationis provincialium Conciliorum mutata fuit, et hoc, quod schemate Vaticano (27) proponebatur, ut Concilia provincialia quinquenniis celebrarentur, vim scriptae legis nondum obtinuerat.

Secundum ius novum, in Codice Iuris Canonici et quidem in canone 283 expressum, Concilium provinciale celebrandum est saltem vigesimo quoque anno. Locus autem, quo Concilium provinciale celebrari debet, cathedra metropolitana maxime conveniens est, attamen si aliqua obstacula quoad celebrationem Concilii provincialis in praefata ecclesia inveniantur, ad quem pertinet convocatio alium locum intra provinciae territorium designare potest, auditis tamen omnibus, qui assistere debent, cum suffragio deliberativo (28).

Ius Concilium provinciale convocandi etiam secundum Codicem Iuris Canonici apud Metropolitam verum (29) cuiusque provinciae ecclesiasticae, post pallii acceptionem, invenitur (30). Si autem Metropolita fuerit impeditus aut sedes metropolitana vacet, ius Concilium provincialem convocandi ad Suffraganeum, promotione antiquiorem, spectat.

Ad Concilium provinciale, semper secundum Codicem Iuris Canonici, convocandi sunt et cum voto deliberativo convenire debent:

1. Omnes Episcopi Suffraganei sive comprovinciales dioecesium provinciae, post Bullas provisionis suae rite praesentatas, etiamsi nondum sint consecrati (31). His omnino aequiparantur Administratores Apostolici et Coadiutores Episcoporum, itemque Vicarii Capitulares et Vicarii aut Praefecti Apostolici (32).

(25) CARRANZA B., *o. c.*, t. III, (Conc. Lateran. IV a. 1215, Cap. 6) p. 39.

(26) WERNZ-VIDAL, *o. c.*, p. 569.

(27) MANSI J. D., *o. c.*, t. I, col. 231 sq., 344.

(28) CIC, can. 284.

(29) Verus enim Metropolita ille est, cui alii Episcopi subduntur.

(30) CIC, can. 276.

(31) *Conc. Trid.*, Sess. XXIV, Cap. 2, de r. f.

(32) CIC, can. 286.

2. Episcopi exempti vel Praelati nullius necnon Archiepiscopi Suffraganeos non habentes; ii quippe omnes, semel pro semper, praevia Sedis Apostolicae approbatione, tenentur ex vicinis Metropolitae unum sibi eligere, in cuius Concilio provincialibus cum aliis interesse debent. Decisiones praefatorum Conciliorum etiam in ipsorum territoriis vim habent, etiamsi territoria ipsorum ad provinciam ecclesiasticam Metropolitae non pertineant (33).

3. Episcopi titulares autem, in provincia constituti, non habent strictum ius, ut cum voto decisivo ad Concilium provinciale vocari debeant; attamen a Praeside Concilii cum consensu maioris partis Suffraganeorum vocari possunt. Tunc voto deliberativo gaudent, nisi aliud expresse in convocatione cautum fuerit, attamen non gaudent praecedentia supra ceteros, etiamsi antea consecrationem acceperint (34).

Cum voto consultativo vocandi et admittendi sunt:

1. Procuratores capitulorum cathedralium vel Consultorum dioecesanorum cuiusvis dioecesis, cuius Ordinarius intervenire debet.

2. Superiores maiores Religionum clericalium exemptarum ac Congregationum monasticarum, qui in provincia resideant (35).

Postquam Concilium provinciale in forma legitima constitutum et apertum est ad normam canonis 1406, tum ab ipso Concilii Praeside tum a ceteris qui intersunt, emissio professionis fidei necessaria est. Penes Metropolitam, vel qui locum eius tenet, sed ad instar praesidis alicuius senatus, sit vera directio negotiorum. Metropolita enim in Synodo provinciali potius primus inter pares et unum suffragium decisivum ad instar suorum Suffraganeorum habet. In Synodo provinciali penes collegium Praelatorum, voto decisivo pollentium, est suprema potestas, quae per vota maiora, etiam contra Metropolitam, cum minore parte votum ferentem exercetur (36). Metropolita quamvis solus, pro suo iure Concilium provinciale convocet, tamen Synodum legitime congregatam absque consensu Episcoporum comprovincialium prorogare aut dissolvere nequit (37). Itidem, inchoato Concilio, nemini eorum, qui interesse debent, discedere licet, nisi ob iustam causam, a Concilii Patribus probatam (38).

Constitutio autem Concilii provincialis rite facta est, si eidem praesidet Metropolita, vel is, qui legitime eius vices gerit, necnon si saltem Praelati, voto decisivo instructi, conveniant. Ad Concilium provinciale rite constituen-

(33) *IBID.*, can. 285; *ROMANI S., o. c., vol. I, p. 239.*

(34) *CIC*, can. 286, § 2.

(35) *IBID.*, can. 268, §§ 3, 4; *ROMANI S., o. c., vol. I, 240.*

(36) *WERNZ-VIDAL, o. c., t. II, p. 577.*

(37) *CIC*, can. 288.

(38) *IBID.*, can. 289; *WERNZ-VIDAL, o. c., t. II, p. 574-575; ROMANI S., o. c., vol. I, p. 241.*

dum non requiritur, ut omnes et singuli, qui voto decisivo pollent, congregentur, cum ad hoc duae tertiae partes cum legitimo Praeside sufficiant (39).

Potestas ac competentia Concilii provincialis optime ordinaria vocari potest, cum iuris dispositione atque iure nomineque proprio exercetur. Versatur autem haec potestas circa rem ecclesiasticam determinatae provinciae et est legifera, administrativa, iudicialis et coërcitiva (40). Hae partes enim potestatis seu competentiae de iure praecedenti, firmatae etiam in iure Codicis, si saltem potestas iudiciaria hodie vix practica excipiatur, satis in ambitu competentiae per canonem 290, definito pro Concilio provinciali, indicantur (41).

Concilii provincialibus per Romanum Pontificem, Litteris Apostolicis in communi vel etiam specifica forma, confirmatio dari potest, attamen de iure non est necessaria et ex disciplina vigenti ordinarie saltem in forma specifica non conceditur. Metropolita autem, vel qui eius vices gerit, antequam Concilium provinciale licite et valide promulget, acta omnia et decreta ad Sedem Apostolicam transmittere debet, ut ibidem S. Congregatio Concilii, aut, pro suo quaque territorio, S. Congregatio de Propaganda Fide vel S. Congregatio pro Ecclesia Orientali, eadem expedierit et recognoverit, id est, declaraverit nihil obstare quominus promulgentur (42). Post acceptam Sedis Apostolicae approbationem, Praesidis est promulgationem curare, iuxta formam a Patribus rite definitam, quae praestat ut sit instantanea, quam appellant, ita scilicet, ut eodem tempore ubique vigere in territorio conciliario incipiat.

Qua promulgatione facta, consumptaque vacatione, decreta vigere incipiunt in universo Concilii provincialis territorio. Idcirco etiam Metropolita decretis conciliaribus fit subiectus, neque solus illa immutare vel abrogare valet imo ne interpretari quidem authentice potest, nisi Concilium provinciale ipsi hanc facultatem concesserit. Facultas vero dispensandi in decretis Concilii provincialis, ex rerum natura, locorum Ordinariis non datur; at vero ius ipsum eis hanc facit potestatem veluti delegatam a iure, uti aiunt, dummodo agatur de casibus particularibus et iusta de causa (43).

(39) WERNZ-VIDAL, *o. c.*, t. II, p. 575 et n. 44.

(40) ROMANI S., *o. c.*, vol. I, p. 239.

(41) « Patres in Concilio ... provinciali congregati studiose inquirent ac decernant, quae ad fidei incrementum, ad moderandos mores, ad corrigendos abusos, ad controversias componendas, ad unam eandemque disciplinam servandam vel inducendam, opportuna fore pro suo cuiusque territorio videantur ». CIC, can. 290.

(42) ROMANI S., *o. c.*, vol. I, p. 242; WERNZ-VIDAL, *o. c.*, t. II, p. 577-578.

(43) CIC, can. 291; Cfr. can. 82; WERNZ-VIDAL, *o. c.*, t. II, p. 579; ROMANI S., *o. c.*, vol. I, p. 242.

ART. 3. — DE ARCHIEPISCOPO MAIORE.

Exposita figura iuridica Metropolitaram in Oriente Occidenteque in genere antequam iura, privilegia et praerogativas Haliciensis Metropolitae exponamus, quae nihil aliud sunt quam praefatarum iurium olim Kioviensi Haliciensique Metropolitae spectantium ad Haliciensem Metropolitam extensio, opus est ut hoc in loco quaedam ex Codificatione Canonica Orientali, a Sancta Sede nuperrime promulgata, considerationi subiiciamus.

Notare debemus, Pium PP. XII Apostolicis litteris « *Cleri sanctitati* », Motu proprio (2 Iunii 1957) datis, de iuribus, privilegiis et praerogativis Archiepiscopi maioris decernere (1); quae eadem sunt ac Metropolitaram Kioviensium Haliciensiumque. In fontibus vero Codificationis Canonicae Orientalis, cum de Archiepiscoporum maiorum nominatione, confirmatione, consecratione, privilegiis, iuribus ac praerogativis sermo est, tanquam unicum Archiepiscoporum maiorum fundamentum sola appellatur Bulla « *Decet Romanum Pontificem* » (2). Haec autem Bulla a Papa Clemente VIII unice pro Metropolitans Kioviensibus Haliciensibusque data fuit. Nuperrime Pius PP. XII per suas Apostolicas litteras « *Cleri sanctitati* » ex praefata Codificatione tanquam ex fonte eruit suam de Archiepiscopo maiori legislationem. Ex hoc facile patet, Metropolitae Kioviensi Haliciensique titulum Archiepiscopi maioris spectare.

Cum autem Pius PP. VII Bulla « *In Universis Ecclesiae regimine* » (24 II. 1807) Haliciensem restaurasset Metropoliam, eiusdem Metropolitans tribuit eadem iura, privilegia et praerogativas, quae olim Clemens VIII Kioviensibus Haliciensibusque Metropolitans concessit. Revera Pius PP. VII sequenti exprimitur modo: « ... nostro et Sedis Apostolicae Nuntio Viennae Austriae commoranti, per praesentes committimus, ut ... Leopoliensi Ecclesiae titulum alterius Ecclesiae Haliciensis ... uniat, ac perpetuis futuris temporibus unitum esse ac fore declaret, et nostro nomine decernat ita, ut quicumque in posterum Cathedram Leopoliensem canonice occupaverit, una simul nuncupetur et inscribatur Leopoliensis et Haliciensis Ecclesiarum Praesul, et deinde ... in Ecclesias Archiepiscopales Rutheni Ritus unitas et Metropolitanam pro uno Archiepiscopo, qui palii et crucis usum more Archiepiscoporum eiusdem ritus habeat, aliisque gaudeat privilegiis, praerogativis, honoribus et iuribus similibus

(1) Cfr. Litterae Apostolicae, Motu proprio datae « *Cleri sanctitati* », Typ. Vaticana 1957, can. 324 sq.

(2) CCO, *Fonti*, fasc. I, P. I p. 25-29; Cfr. WELYKJY A. *Documenta* ..., N. 152, p. 266-268.

Archiepiscopis debitis et concessis, quibus omnibus pro tempore existentes huius Leopoliensis et Haliciensis Ecclesiarum invicem, ut praefertur, unitarum Archiepiscopi uti, frui, potiri et gaudere possint, et valeant ac etiam debeant Apostolica nostra huiusmodi sibi delegata auctoritate ipsarum tenore praesentium perpetuo erigat et instituat ita, ut dictarum Leopoliensis et Haliciensis Ecclesiarum unitarum Praesules omnia et singula, quae ad similes Ruthenae Nationis et Ritus Archiepiscopos in eorum civitatibus munus exercendum de iure, usu, consuetudine aut alias quomodolibet spectare et pertinere solent ac debent, gerere, facere et exercere libere ac licite possint, plenam et omnimodam auctoritatem tenore praesentium concedere et impertiri nostro nomine possit et valeat » (3).

De episcoporum propositione et electione Romanus Pontifex his utitur verbis: « Eidem insuper futuro ac pro tempore existenti Leopoliensi et Haliciensi unitarum Ecclesiarum Metropolitae, attentis peculiaribus circumstantiis et de speciali indulgentia, facultatem concedimus, nominatos ad suas suffraganeas Episcopales Ecclesias Kelmensem et Premisliensem, dummodo iis dotibus praediti sint, quae, ut supra dictum est, requiruntur, auctoritate et nomine Sedis Apostolicae confirmandi et instituendi, *munusque consecrationis impendendi iisdem modo ac forma, quibus facultas huiusmodi Metropolitano Kioviensi ab antedicto Papa Clemente Octavo Praedecessore Nostro per suas Apostolicas litteras ... fuerat elargita* » (4).

Ex supradictis clare patet, ut diximus, Haliciensi Metropolitae eadem iura et privilegia concessa esse, quibus Kiovienses Haliciensesque Metropolitae gaudebant et utebantur. Cum Bullam restorationis Haliciensis Metropolitae « *In universalis Ecclesiae regimine* » inspiciamus, clare patet, ipsam ad hanc « *Decet Romanum Pontificem* » se revocare, atque iura a Clemente VIII Kioviensi Haliciensiue Metropolitae concessa a Pio VII ad Haliciensem Metropolitam extendi. Revera Pius VII Metropolitae Haliciensi concessit: « ... omnia et singula, quae ad similes Ruthenae Nationis et Ritus Archiepiscopos in eorum civitatibus munus exercendum de iure, usu, consuetudine aut alias quomodolibet spectare et impertiri nostro nomine possit et valeat » (5). Sed quinam erant Archiepiscopi quibus Romanus Pontifex Haliciensem Metropolitam aequiparat? Kiovienses erant Metropolitae sine dubio. De cetero appellatio ad consuetudinem nonnisi ad Kioviensium Metropolitanarum consuetudinem haberi potest, cum praeter hos in antiqua Kioviensi Metropolia nulli

(3) WELYKYJ A., *Documenta*, vol. II, N. 871, p. 315-316.

(4) WELYKYJ A., *Documenta* ..., vol. II, N. 871, p. 317.

(5) *IBIDEM*, p. 316.

fuissent ad quos haec consuetudo referri possit. Ex his facile patet, omnia iura et privilegia Kioviensium Haliciensiumque Metropolitaram Metropolitae restauratae Haliciensis Metropoliae fuisse concessa.

Unde concludere licet, si Halicensi Metropolitae eadem iura, privilegia et praerogativae concessa sunt, quibus olim Kiovienses Haliciensesque Metropolitae fruebantur et cum his ultimis titulus Archiepiscopi maioris, propter haec amplissima iura, spectat, evidenter dictus Archiepiscopi maioris titulus etiam Haliciensibus Metropolitae propter eandem amplissimam iurium possessionem spectare debet, et revera spectat, etiamsi quidam auctores de hac Metropolia, forse ob defectum bibliographiae, sileant, vel ob imperfectam fontium interpretationem eiusdem Metropoliae dignitati et iuridicae figurae detrahant. — In his rebus praevalet mens Legislatoris super auctorum et doctorum subtilissimos etiam tractatus. —

CAPUT SECUNDUM

DE PECULIARI FIGURA IURIDICA METROPOLITARUM HALICIENSII

Postquam, tam Orientalium quam Occidentalium Metropolitaram iuris atque privilegiorum lineamenta tradidimus, in praesenti capite de peculiari iure Metropolitaram Haliciensium sermonem instituere opportunum ducimus, quod hodie ius canonicum orientale nomine Archiepiscopi maioris comprehendit.

Quatuor in articulis materiam delineare studebimus. In primo nempe articulo de Metropolitaram cum Apostolica Sede relationibus agemus, in secundo Metropolitaram in sua provincia potestatem perstringemus, in tertio de Synodis provincialibus tractabimus, quarto denique in articulo de Metropolitaram Haliciensium in Religiosos potestate sermonem instituemus.

Attamen, ut iam antea fecimus, quaedam huiusmodi rei tractationi praemittere existimamus opportunum.

Iam in praecedenti capite, uti diximus, de iuribus Metropolitaram tam Orientalium quam Occidentalium in genere locuti sumus, nec non figuram Archiepiscopi maioris innuimus. In praefato capite notavimus quoque, quod antiqua iura apud quosdam Metropolitae, quos inter Metropolitae Kiovienses et Halicienses recensentur, in integro in posterum remanserunt. Ex hoc patet, Metropolitae Kiovienses et Halicienses tam ante quam post receptam unionem cum Romana Sede, nonnullis minoris momenti mutatis (1), antiquis suis iuribus fruebantur, quae tamen, successu temporis, diminuta sunt.

Cum vero de iuribus Metropolitaram Kioviensium et Haliciensium, sive ante (2) sive post (3) unionem Ecclesiae Ucrainae cum Apostolica Sede, quidam auctores ex professo locuti sint, nobis nihil aliud remanet quam de iuribus

(1) Videsis Bullam « *Decet Romanum Pontificem* »; WELKYJ A., *Documenta*, .. vol. I, N. 152, p. 266-268.

(2) LOZOVEI P. P., *De Metropolitaram Kioviensium Potestate*, (Dissertatio ad Lauream in facultate Iuris Canonici Pontificiae Universitatis Gregorianae, nondum edita) Romae 1951-1952.

(3) KAMINSKYJ E., *De Metropolitaram Kioviensium Catholicorum Potestate* (Dissertatio historico-iuridica ad Lauream in Facultate Theologica assequendam in Pontificia Universitate Urbaniana de Propaganda Fide, nondum edita), Romae 1954.

Metropolitanarum restauratae Haliciensis Metropoliae sermonem instituere.

In Bulla restorationis dictae Metropoliae, quae incipit: « *In universalis Ecclesiae regimine* », Metropolitae Halicensi eadem iura ac praerogativae conceduntur, quae a Clemente PP. VIII in Bulla « *Decet Romanum Pontificem* » Kioviensi atque Halicensi Metropolitae data fuerunt. Idcirco in nostra iurium Metropolitanarum Halicensium illustratione iura Metropolitanarum Orientalium antiquae Ecclesiae atque Kioviensium et Halicensium Metropolitanarum cum iuribus Metropolitanarum restauratae Haliciensis Metropoliae comparare, necnon differentiam potestatis Metropolitanarum Occidentalium ab Halicensium Metropolitanarum potestate perstringere conabimur.

ART. 1. — DE METROPOLITARUM ERGA APOSTOLICAM SEDEM RELATIONIBUS.

1. Secundum antiquam praxim Ecclesiae Orientalis, Metropolitanarum electio ab Episcopis determinatae provinciae fiebat, quae praxis successu temporis quodammodo mutata est, cum ad Metropolitam eligendum praesentia Episcoporum vicinarum provinciarum omnino necessaria fuerit (4). Congregati autem Episcopi tres candidatos eligere tenebantur, ex quibus unus ab Exarcha provinciae confirmabatur atque consecrabatur (5). Haec vero antiquae Ecclesiae disciplina canone 28 Chalcedonensis Synodi confirmata fuit. Successu temporis, electio Metropolitanarum non ad Synodos provinciales, sed ad patriarchales, ut in praecedenti capite vidimus, Synodos itidem spectare coepit (6).

Cum Kioviensis Metropolia, sub fine saeculi decimi, initium suum habuit, haud dubie Pastores pro hac Metropolia iam non a provincialibus, sed a patriarchalibus Synodis eligebatur.

Primi Kiovienses Metropolitae natione graeci fuerunt, necnon a Synodo patriarchali electi atque in Rus'-Ucrainam missi sunt. Brevi tamen post, in Kioviensi Cathedra Hilarionem, a principe Kioviensi Jaroslao, anno 1051, et Clementem, ab Izjaslav Kioviensi principe, anno 1147, ucrainos ambo, nominatos vidimus (7). Paulo post, anno 1162, princeps Kioviensis Rostyslav Metropolitam Joannem IV, a Patriarcha Constantinopolitano, Luca Chrysoberges, Kioviam missum, acceptare noluit ac haud absque paucis Imperatoris, Manuelis I Komnenos, instantiis « pro hac vice ob honorem et amorem Impera-

(4) CO, *Fonti*, Ser. II, fasc. V, N. 269; Cfr. COUSSA A., o. c., vol. I, p. 287-288, n. 366.

(5) CO, *Fonti*, Ser. II, fasc. V, NN. 269, 173.

(6) Cfr. p. 177 sq.

(7) TOMAŠIVSKYJ S., *Vstup do istoriji ...*, PELESZ J., o. c., t. I, p. 163; BARSOV T. o. c., p. 455.

toris », ut dicebat, cessit, suumque dedit consensum. Attamen Patriarchae comminavit, quod si in futuro absque Principis saltem consultatione in Rus' Metropolita mitteretur, non solum eum non acceptabit, at et legem faciet aeternam: « Metropolitas eligendos et consecrandos esse in Rus' ipsa, cum Magni Ducis consensu » (8). Cum autem regimen principis Rostyslai breve fuisset, provisio sedis metropolitanae Kioviensis et in posterum ad Patriarcham atque Synodum patriarchalem spectabat.

Post annum 1240 non solum graeci, sed et indigeni, alternative, ad Kioviensem Metropoliam eligebantur; anno vero 1302/3, ut in introductione diximus, nova Metropolia et quidem Haliciensis creatur. Sub fine autem saeculi XIV, in Cathedra metropolitana Kioviensi iterum graeci praevalere, qui tamen post Concilium Florentinum a praefatae sedis occupatione omnino exclusi sunt.

His non obstantibus, usque ad saec. XVI, Kiovienses Metropolitae, tam natione graeci quam indigeni, a Synodo patriarchali eligebantur, a Patriarcha tamen consecrationem accipiebant. Quae electionis praxis in Synodo patriarchali praefato tempore etiam indigenos complectebat, ex expressione Metropolitae Kioviensis Alexii (1354-1378) patet, qui testatur se metropolitanam potestatem ab oecumenico Patriarcha atque a Sancta Synodo accepisse (9). Variis ex causis (10) Patriarcharum in Metropolitas Kiovienses potestas in dies deminuebat ita, ut sub fine saec. XV Metropolitae Kiovienses, accepta a Poloniae Regibus nominatione (11), Constantinopolim pro consecratione sese conferebant (12). Labentibus autem annis paulatim in praxim venit legatos tantummodo ad confirmationem a Patriarchis obtinendam mittere; inde, post responsionem Patriarchae receptam, Metropolitae a suis comprovincialibus Episcopis consecrationem accipiebant (13).

Probabiliter, hoc quoque tempore, Metropolitae Kioviensis et Haliciensis electio, in Synodo provinciali, ab Episcopis provinciae perficiebatur ac praedictam electionem sive regia nominatio sive confirmatio neoelecti Metropolitae ex parte Patriarchae subsequiebantur. Saltem in Bulla « *Decet Romanum*

(8) TATIŠČEV V., o. c., t. III, p. 142; SOKOLOV P., *Russkij Archijerej iz Vizantiji i pravo jego naznačeniya do načala XV v.*, Kiovia 1913.

(9) RIB, t. VI, app. N. 9, col. 46, N. 10, col. 54.

(10) RIB, t. VI, N. 62, col. 535.

(11) LIKOWSKI E., *Unija ...*, p. 29.

(12) MARKEVYČ G., *Vybornoje načalo v duchovenstve v drevne-ruskoj, preimuščestvenno jugo-zapadnoj Tserkvi, do reformy Petra*, in « TKDA », t. III, 1881, p. 485; AKZR, t. III, NN. 71, 80.

(13) EUHENIJ, *Opis ...*, p. 112; GIANNELLI C., *A propos de la confirmation du Metropolitae de Kiev Joseph Bolharynovyč par le patriarche oecumenique Joachim I*, in « *Or. Chr. Per.* », t. IX (1943), N. 3-4, p. 450-459.

Pontificem » institutio Metropolitae Kioviensis et Haliciensis « juxta eorum (ucrainorum) morem » facienda dicitur, quae vero post Unionem, ut ex inferioribus patebit, Metropolitanarum Kioviensium et Haliciensium electio ex congregatorum provincialium Episcoporum voto sequebatur (14). Unde facile deduci potest, quod iam ante Unionem Berestensem (a. 1596) Metropolitae Kioviensis et Haliciensis electio ab Episcopis provinciae in usu erat.

In praefata Bulla Clemens PP. VIII institutionem Metropolitae Kioviensis, verbis magis claris atque explicitis, ordinavit et statuit. Dicit enim: « ... cum Sedes Archiepiscopales seu Metropolitanas Ecclesias Kioviensem et Haliciensem praedictas, ... invicem perpetuo vel alias unitas sive annexas, per obitum vel alias quovis modo quamdocumque tam forsan in Romana Curia quam extra eam ubilibet pastoris solatio destitui seu vacare contigerit, volumus et pari motu atque auctoritate perpetuo statuimus et ordinamus, ut is, qui in Archiepiscopum seu Metropolitam iuxta eorum morem illis permissum pro tempore similiter electus seu nominatus fuerit, electionis seu nominationis suae confirmationem, institutionem seu provisionem, nec non et muneris consecrationis licentiam a nobis et a Romano Pontifice pro tempore existente petere et obtinere omnino teneatur et debeat » (15).

Tali modo, sede metropolitana vacante, ab Apostolica Sede Administrator Metropolitae deputatus, Synodum provincialem ad eligendum novum Metropolitam convocare tenebatur (16).

Administrator Metropolitae itidem omnia diligenter disponere, nempe designare locum atque electores cum deliberativo voto convocare debebat. Haud dubie ius eligendi Metropolitam Kioviensem et Haliciensem omnibus Episcopis, etiam nondum consecratis seu nominatis, eiusdem provinciae compete-
 bat (17). Praeter Episcopos, nonnullis in casibus, etiam Protoarchimandritae OSBM, soli vel cum toto Generali Consultorio Ordinis, in Metropolitanarum electionibus voto deliberativo usi sunt. Attamen praesentia Basilianorum in Metropolitanarum electione Episcopis minime placuit, quare non semel sine Basilianorum praesentia Metropolitas eligebant, ex quo semper protestationes Ordinis exoriebantur, necnon res ad Apostolicam Sedem pro solutione differebatur (18).

(14) WEIŁKYJ A., *Documenta* ..., vol. I, N. 152, p. 268.

(15) *IBIDEM*.

(16) « Laudabilis vero usus involuerit Administratorem creandi per Breve in forma Commissoria ad Excellentissimum Nuntium Poloniae expediri solitum ... et sic creato Administratori opportunas pro celebranda novi Metropolitae electione facultates impartiri consuevit ... »; APF, *Scrutt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 7, f. 180 v.

(17) APF, *Scrutt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 14, f. 61 v.

(18) *IBID.*, vol. 5, f. 213; Cfr. quoque, APF, *Congr. Part.*, vol. 93, ff. 80, 93, 174v.; vol. 102, f. 122-123; AS, p. 13.

Haec Ordinem et Episcopos inter luctamina usque ad annum 1743 protrahabantur, quo anno Basiliani in Capitulo Generali Dubnensi victores evaserunt, cum Protoarchimandritae, una cum pleno Generali Consultorio, ius cum voto deliberativo in electione Metropolitaram Kioviensium et Haliciensium interesse concessum est (19). Attamen iam in subsequenti Metropolita Kioviensis et Haliciensis electione, ex expressa Apostolicae Sedis dispositione, votum deliberativum in praefatis Metropolitaram electionibus solum Protoarchimandritae datum fuit (20).

Electioni autem Metropolitae omnes, voto deliberativo pollentes, recepta convocatione, interesse obligabantur et ob legitimas solum causas, sicut in canonibus primaevae Ecclesiae decisa fuit, excusabantur, attamen suum votum tum per Procuratorem (21) tum per litteras (22) ferre poterant.

Metropolita iam vero electo, instrumentum electionis, cum electorum subscriptionibus, Nuntio Apostolico Poloniae mittebatur (23) atque Electus Regi Poloniae pro nominatione praesentabatur. Rex autem, post praesentationem Electi receptam, secundum ius patronatus, ex privilegio Apostolico (24), Electum nominabat seu possessionem beneficiorum ad Metropoliam pertinentium ei conferebat (25) simulque Romanum Pontificem, directe (26) vel mediante Nuntio Apostolico Poloniae, supplicabat, ut electum ac nominatum in Metropolitam Kioviensem et Haliciensem confirmaret seu institueret. Nuntius vero pro tempore in Polonia instrumento electionis necnon Regis ad Romanum Pontificem confirmationis supplicationibus, si Rex supplicationes ad Sum-

(19) APF, *Congr. Part.*, vol. 102, f. 123; WOJNAR M., o. c., p. 80.

(20) APF, *Scrutt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 13, ff. 493 v.

(21) V. gr. pro Leonis Kiška in Metropolitam electione tam Luceoriensis Episcopus Iosephus Wyhowskyj, quam Leopoliensis Episcopus quoque Barlaam Šeptyckyj suos procuratores miserunt. Cfr. PETRČŠEVIČ A. S., *Sv. Lit.*, t. I, p. 70-71.

(22) Ita enim Episcopus Peremyšliensis G. Vynnyckyj ad Praefectum S. Congr. de Prop. Fide scribebat: «Vocatus quidem ego fui ad actum electionis ... cum opposita tamen libera opinione obstante aliqua legalitate in scripto mei suffragii transmittendi, uti et factum est ...»; APF, *Scrutt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 2, f. 500v.; - Alio autem in loco legimus: «Vescovo di Pinsco non potendosi trovare al Congresso ..., vi spedi il proprio fratello Abbate Basiliano ed suo voto in inserito a favore del Polocense»; *IBID.*, vol. 14, f. 69.

(23) APF, *Scrutt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 3, f. 265-268 v.

(24) *Bullarium diplomatum et privilegiorum Sanctorum Romanorum Pontificum*, ed. Taurinensis, Augustae Taurinorum, 1865 t. IX, N. 163, p. 141.

(25) VL, vol. II, pp. 125. 438-439; vol. VII, p. 98; AS, t. II, N. 44, p. 60-61; - Nominatio autem atque supplicatio pro confirmatione candidati in Metropolitam sine praevia electione a Rege facta apud Apostolicam Sedem nulla considerabatur. Cfr. APF, *Lett. (di Mons. Segret.)*, vol. 97, f. 257v.

(26) THEINER A., *Vet. Mon. Pol. et Lith.*, t. III, N. 760, p. 752-753; ASV, *Processus Concist.*, vol. 181, f. 279.

mun Pontificem directe non mittebat, receptis, apud se testes secrete convocabat, ad processum informativum super vita, moribus, idoneitate electi Metropolitae compilandum. Deinde praedictum processum peractum Nuntius, una cum instrumento electionis atque Regis supplicatione, si eas haberet, Romam mittebat. Romae vero Romanus Pontifex, in Concistorio secreto, electum et nominatum in Metropolitam Kioviensem et Haliciensem proponebat (27) atque, si necessarium, ad aliam Ecclesiam transferebat. Deinde, mediante Poloniae Nuntio, ab Apostolica Sede Bulla provisionis Metropolitae, secreta via atque gratis, mittebatur. In ea Romanus Pontifex supplicationi Regis Poloniae annuens, de more Electum in Archiepiscopum Metropolitam Kioviensem et Haliciensem praeficiebat atque ei plenam curam praefatae Metropolitae secundum Bullam « *Decet Romanum Pontificem* » committebat et caput comprovincialium Episcoporum constituerebat.

Metropolita solum post iuramenti fidelitatis et obedientiae erga Romanum Pontificem, in manus Praelati a Romano Pontifice designati, iuxta adnexam Bullae provisionis formulam, emissionem, atque quantocius Romam eiusdem missionem, regimini et administrationi Metropolitae sese immiscere poterat.

Secundum dictas normas omnes Metropolitae Kiovienses et Halicienses, cum Apostolica Sede communicantes, praeter Hypatium Potij (a. 1600-1613) Antonium Sielava (a. 1640-1655) et eos qui vi coadiutoriae cum futura successione Metropoliam occupabant, instituti sunt (28).

Haec forma Kioviensis et Haliciensis Metropolitae Bulla Pii PP. VII « *In universalis Ecclesiae regimine* » Metropolitae Haliciensi restauratae applicata fuit (29). Institutio autem primi Metropolitae Haliciensis a praecedenti praxi solummodo in hoc, quod nominationem atque postulationem Imperatoris Austriae Francisci I praevia electio non antecedeat ac ob pallii receptionem, differebat. Notare iuvabit, quod hoc tempore Antonius Anhelovyč, primus Metropolita restauratae Haliciensis Metropolitae, unus Episcopus in Haliciensi provincia fuit, unde electio in Synodo provinciali impossibilis evasit.

2. Ex antiquissima praxi Ecclesiae obligatio ad limina accedendi, uti in praecedenti articulo diximus, non fuit statuta. Cuius obligationis prima vestigia inveniuntur in antiquissima praxi bis, deinde semel, in anno Concilia provincialia celebrandi. Terminus autem « limina Apostolorum », ut diximus, ab Ecclesia Romana et quidem ab illa praxi bis in anno celebrandi Concilia provincialia Episcoporum Italiae, qui ad provinciam Romani Pontificis specta-

(27) ASV. *Arch. Congreg. Concist., Acta Camerarii*, vol. 21, f. 94v., vol. 24, f. 122; vol. 26, f. 15v, 16; vol. 29, f. 194v; vol. 33. f. 222v; vol. 39, f. 159v-160.

(28) КАМИНСКИЙ Е., *о. с.*, p. 84 sq.

(29) WEZYKYJ A., *Documenta* vol. II. N. 871, p. 313-319.

bant, originem ducit. In Oriente vero ex obligatione bis, deinde semel, in anno Concilia provincialia celebrandi, successu temporis, obligatio patriarchas, praesertim Constantinopolitanos, visitare et rationem de statu Ecclesiae reddere exorta est.

Unde Metropolitae Kiovienses et Halicienses, ante Berestensem Unionem, iuxta canones et vi suae a Patriarcha Constantinopolitano dependentiae, initio singulis annis Patriarcham visitare ac Synodis patriarchalibus interesse tenebantur. Attamen ob locorum distantiam, difficultates et itineris pericula, Patriarcha Philoteus, anno 1354, Metropolitae Kioviensi Alexio indulsit, ut saltem alternis annis huic obligationi satisfaceret. Si autem hoc ex quacumque ratione solus facere nequiret, clericum suum, debitum facultatibus munitum, de quaestionibus Ecclesiam respicientibus interpellantem mittere debebat (30). Attamen Alexius in posterum, si eius iter Constantinopolim versus ad certamina cum Romano, qui a principe Olgerd in Kioviensem itidem Metropolitam nominatus fuit, finienda excipimus, non personaliter, sed per legatos huic obligationi satisfecit (31).

Successu autem temporis Metropolitae Kiovienses, si quidam casus, in quibus ipsi personaliter Constantinopolim iter arripiebant, excipiuntur, solum litteris Patriarchas de rebus ecclesiasticis edocere atque ab iis necessarias instructiones ac provisiones obtinere studebant, quae praxis usque ad Berestensem Unionem (a. 1596) duravit.

Inde a Berestensi Unione Metropolitae Kiovienses et Halicienses, vi iuramenti et obedientiae, quod in sua institutione in Metropolitas erga Romanum Pontificem praestaverunt, singulis quadrienniis limina Apostolorum visitare atque ei sese praesentare et actum debitae reverentiae et obedientiae reddere, necnon rationem de toto suo pastoralis officio dare obligabantur.

Difficillima enim Ecclesiae Ucrainae tempora semper praesentiam Metropolitae pro defendenda Unione postulabant, necnon locorum distantia atque aliae difficultates maiori parti Metropolitarum Kioviensium obstaculum, pro personali ad limina accessu atque Romano Pontifici debitam obedientiam praestandi, constituebant (32). Quas ob causas Metropolitae Kiovienses et Halicienses, decursu saeculi XVII, ex speciali licentia Romanorum Pontificum,

(30) RIB, t. IV, app. N. 9, col. 50.

(31) IBIDEM, t. IV, app. N. 7, col. 104-106.

(32) ASV, *Fondo Borghese*, Ser. II, vol. 75, f. 64rv.: - Gregorius PP. XV vero hac in re ita ad Metropolitam Kioviensem et Haliciensem, J. Rutskyj, scribebat: « ... gregis enim tibi concrediti pericula non sinunt Pastorem suum in longinquas regiones abire »; THEINER A., *Vet. Mon. Pol. et Lith.*, t. III, N. 22, p. 363; Alio vero in loco legimus: « ... attesa la sua povertà, e la molteplicità de negozi di quella vasta Diocesi, che richiedono sempre la sua presenza ... »; APF, *Lett. (di Mons. Segret.)*, vol. 86,

ut sui muneris officio satisfacerent, per suos procuratores limina Apostolorum visitabant atque suo nomine per eosdem procuratores obedientiam Romano Pontifici praestabant, necnon relationes de statu Ecclesiae reddebant (33). Attamen iam anno 1671 Metropolita Kioviensis et Haliciensis Gabriel Kolenda tantummodo per litteras Apostolicae Sedi rationem de statu Ecclesiae reddidit (34). Metropolita vero Leo Slubiś-Zalenskyj ab Apostolica Sede licentiam obtinuit limina Apostolorum, mediante persona Romae commorante, visitare (35). Attamen decursu saeculi XVIII consuetudo inveteravit, ut Metropolitae Kiovienses et Halicienses solummodo per litteras rationem de statu Ecclesiae Apostolicae Sedi redderent (36).

Quae praxis quoad limina Apostolorum visitanda et obedientiam Romano Pontifici personaliter praestandam, quae obligationes ex formula iuramenti fidelitatis et obedientiae erga Summum Pontificem, una cum Bulla provisionis ad Metropolitam mittebantur, etiam ad Metropolitas restauratae Haliciensis Metropolitae extensa fuit. Haliciensibus enim Metropolitis, mediante Bulla « *In universalis Ecclesiae regimine* », eadem iura, praerogativae et insimul onera, quibus Metropolitae Kiovienses et Halicienses fruebantur atque obligabantur, communicata sunt.

3. Cum initio huius articuli de pallio sermo iam fuerit, hic aliquid de dicta materia delibare opportunum esse ducimus.

Pallium vero est fascia lanae candidae, cum sex crucibus nigri coloris intextis, quod significat plenitudinem sacerdotii et regiminis. De origine autem pallii non omnia scimus. Profecto haud dubitari potest, quin in Orientali Ecclesia omnes Episcopi, ex antiquissimo tempore, in ipsa Missae celebratione

f. 216; - Personaliter autem limina Apostolorum Metropolitae J. V. Rutskyj (a. 1615) et R. Korsak (a. 1639) visitarunt. Cfr. ASV, *Fondo Borghese*, Ser. II, vol. 227, f. 148; WELYKYJ A., *Annus et dies mortis Metrop. Raphaelis Korsak*, in « *Analecta OSBM* », Romae 1949, Ser. II, Sec. II, vol. I, f. 1, p. 147-160.

(33) Ita H. Potij Joanni Rutskyj anno 1606 Romam proficiscenti imposuit: « ... ut nomine nostro cum limina Principum Apostolorum, ut moris est, tum Sanctissimos pedes tuos (Pauli PP. V) deosculetur, nostraque obsequia deferat ... » (ASV, *Fondo Borghese*, Ser. I, vol. 512, f. 17v). Tribus annis postea (a. 1609) idem Metropolita, ut ex altera eius epistula ad Paulum PP. V patet, Petrum Arcudium romano itineri destinavit, « qui Sanctitatem Vestram de praesenti statu nostrarum Ecclesiarum certiorrem faciat ... »; IBIDEM, Ser. II, vol. 75, f. 64v.

(34) THEINER A., *Vet. Mon. Pol. et Lith.*, t. III, N. 605, p. 593-601.

(35) « Supplicetur expeto imprimis dispensari mecum, super Visitatione, per me, vel per alium quempiam in dignitate constitutum, singulis quadriennii Liminum SS.rum Apostolorum, respiciendo ad tenuitatem et distantiam huius beneficii ... »; APF, *Scrutt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 2, f. 517v-518; Cfr. WELYKYJ A., *Acta ...*, vol. N. 703, p. 136-137.

(36) APF, *Scrutt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 8, f. 260-278v, 352-357.

pallium laneum in signum pastoralis officii, quod omophorion vocatur et a Concilio Constantinopolitano (a. 680) pastoritia pellis dicitur, gestarint (37). Haec quoque pallii graeci gestatio non speciali indulto Romani Pontificis Episcopis permittebatur, sed potius a suis Metropolitibus vel Patriarchis eam accipiebant (38).

In Occidentali Ecclesia Episcopi complurium regionum ordinarie videntur pallium gestasse (39). In Italia vero certe Romani Pontifices pallium gestarunt et inde a saeculo sexto aliis Praelatis pallium concessum fuisse (40). Episcopi vero Italiae hoc officii ornamento videntur caruisse.

Secundum antiquam symbolicam pallii significationem, imprimis pallium denotavit officium Pastoris, unde nihil mirum, quod in Orientali Ecclesia etiam simplicibus Episcopis graecum pallium fuerit proprium. Cum Romani Pontifices, ut diximus, paulatim pallium suum etiam aliis Episcopis concederent, iam tempore S. Gregorii Magni ad praefatam pallii significationem altera accessit, de quadam nempe participatione pontificiae potestatis super alios Episcopos, ad plenitudinem pontificalis dignitatis obtinendam (41). Quae secunda pallii significatio inde ab octavo saeculo magis magisque invaluit.

Pallii concessio a Romanis Pontificibus solum post servationem conditionum fiebat. Quas inter illa recensenda est, quae enuntiatur: « prisca consuetudo obtinuit, ut honor, nisi exigentibus causarum meritis et fortiter postulanti, dari non debeat » (42).

Pallium solum post fidelitatis et obedientiae promissionem atque iuramento confirmationem expetentibus imponebatur. Usus autem pallii in Missis sollemnibus, aliisque forte sibi concessis, ad solos fines dioeceseos vel provinciae fuit restrictus. Imo, saltem iam ex saeculo nono, Metropolitae intra tres menses a sua consecratione ad petendum pallium obligabantur et ante pallii receptionem, sine speciali indulto, eis actus metropolitanae iurisdictionis neque episcopalis ordinis, in quibus liturgicae leges usum pallii praecipiant, ponere licuit (43). Pallium latinum Patriarchis latinis quoque in Oriente, post Orientis a militibus cruce signatorum expugnationem constitutis, concedebatur.

Antistitibus vero Ecclesiae Orientalis usque ad Innocentium PP. III, ut ex historia constat, pallium latinum nunquam datum fuit. Pluribus post sae-

(37) WERNZ-VIDAL *o. c.*, t. II, p. 558; Cfr. ROMANI S., *o. c.*, vol. I, p. 236.

(38) Cfr. CARRANZA B., *o. c.*, t. II, (Cone. Constantinop. a. 869, can. 27) p. 491.

(39) In Concilio Matisconensi (a. 581) canone 6 statuitur: « Ut nullus Episcopus sine palleo Missas dicere praesumat ». Cfr. WERNZ-VIDAL, *o. c.*, t. II, p. 558 et n. 146; - Eadem praxis et in Africa septentrionali vigeat.

(40) WERNZ-VIDAL, *o. c.*, t. II, p. 560; DEVOTI J., *o. c.*, t. I, p. 142, n. 5.

(41) WERNZ F. X., *o. c.*, t. II, 2, p. 527.

(42) *IBIDEM*.

(43) ROMANI S., *o. c.*, vol. I, p. 236; CAPPELLO F. M., *o. c.*, vol. I, p. 446-447.

culis, Benedictus PP. XIV testatur quod, (a. 1713) occasione redditus Alexandrini Patriarchae, Samuelis Capasulis, ad gremium Ecclesiae Catholicae non omnes in Curia Romana sentiebant, pallium latinum etiam Orientalibus conferri posse; (44) quibus tamen non obstantibus iam inde a saec. XIII nonnulli Praesules Ecclesiae Orientalis pallium latinum receperunt (45).

Si nunc de Metropolitibus Kioviensibus et Haliciensibus, quoad pallii acceptionem, sermonem instituimus, iam initio dicere non haesitamus, neminem praedictorum Metropolitum pallium, de corpore Beati Petri sumptum, a Romano Pontifice obtinuisse. Attamen non defuerunt conamina, tam ex parte Metropolitum, pro pallio accipiendi, quam ex parte Romani Pontificis pro illo Metropolita Kioviensi et Halicensi concedendo. Ex praefatis Metropolitanis pallium latinum a Romano Pontifice, per S. Congregationem de Propaganda Fide, Raphaël Korsak primus petiit. Sacra Congregatio Metropolitae mandavit, ut ad pallium petendum specialem petitionem compararet et aliquam personam ad pallium petendum, debitis facultatibus munitam, constitueret. Attamen, ex ignotis nobis causis, Metropolita R. Korsak pallium non accepit. Eius enim immediatus in sede metropolitana successor, Antonius Sielava, ob defectum pallii, de actionum suarum suorumque praedecessorum validitate dubitans, solutionem rei a S. Congregatione expetiit (46).

Non obstante indirecta ab A. Sielava pallii petitione, illud Metropolita concessum non fuit, quia S. Congregatio, haesitans utrum Metropolita Kiovienses et Halicenses apud Romanum Pontificem pallium petere deberent an non, quaestionem indecisam relinquit.

Posteriori tempore, et quidem anno 1714, Apostolica Sedes Metropolita Leoni Kška significavit obligationem petendi et recipiendi a Romano Pontifice pallium. Metropolita vero respondit, hoc necessarium non esse, cum numquam dicta petitio a praedecessoribus peracta esset (47). Sacra Congregatio de Propaganda Fide apud dictum Metropolitam de obligatione pallii postulationis, ne scandala orirentur atque ne Disuniti ad Unionem difficiliore redderentur, non replicavit. Quibus periculis, etiam in posterum, perdurantibus, Metropolita Kiovienses et Halicenses nunquam pallio de corpore Beati Petri sumpto sese decoraverunt.

Haut dubie primus ex ucrainis Metropolitanis pallium latinum accepit Anto-

(44) COUSSA A., *o. c.*, vol. I, p. 252.

(45) Ibidem.

(46) DE MARTINIS R., *o. c.*, P. II, N. 178, p. 90.

(47) « S. Congregazione rappresenta all'EE.VV. che Monsignor Leone Kiszka ... pretende di non haver bisogno di chiedere, e ricevere dalla S. Sede il Pallio, con asserire non essersi ciò praticato per addietro da suoi Antecessori ... sopra di che mi do l'onore di dare nell'EE.VV. che ciò non si è mai praticato cogli'Antecessori ... ma non ne più poi discorso, *ne fu mai dato* ... »; APF, *Atta*, vol. 84, f. 694.

nus Anhelovyč, primus Metropolitae restauratae Haliciensis Metropolitae (48). Vicarius Generalis Leopoliensis, Michael Harasievič, simulque testis ocularis harum quae sequuntur, dicit, quod Jordanus Mickievič, Procurator Generalis Basilianorum, Romae residens, «qua mandatarius, *licet talis non constitutus*, nomine nominati Metropol. Angellovicz, palium extradi petierit, *quale a Metropolitae nunquam quaerebatur*» (49).

In litteris, quibus pallium Antonio Anhelovyč, Metropolitae «Leopoliensis et Haliciensis invicem perpetuo canonice unitarum Ecclesiarum», conceditur, Romanus Pontifex tam ceremonias, quibus Antonius pallium accipere debet, quam usum dicti pallii, praescribit. In praedictis litteris legimus: «... Nos supplicationibus tuis annuentes, Pallium ipsum de corpore B. Petri sumptum per quemcumque catholicum Antistitem ... tibi assignandum» committimus. Dicto enim Antistiti - dicit Pius PP. VII - praescripsimus, ut «illud tibi sub infrascripta forma (50) assignet, et a te nostro et Romanae Ecclesiae nomine sub alia etiam praesentibus inserta forma fidelitatis debitae solitum recipiat iuramentum. Tu autem Pallio eodem sic intra dictas Leopoliens. et Haliciens. Ecclesias tuas illis diebus dumtaxat utaris, qui expressi in illarum Ecclesiarum privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius interius serves in mente, quatenus humilitatem et iustitiam, dante Domino, qui dat praemia et munera elargitur, observare studeas, quae suum servant et promovent Servatorem ac easdem Ecclesias Leopoliensem et Haliciensem sponsas tuas cures sollicite, auctore Domino, spiritualiter et temporaliter augmentare» (51). Unde patet praxim in concessione pallii Metropolitae Haliciensibus eandem fuisse ac in Ecclesia Latina.

ART. 2. - DE METROPOLITARUM IN SUA PROVINCIA POTESTATE.

1. Metropolitae Orientalium, primis Ecclesiae saeculis, in sua provincia sat ampla, ut diximus, fuit potestas. Ad ipsos enim in eorum provincia provisio Episcoporum, secundum regulas in canonibus ecclesiasticis praescriptas, spectabat.

(48) WELYKYJ A., *Documenta ...*, vol. II, N. 874, p. 321-322.

(49) HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 785.

(50) Forma autem, qua aliquis Episcopus in assignando pallio Metropolitae uti debebat, haec erat: «Ad honorem Omnipotentis Dei, ac Beatae Mariae Virginis ac Beatorum Apostolorum Petri et Pauli et Domini nostri Domini Pii Papae Septimi ac Sanctae Romanae Ecclesiae nec non Ecclesiarum Leopoliens. et Haliciens. invicem perpetuo canonice unitarum tibi commissarum tradimus tibi Pallium de Corpore Beati Petri sumptum, in quo est plenitudo pastoralis officii, ut eo utaris intra respectivas Ecclesias tuas certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ab Apostolica Sede concessis»; WELYKYJ A., *Documenta ...*, vol. II, N. 874, p. 322.

(51) *IBID.*, vol. II, N. 874, p. 321-322.

Primis temporibus ipsi Apostoli, a Christo Domino immediate electi, Episcopos constituebant, postea vero idem, ex Apostolorum mandato, illorum discipuli fecerunt. Secundo et tertio vero saeculo in vices Apostolorum discipulorum potissimum successerunt Episcopi comprovinciales, quibuscum presbyterium et populus determinatae Ecclesiae concurrat. A S. Cypriano, qui, uti dictum est, modum eligendi Episcopos tradit atque accuratius definit, scimus, quae fuerint partes Episcoporum provincialium, Cleri et populi in electione novi Episcopi (1). In Nicaena autem Synodo, canone 4, statutum est, ut electio novi Episcopi a comprovincialibus Episcopis fieret et in casu necessitatis saltem cum scripto consensu absentium Episcoporum perficeretur, necnon universi negotii confirmatio ad Metropolitam cuiusque provinciae pertineret (2). Porro Synodus Laodicensis (a. 360), canone 12, iubet electiones Episcoporum fieri iudicio Metropolitae et Episcoporum, imo, canone 13, in electione novi Episcopi multitudinis interventum excludit (3). In Synodo Constantinopolitana IV, et quidem canone 22, populus et Clerus ab novi Episcopi electione omnino arcentur, quae in posterum soli Synodo provinciali reservata manet (4). In Synodo provinciali Episcopi tenebantur tres candidatos pro vacante Eparchia eligere, ex quibus Metropolitae unum, pro libitu, confirmabat (5).

Praefata disciplina canonica Ecclesiae Orientalis cum quibusdam mutationibus in Metropolia Kiovensi recepta fuit.

De provisione autem sedium vacantium in Metropolia Kiovensi, in primis annis existentiae eiusdem, nihil certi ob defectum documentorum dici potest. Sine dubio initio Episcopi ex Byzantio mittebantur, quod et nomina primorum Episcoporum comprobare videntur. Attamen ex eo desumi non potest, quod in dicta Metropolia candidati indigeni ad episcopalem dignitatem defuerint, cum in Rus' iam ante baptismum Volodymyri Magni christiani adsint (6). Ob documentorum defectum, relate ad electionem Episcoporum ad vacantes Eparchias Metropoliae Kiovensis, secundum Orientalis Ecclesiae praxim, in periodo praemongolica necnon mongolica, non una est auctorum sententia (7). Sententiarum vero divisio ex hoc deducitur, quod antiqua, usque ad initium saeculi XII, Chronica, etiamsi mentionem de provisione alicuius sedis vacantis

(1) HEFELE C. J., *o. c.*, t. I, p. 384.

(2) *IBID.*, t. I, p. 385.

(3) Hic intelligendum est saltem de inordinato et praepotenti populi interventu. Cfr. *IBID.*, t. I, p. 759 sq.

(4) MANSI J. D., *o. c.*, t. XVI, col. 174 sq.

(5) Cfr. p. 177 sq.

(6) GOLUBINSKIJ E., *Istor. Ros ...*, t. I, 1, p. 344.

(7) Cfr. *IBID.*, t. I, 1, pp. 161, 348; BERDNIKOV J. S., *Kratkij kurs ...*, p. 36.

faciunt, paucis solummodo verbis adnotant Metropolitam ordinasse, « postavy » NN. Episcopum NN. Attamen vox « postavy », latine « ordinare », tum electionem quum consecrationem hic significat, unde praedictae expressiones, existimamus, tum de electione a Metropolita unius e tribus candidatis ab Episcopis propositis, cum etiam de consecratione candidati a Metropolita confirmati intelligendas esse (8).

Inde a saeculo XII, in Annalibus invenimus dictiones, quae etiamsi testimonia tam clara non sunt, ut cum certitudine dicere possemus, illo tempore Episcopos in Kioviensi Metropolia, secundum canonum praescriptiones, institutos fuisse, attamen provisionem synodaliter factam saltem significare posse. Iam anno 1113, de ordinatione Theoctisti, Cernyhoviensis Episcopi, in plurali dicitur (9). Anno vero 1227 Metropolita Kioviensis Cyrillus, cum quatuor Episcopis Metrophanem, Suzdalensem, Volodymyriensem et Jaroslaviensem Episcopos ordinavit (10). Ita quoque, tempore Metropolitae Kioviensis Cyrilli II (1249-1281), ut ex « *Pravylo* » seu regula eiusdem elucet, factum est (11). Dubitari autem potest, utrum praedicta ordinatio (« postavlenije ») sensu electionis an tantummodo consecrationis intelligenda sit. Attamen ex supradictis fortasse concludere licebit, hanc disciplinam ad normam canonum Ecclesiae Orientalis per integrum saec. XIII revera observatam fuisse.

Anno vero 1300 in antiquis Annalibus invenimus claris verbis expressam praxim Metropolitarum Haliciensium in Episcoporum electione. In dictis Annalibus legimus enim, quod Metropolita Kioviensis Maximus cum Rostoviensi - Simeone et Tveriensis - Andrea, Episcopis, die 28 Junii, in ecclesia SS. Borys et Hlib, Novhorodensem Archiepiscopum Theoctistum elegit ac, eodem mense (29 Junii), eum in S. Sophia, in festo Apostolorum Petri et Pauli consecravit (12). Hoc in casu, sine dubio, verbum « postavyša » electionem et consecrationem, quae diverso die locum habuerunt, significat. Omnia Chronica, praeter Novhorodensia, hac de re adnotationes ferentia, uno verbo « postavyša » utramque actionem exprimunt, unde patet verbum « postavy » tam electionem quam consecrationem significare. Ita nunc facilius intelligi

(8) LEVYCKYJ O., *Osnovnyje čerty vnutreniavo stroja zapadnorusskoj tserkvy v XVI i XVII vv.*, in « *Kijevskaja Staryna* », 1884, t. IX, p. 628.

(9) « ... ordinaverunt Theoctistum Episcopum Cernyhoviensem ». PSRL, t. I, (Lavrentijska) p. 127.

(10) *IBID.*, p. 190.

(11) « *Pravylo* Cyrilli, Metropolitae Russiae et participantium episcoporum: Dalmati Novhorodensis, Ignatii Rostoviensis, Theognosti Perejaslaviensis, Simeonis Polocensis, in ordinatione Serapionis episcopi Volodymyriensis »; RIB, t. VI, col. 83.

(12) PSRL, t. III, (Novhorodska I) p. 67; t. IV, (Novhorodska IV) p. 251; t. V, (Sofijska) p. 203; t. I, (Lavrentijska) p. 209.

potest illa Annalium expressio, inde a conversione Regni Rus' usque saltem ad finem saeculi XII uno verbo « postavy » vel « postavyša » de provisione sedium episcopalium loqui.

Inde a saeculo XIV provisio Eparchiarum vacantium iam omnino secundum canones primaevae Ecclesiae fiebat, quod documenta Metropolitaram Kioviensium et non sola Annalium narratio comprobant (13). Ex saeculo autem XV iam clarissime apparet, electiones Episcoporum secundum canones primaevae Ecclesiae peractas fuisse, necnon Principum in iis ingerentiam nullam fuisse (14). Attamen, iam ab initio saeculi XVI, praefata praxis novum cursum habuit, cum candidati ad vacantes sedes a Concilio Episcoporum non eligerentur, sed sine Metropolita Episcoporumque consultatione, Rex et Principes Poloniae, qui iure patronatus fruebantur, suos candidatos nominarent. Ex hoc magna damna pro Ecclesia Ucraina exorta sunt, de quibus autem iam, in parte historica, locuti sumus.

Tempore autem dominii Magnorum Ducum Lithuaniae, antiqua disciplina in eo tantum mutata fuit, quod Synodus provincialis sine concursu Regis convocari non potuit (15), nec non electus in tali Synodo Episcopus adhuc confirmationem Regis habere debuit. Praefata confirmatio solum ad bona Eparchiae administranda necessaria erat. Attamen iam initio saec. XVI rex Poloniae Alexander, contra canones antiquae Ecclesiae, notarium suum Ivaško Sosnovskyj (16) in Episcopum Cholmensem nominavit. Tali modo illa nefasta praxis Regum Poloniae, qui sola Electorum confirmatione haud contenti, candidatos in vacantes sedes nominabant, initium sumpsit.

Contra hos abusus Metropolita Kioviensis Iosephus Soltan (1507-1521) Synodum Vilnensem, anno 1509, convocavit, in qua ingerentiam Principum in res ecclesiasticas eliminare studuit. (17). Abusu principia autem eliminata non fuerunt, cum praedicti Synodi decreta effectum suum sortita non essent.

(13) REGEL V., o. c., pp. 52-56, XXXIII-XXXVIII; RIB, t. IV, Supplem., col. 431-446; TITOV T., *Postavlenije vo dyjakona i svjaščenika i izbraniije epyskopa v drevnej zapadno-ruskoj ily kijevskej Mytropoliji v XIV-XVI vv*, in « *TKDA* » (1902), t. II, p. 134, n. 1; Cfr. ZHISMAN J., o. c., pp. 138, 144.

(14) Cfr. RIB, t. VI, N. 52, col. 419; PSRL, t. V, p. 260; PETRUŠEVYČ A., *O sposobi izbyranija i postavlenija epyskopa*, in « *Bohoslovskij Vistnyk* », t. I, Lviv 1900, p. 17; - Quoad modum electionis Episcoporum hoc tempore videas; LOZOVEJ P., o. c. p. 104-118.

(15) ARJZR, P. I, t. I, p. 501; LEVYCKYJ O., *Osnovnyje ...*, p. 633.

(16) PLOŠČANSKYJ V. M., o. c., t. I, pp. 61, 103.

(17) CISTOVIČ I., *Očerki istorij zapadno-ruskoj tserkvy*, S. Peterburg 1882-1884, t. I, p. 107.

Ad restaurationem disciplinae in Kioviensi Metropolia collapsae, tam Jonas III Kioviensis Metropolitita quam Michaël Rahoza, Kioviensis Metropolitita itidem multum laborarunt, attamen sine felici exitu (18).

His abusibus Hierarchia Ucrainae et Bielarussiae, in suo ad gremium Ecclesiae Catholicae accessu, finem imponere studuit. In « articulis », seu conditionibus ad Unionem cum Sede Apostolica concludendam, regi Poloniae Sigismundo III propositis, Hierarchia Ucrainae et Bielarussiae petivit, ut Episcopus, sicut « in canonibus nostris id cautum habemus, ... salva tamen S. R. Maiestatis pro libitu cuius ex electis conferendi autoritate » (19), praefata Hierarchia eligere posset.

Sigismundus III vero, die 2 Augusti 1595, suo privilegio adpromisit, quod post receptam Unionem Hierarchiae Ucrainae et Bielarussiae pro sedibus vacantibus in Episcopos candidatos propriae Nationis eligere licitum erit. Attamen ad regiam nominationem quatuor candidati proponere, necnon nominatus Episcopus a Metropolitita intra tres menses consecrationem obtinendam studere deberent (20). Quoad confirmationem seu institutionem Episcoporum Legati Hierarchiae Ucrainae et Bielarussiae, H. Potij et C. Terleckyj, a Sede Apostolica requirebant, ut Episcopi ritus graeci « ... litteras confirmationis Romam ... non mittant, sed cum aliquem S. Regia Majestas in Episcopatum nominaverit, Metropolitita sive Archiepiscopus *more antiquo* unumquemque ejusmodi consecrare debet » (21). Praefatis postulationibus annuit Clemens PP. VIII ac per Apostolicam Constitutionem « *Decet Romanum Pontificem* » (23. II. 1596) Metropolititis Kioviensibus Haliciensibusque ius Episcopos « iuxta morem eorum » instituendi concessit, nempe electos seu nominatos Episcopos auctoritate et nomine Sedis Apostolicae confirmare et instituere eisque munus consecrationis impendere posse ac debere (22). Ad instantiam Metropolititae Kioviensis Josephi V. Rutskyj ius electos seu nominatos Episcopos confirmare et instituere Paulus PP. V Bulla « *Provisionis nostrae* », de 29 Maii 1615, iterum confirmavit (23).

Hoc enim modo praesentabatur in actu Unionis, ex una parte, intentio postulatioque Hierarchiae Ucrainae atque Bielarussiae, ex altera vero parte regis Poloniae Sigismundi III promissio, necnon Sedis Apostolicae concessio. Attamen iam in prima post Unionem sedis vacantis provisione, postulatio

(18) AkZR, t. III, N. 43, p. 144; AMMANN A. M., o. c., p. 177.

(19) HARASIEWICZ M., o. c., p. 182.

(20) IBID., p. 188-189.

(21) IBID., p. 179; MALINOWSKI M., o. c., p. 25.

(22) WELYKYJ A., *Documenta* ..., vol. I, N. 152, p. 267-268.

(23) IBID., vol. I, N. 250, p. 355.

Hierarchiae relate ad electionem Episcoporum in sedes vacantes et promissio Regis locum non habuit; confirmatio autem et institutio Episcoporum secundum Bullam « *Decet Romanum Pontificem* » cum maioribus minoribusque praerogativis apud Metropolitas remanserunt.

Teste Cardinali Cintio Aldobrandini, post mortem Polocensis Archiepiscopi, Gregorii Chrebtovyč, rex Poloniae Sigismundus III apud Metropolitam Kioviensem H. Potij (a. 1600) nominationem successoris pro Polocensi Ecclesia postulavit (24). Quibusdam post annis (a. 1604) Sigismundus III rex idem fecit, cum, testimonio Metropolitae Kioviensis H. Potij, vacantem Cholmensem Eparchiam Ioanni Andrejevskyj contulisset (25). Metropolita autem H. Potij in suis litteris ad Cancellarium Magni Ducatus Lithuaniae, Leonem Sapiha, obtinuisse dicit in sedes episcopales, iam privilegio regio nominatos, alios ad confirmationem et institutionem candidatos, quos desiderasset et proposuisset (26).

Regibus Poloniae ex Apostolico privilegio, secundum ius potronatus, potestas nominandi Archiepiscopos et Episcopos competeat (27). Relate ad Episcopos ritus graeci, secundum normas in celebrata Unione Berestensi statutas, Regi pro libitu quemlibet ex electis vel ex propositis a Metropolita candidatis ad episcopalem dignitatem nominandi auctoritas erat.

Brevi postea, Nobilitas, domina omnium bonorum quae sub ipsius dominio inveniebantur, Regem obstringebat tales nominare Episcopos, quales ipsa proponebat. Unde viri saeculares episcopales nominationes saepe saepius obtinere coeperunt, ex quo magna mala exorta sunt. Ut hanc innovationem coërceret, Congregatio Ordinis Basilianorum Novhorodovicensis, anno 1617 celebrata, statuit, apud Regem de privilegio operam dare, ut in posterum Eparchiae viris, qui in Ordine per certum determinatumque tempus vixissent ac a Metropolita piae vitae recommendationem habuissent, conferantur (28). Haec autem constitutio Congregationis Novhorodovicensis solummodo sub rege Vladislao IV suam obtinuit metam, quando dictus Rex suo privilegio,

(24) « ... s'è vera la morte del Vladica (Episcopus) di Polosco sentiremo piacere che S. Maestà habbia scritto al nuovo Metropolita di Chiovia perchè se egli nomini un successore ... »; ASV, *Fondo Borghese*, Ser. IV, vol. 215 B (Miscelanea), f. 174; - Frammento di Registro per il Nunzio in Polonia del Card. Cintio Aldobrandini detto Card. Giorgio (1600-1603), f. 237v.

(25) AkZR, t. VI, N. 134, p. 342-343.

(26) AS, t. VI, N. 77, p. 162.

(27) Cfr. *Volumina Legum*, vol. VII, p. 98.

(28) «Starac sie o przywilej u jego krolewskiej mosci na to żeby biskupstwa ludziom swieckim dawane nie były, tylko ludziom stanu zakonnemu, tym ktorzy by w zakonie czas niejaki znaczny pożyli i od metropolity zalecenia zycia pobożnego i godności mieli »; AS, t. II, p. 13.

abhinc a die 14 Martii 1635, iura Kioviensium Metropolitaram in tuto collocavit necnon ad vacantes Eparchias solum ex Ordine Basilianorum candidatos instituere Metropolitam obligavit (29). Praefatum privilegium regis Vladislai IV, a regibus Ioanne Casimiro (20 Februarii 1652), Michaele Korybut Wiszniowiecki (29 Octobris 1669) et Ioanne III (3 Martii 1676) corroboratum est. Hoc ius, teste A. Petruševyč (30), usque ad tempora Metropolitae Kioviensis Haliciensisque Athanasii Szeptyckyj viguit.

Praxim, secundum quam Episcopi ad vacantes sedes solum ex Ordine Basilianorum eligendi erant, Synodus Zamostiana (a. 1720) confirmavit, necnon melius ordinavit: « recte consideranti maturitatem, quae in Episcopis promovendis ex Sacrorum Canonum praescripto adhiberi debet, visum est statuere, ut nemo deinceps, nisi a Sancta Sede dispensationem obtineat, Episcopus esse possit, qui Professionem [in Ordine Basilianorum] non fecerit (31)

In Congregatione Zyrovicensi Ordinis S. Basilii Magni, anno 1679 celebrata, decisum est, nocivum esse Metropolitam Kioviensem sine Protoarchimandritae et Consultorii Generalis Ordinis consensu aliquem monachum promovere in episcopum et consecrare. Quapropter Metropolita Kioviensis Cyprianus Zochovskij promisit, se nunquam aliquem monachum sine eiusdem Superiorum consensu instituturum. Cum, anno 1710, contra decisionem praefatae Congregationis, monachus Basilianus Iosephus Levickij, insciis Superioribus, nominationem regiam in Episcopum Cholmensem impetrasset, Metropolita Georgius Vynnyckyj rem totam pro solutione Romam misit. Quaerebatur, enim Metropolita, utrum monachi S. Basilii Magni, inauditis Metropolitat Protoarchimandrita atque Consultoribus Generalibus Ordinis, ad Episcopatum promoveri possint (32); cui a S. Congregatione de Propaganda Fide rescriptum

(29) « Warujac to za nas i za najasniejszych potomkow naszych, iż te biskupstwa ... nikomu innemu conferowac i successorowie nasi nie beda, tylko zakonnikom zasługującym, w jednosci Reguły Swietego Bazylego bedacym, ktorych terazniejszy ojciec metropolita unit i successorowie jego uniei, proponowac nam i successorom naszym beda »; *IBID.*, N. 41, p. 61.

(30) PETRUSZEWICZ A., *Historica* ..., p. XIV.

(31) *Synodus Zamosciensis*, o. c., tit. VI, p. 93.

(32) « Monsignor Metropolita ... espone ..., come ab immemorabil: l'elettione de Monaci ruteni alle Chiese vacanti è stata sempre fatta dall'Oratore e da Capi della Religione di S. Basilio, in vigore della quale elettione hanno poi gl'Eletti ottenuta la nomina regia; ciò non ostante avere il P. Giuseppe Levicki, Monaco ruteno, senza la precedente elettione impetrato col favore de Magnati secolari, la nomina regia alla Chiesa di Chelma, et inquietare continuamente l'Oratore, per essere da lui consecrato, al che ha egli difficoltà, per non essere stato eletto come conveniva, onde supplica, che il detto P. Levicki resti sospeso, anche per non introdurre un tale esempio col pregiudizio dell'Ius dell'Oratore, e della Religione predetta »; WELYKYJ A., *Acta* ..., vol. II, N. 837, p. 305.

fuit: « consensus Protoarchimandritae et Consultorum non requiri, et D. Metropolita in actu confirmationis utatur suo iure » (33). Attamen, ad instantiam Procuratoris Generalis Romae, Patricii Zyravskyj, OSBM, Benedictus PP. XIII Brevi Apostolico « *Cum sicut* » (16 Decembris 1728), « monachos, qui sine expresso consensu Generalis seu Protoarchimandritae pro tempore existentis et memorati Ordinis consensu sibi archiepiscopatus, episcopatus ... procurarent, eo ipso ad illas inhabiles » declaravit (34). Benedictus tamen PP. XIV per « *Inclytum quidem* » (12 Septembris 1753) declarationem sui praedecessoris Benedicti PP. XIII abrogavit (35).

In Leopoliensi autem Eparchia, quae anno 1700, ut in parte historica diximus, ad gremium Ecclesiae Catholicae accessit, electio Episcoporum non solum penes Capitulum, sed etiam penes integrum Clerum, tam saecularem quam regularem, necnon penes Proceres, Nobilitatem et Confraternitates libera remansit (36). Praefatis electionibus Metropolita Kioviensis praesidebat, quae praxis etiam in Eparchia Peremysliensi adhibita fuit.

Res tamen haec in Eparchiis Leopoliensi et Peremysliensi alium, cum prima Poloniae divisione, sumpsit cursum. Hucusque electi sive nominati Episcopi, secundum praescriptiones Synodi Zamostianae monachi Basiliani erant. Attamen iam die 20 Februarii 1779 decretum Caesareo Regium emanavit, secundum quod clausulae Synodi Zamostianae, relate ad Episcoporum electionem vel nominationem, proscribebantur (37), cuius proscriptionis effectus nominatio Petri Bilanskyj, presbyteri saecularis et canonici cathedralis (30. X. 1779), in Leopoliensem Episcopum, ab Imperatrice Maria Theresia, sine praevia electione vel saltem consultatione, fuit (38).

Ex supra dictis clare patet, qualem partem in assignatione candidatorum ad episcopalem dignitatem in variis Eparchiis Metropolitae habuerint. In confirmatione ac institutione Electorum Metropolitae Kiovienses et Halicienses

(33) IBID., vol. III, N. 877, p. 46.

(34) DE MARTINIS R., o. c. P. I, vol. II, 411.

(35) IBID., P. I, vol. III, p. 526-528.

(36) ARJZR, P. I, t. IV, N. 140, p. 320-321; Cfr. PETRUŠEVYČ A., *Svod. Lit.*, P. I, t. II, p. 50-52.

(37) « Quod dignitatem Episcopalem concernit, quam antehac nemo alius nisi esset Monachus Basilianus, aut dispensationem Pontificiam impetraret, adipisci poterat, Sua Maiestas altissimam suam mentem eo declarat, quod in eius altissimo libero arbitrio positum sit ad munus Ep.pale subiectum sive ex statu cleri saecularis sive ex Ordine Basiliano vocare. Id autem strictissime prohibetur, ne nominatus e statu cleri saecularis Ep.pus sive Roma sive undecumque petat dispensationem intuitu alicendae professionis monasticae, guippe dispensatio eiusmodi, quae potius Monachis quam clero saeculari, ad curam animarum destinato, necessaria est, spiritui Ecclesiae prorsus adversatur »; HARASIEWICZ M., o. c., p. 610.

(38) Cfr. p. 113 sq.

semper (39) iuribus a Clemente PP. VIII concessis fruebantur. Solummodo in nonnullis casibus, et praesertim primis post Unionem annis, Metropolita, ne maius damnum ex confirmationis suspensione emergeret, non desideratos ad episcopalem dignitatem candidatos confirmare debuit. Attamen potuit Metropolita suam confirmationem aliquo candidato denegare, sicut anno 1716, a Metropolita Leone Kiška, factum est (40).

Ante consecrationem electi vel nominati Episcopi Metropolita processum informativum super vita, moribus, idoneitate aliisque requisitis candidati dotibus conficere debuit (41), quod tamen per delegatum ad hoc Episcopum facere potuit (42). Processu informativo absoluto, Metropolita « Hramotu » (Bullam) institutionis ad Nominatum mittebat eumque consecrabat (43). Consecratio vero secundum Bullam « *Decet Romanum Pontificem* » ad Metropolitam pertinebat cuique consecrationi, praeter Episcopos eiusdem Nationis et ritus, etiam Episcopi latini ritus, communionem cum Ecclesia Romana habentes, assistere poterant (44). Metropolita autem, ex iusta et gravi causa, pro consecratione Nominati aliquem Episcopum deputare potuit, cui etiam Episcopos assistentes assignabat (45). Locum enim consecrationis Episcoporum saepe saepius Ecclesia Cathedralis propria consecrandi (46), in nonnullis autem casibus metropolitana Cathedralis Ecclesia (47), vel etiam alia (48), constituebant.

Nominatus autem Episcopus, ante suam consecrationem, professionem

(39) Cfr. PETRUSZEWICZ A., *Historica* ..., p. XVI.

(40) « Il P. Trombetti, ... avvisa come il P. Filipovitz non ostante che da Monsignor Nunzio se gli sia stata impetrata la nomina regia per la Chiesa ... di Polosco, si trova tuttavia in stato di semplice Religioso ..., per esser Monsignor Metropolita contrario alla sua promozione ... fu dall'EE.VV. per sostenere la sua promozione commesso a Monsignor Nunzio di procurargli la nomina regia alla predetta Chiesa ... »; WELYKYJ A., *Acta* ..., vol. III, N. 962, p. 149.

(41) « Or siccome per lo addietto, che avevano i Re di Polonia le nomine di quei Vescovati, venivano esibite al Metropolitanano di Russia; il Metropolitanano faceva il processo sulle qualità de nominati ... »; APF, *Scritt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 14, f. 153v (Litt. Nuntii de 7 Augusti 1780).

(42) PETRUSEVYČ A., *Sv. Lit.*, P. I, t. II, pp. 6. 54.

(43) « ... il Metropolitanano ... spediva esso le Bolle, e quindi gli consecrava »; APF, *Scritt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 14, f. 153v; AkJZR, t. II, N. 40, p. 64; ODUM, t. I, N. 862, p. 320; t. II, N. 1529, p. 132.

(44) WELYKYJ A., *Documenta* ..., vol. I, N. 254, p. 358.

(45) Cfr. PETRUSEVYČ A., *Sv. Lit.*, P. II, t. II, p. 377-378.

(46) *IBID.*, pp. 155, 421.

(47) *IBID.*, p. 16.

(48) *IBID.*, p. 58.

fidei ac iuramentum fidelitatis erga Metropolitam atque implicite erga Romanum Pontificem in manibus Metropolitae emitte debebat (49).

Confirmatio atque institutio novi Episcopi etiam in Haliciensi Metropolia, vi Bullae Pii PP. VII « *In universalis Ecclesiae regimine* », ad Metropolitam pertinebat. Hoc iure tam primus Metropolita restauratae Haliciensis Metropoliae, Antonius Anhelovyč, quam successores eius usi sunt. Postquam vero pro vacante Cholmensi Eparchia a rege Saxoniae, Frederico Augusto, Ferdinandus Ciechanowskyj nominatus fuit, Antonius Anhelovyč praefatum nominatum Episcopum confirmavit atque Leopoli consecravat, necnon iurisdictionem spiritualem non solum super fideles Cholmensis Eparchiae, sed ex Eparchia Peremysliensi etiam illos, qui post pacem anni 1809 Ducatui Varsaviensi adnexi sunt, dicto Episcopo concedidit. Similiter quoque A. Anhelovyč pro vacante Peremysliensi Eparchia Michaellem Levickyj Pastorem constituit. Quapropter absque dubio asserere possumus, Metropolitas restauratae Haliciensis Metropoliae, vi Bullae « *In universalis Ecclesiae regimine* », exercuisse illud idem ius instituendi consecrandique Episcopos a Clemente PP. VIII, in Bulla « *Decet Romanum Pontificem* », Kioviensibus Metropolitis concessum.

Praeter praefatas Episcoporum institutiones per Haliciensem Metropolitam, notare debemus quod a. 1819 Haliciensis Metropolita Michael Levickyj coadiutorem Cholmensis Episcopi F. Ciechanowskyj, Vincentium Sidleckyj, in titularem Belsensem Episcopum confirmavit consecravatque (49 a). Hoc enim tempore Cholmensis Eparchia politicae Russiae dominationi subiecta fuit, ecclesiasticae autem iurisdictioni Haliciensis subiiciebatur Metropolitae. Solum a. 1830 ob « Cholmensis civitatis conditionem » a Romano Pontifice Pio VIII Cholmensis Eparchia, « quae Leopolitano Archiepiscopo suffraganea suberat a metropolitico hoc iure... subtractam atque Apostolicae Sedi immediate subiectam » (49 b) esse declarata est. Stanislaopolitanus vero primus Episco-

(49) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, P. II, t. II, p. 155-158; *O sposobi izb ...*, t. I. (a. 1900) p. 159-160: - Praedicta iuramenta Nominati Episcopi in solemnibus consecrationis, si Metropolita in persona eos consecrabat, emittebant. Si autem episcopalem consecrationem a delegato Episcopo accipiebant, solum professionem fidei in solemnitate consecrationis, iuramentum fidelitatis vero ante consecrationem in manibus Metropolitae vel Episcopi, ad hoc specialiter a Metropolita delegati, emittebant. Cfr. ODUM, t. II, N. 1529, p. 132.

(49a) STASIV M., *Synodus Leopolitana a. 1891* (Dissert. ad laur. - manusc.), Romae 1959, p. 23.

(49b) WELYKYJ A., *Documenta ...*, vol. II, N. 890, p. 350; cfr. HARASIEWICZ M., *Annal ...*, p. 886-887; PETRUŠEVYČ A., *Kratkoje izvistije o cholmskoj eparchiji i sviatytelach jeja* in « *Naukovyj Zbornyk* », Leopoli 1867, p. 62; PELESZ J., *Gesch ...*, t. II, p. 837-839; AMMANN A., *Storia ...*, p. 458.

pus, Iulianus Pelesz, a suo Metropolita Silvestro Sembratovyč confirmatus atque consecratus fuit (49 c) et ita et posteriores Haliciens provinciae episcopi a suo Metropolita instituebantur.

2. Primis Ecclesiae temporibus, cum haud raro clerici iam aetate pro-
vecti ad Episcoporum officium promoverentur, facile eveniebat, ut Episcopus
senior atque morbis confectus suo officio plene satisfacere non posset. Porro
a primis temporibus tali Episcopo Cooperator, qui vel in temporalibus, vel
in solis spiritualibus, vel in utrisque sua opera Praelatum adiuveret, con-
stituebatur. Ita quoque factum est si praeter senectutem aut morbum aliae
essent causae, ob quas Episcopus suo officio impediabatur.

Prima vero vestigia huiusmodi disciplinae, iam ineunte saeculo tertio, occur-
runt, cum anno 212 Alexander, Episcopus in Cappadocia ordinatus, a fide-
libus Hierosolymitanae Ecclesiae atque consentientibus vicinioribus Episcopis
in auxilium Narcisso, Hierosolymitano Episcopo, 116 annorum seni, datus
fuisset (50). Similiter quarto saeculo, S. Gregorius (Theologus) patrem suum,
Nazianzenum Episcopum, in episcopalibus functionibus adjuvit, necnon S. Ba-
silius idem fere auxilium Eusebio, Caesariensi Episcopo, praestitit. Variis
autem ex causis, Synodus Nicaena (a. 325), canone octavo, ordinavit, « ut
in civitate una non videatur duo Episcopi esse » (51). Hanc ob causam in
posteriori praxi Orientalis Ecclesiae in auxilium seu coadiutorum Episco-
porum institutione canon octavus praedicti Synodi prae oculis habebatur.

Dicta vero praxis in antiqua Rus adhibita fuit, unde nihil mirum, quod
ibi Episcoporum coadiutores episcopali caractere caruerunt. Coadiutoriam
autem episcopalem pro maiore parte Archimandritae obtinebant (52).

Decursu temporis in Kioviensi Haliciensique Metropolia denominatio
« Episcopus Coadiutor » in « Episcopus Curialis » commutata est (53). Attamen
Coadiutores, qui caractere episcopali carebant, usque ad finem saec. XVI,
aderant, cum a Berestensi Unione (a. 1596) praedicti Coadiutores cum episco-
pali dignitate et futura successione instituti sunt. Dicta vero Coadiutorum
institutio ad Metropolitam Kioviensem Haliciensemque, usque ad saec. XVIII,
ubi necessitas postulabat, semper tamen cum Episcoporum consensu, perti-
nebat, quod ius ex ipsis Clementis PP. VIII, in Bulla « *Decet Romanum Pon-
tificem* », expressionibus Metropolitanae asserebatur (54).

(49c) ASCO, *Scrirt. rif. a. 1891*, f. 5264.

(50) WERNZ F. X., *o. c.*, t. II, 2, p. 663.

(51) CARRANZA B., *o. c.*, p. 158.

(52) LOSOVEJ P., *o. c.*, p. 128-129.

(53) TURGENEV A. I., *Supplem...*, N. 185, p. 472-473; Cfr. AkJZR, t. II, p. 68.

(54) Hic autem sermo est de institutione Coadiutorum Episcoporum cum futura
successione et non de Coadiutorum Metropolitanarum cum eadem futura successione,
pro quorum institutione licentia Sedis Apostolicae requirebatur.

Tertius post Berestensem Unionem Kioviensis Haliciensisque Metropolitae, Iosephus V. Rutskyj, primus fuit, qui episcopalem Coadiutorem, et quidem Polocensi Archiepiscopo, in persona Sancti Martyris Josaphat Kuncevyč designavit, quem anno 1617 in Vitebscensem Episcopum consecravit (55).

Sicut ex superioribus apparet, Coadiutori titulus alicuius Episcopatus cum alio invicem uniti, praesertim titulus illius uniti Episcopatus, cui Coadiutor suo Coadiuto succedere tenebatur, assignabatur. Nostro enim in casu S. Martyr Josaphat Kuncevyč cum titulo Vitebscensis Episcopi institutus fuit. Hoc quoque modo Metropolitae Kiovienses Haliciensesque, Raphael Korsak (56), Antonius Sielava (57), Gabriel Kolenda in institutione Coadiutorum fecerunt. Poloniae autem Nuntius, Galeazzo Marescotti, Metropolitae Gabrieli Kolenda in institutione Coadiutoriae pro Antonio Terleckyj, Peremysliensi Episcopo, consiliavit rem suspendere, ut mens S. Congregationis de Propaganda Fide sentiretur (58). Nuntio autem rescriptum est, ut Coadiutor iuxta facultates, quae legitime Metropolitae Kioviensi Haliciensisque competebant, eligeretur (59).

Posteriori vero tempore, Metropolitae Kiovienses Haliciensesque, ut Leo Zalenskyj (60), Georgius Vynnyckyj (61) praxim suorum praedecessorum in institutione Coadiutorum Episcoporum exercuerunt et, ut ex documentis patet, in his institutionibus non solum auctoritas Sedis Apostolicae interposita non fuit, sed etiam S. Sedes iura Metropolitanarum defendit. In institutione vero praedictorum Coadiutorum solum mentio de regia nominatione, ad propositionem candidati a Metropolitis (62), vel alicuius Episcopi (63), habetur

(55) WOJNAR M. M., *o. c.*, app. I, p. 202; MAKARIJ, *o. c.*, t. X, p. 458.

(56) PETRUŠEVYČ A., *Sv. Lit.*, t. I, p. 78-79.

(57) *IBID.*, t. I, p. 115.

(58) « ... scriveva il medesimo Monsignor Nunzio havere il suddetto Vescovo supplicato il suo Metropolitae a dargli un Coadiutore ... tanto Monsignor Nunzio l'ha consigliato a sospendere l'effetto per sentirne i sensi dell'EE. VV. »; APF, *Lett. (di Mons. Secret.)*, vol. 56, f. 3 (ad Card. Barberini).

(59) « Alcuni però avevano difficoltà in credere, che il Metropolitae avesse a facoltà di farla, o almeno di deputare per Coadiutore un Vescovo, la conclusione è stata, che scriveva a V. S. Ill.ma, che, non ostante il Processo inviato in questa S. Congregazione, si venga all'elettione del Coadiutore nel modo, e secondo le facoltà che legittimamente computano al Metropolitae ... »; *IBID.*, vol. 56, f. 3 (ad Nuntium in Polonia).

(60) APF, *Scrutt. rif. n. Congr. Gen.*, vol. 870, f. 401v.

(61) APF, *Lett. (di Mons. Secret.)*, vol. 101, f. 296-297, (ad Nuntium in Polonia).

(62) ODUM, t. I, N. 412.

(63) « Datur Coadiutoria Leoni Zalenski ad instantiam Benedicti Gliniski pro episcopatu Volodymirensi a rege Joanne III. Biala die 30 Novembris 1678 »; PETRUŠEVYČ A., *Dopolnenije ...*, t. I, p. 571.

In Synodo Zamostiana res alium obtinuit cursum, cum in praedicta Synodo variae controversiae, quas inter et illa de potestate Metropolitum in institutione Coadiutorum, exortae sunt; quae, pro solutione, Romam missae sunt (64). Quaestio in Congregatione Particulari, anno 1728 celebrata, negativam responsionem obtinuit (65). Attamen resolutio praefatae Congregationis Particularis sicut et tota Congregatio Particularis praedicti anni fuit « poi non proseguita nè eseguita » (66).

Anno vero 1739 Metropolita Kioviensis Haliciensisque, Athanasius Szepetyckyj, propria auctoritate Peremysliensi Episcopo - Hieronimo Ustryckyj - Onuphrium Sumlanskyj, cum titulo Samboriensis Episcopi, in Coadiutorem deputavit (67). De his omnibus autem Nuntius Poloniae, Albericus Archinto, Sedem Apostolicam certiore fecit, qua de re S. Congregatio de Propaganda Fide coram Benedicto PP. XIV, die 24 Novembris 1748, Congregationem Particularem celebravit, in qua decisum est: « Quoad... Coadiutores cum futura successione Episcopis dandos, servetur sacrum Concilium Tridentinum, Sess. 25, cap. 7, de reformatione » (68). Si vero Cathedralis Ecclesiae necessitas vel evidens utilitas Coadiutorem postularet, « is non alias cum futura successione detur, quam haec causa prius diligenter a Sanctissimo Romano Pontifice sit cognita, quae a iure et decretis huius sanctae Synodi in Episcopis et Praelatis requiruntur; alias concessionem super his factae subreptitiae censeantur » (69).

Ex his omnibus patet, quod dictae resolutiones Metropolitum Kioviensibus Haliciensibusque ius, secundum Ecclesiae Orientalis praxim, propria ex auctoritate Coadiutores instituere, quam vero praxim per integrum saeculum et dimidium, Sede Apostolica approbante, exercebant, abrogarunt, ac praxim Latinae Ecclesiae, in Concilio Tridentino sancitam, praescripserunt.

Cum autem haec nova in Coadiutorum institutione ordinatio cum interventu Romani Pontificis Benedicti XIV peracta esset, Metropolitum Kioviensibus Haliciensibusque nihil remasit, quam praefatae resolutioni sese submittere. Haec enim praxis iam a successoribus Athanasii Szepetyckyj in usu fuit (70) et solummodo Metropolita Kioviensis Haliciensisque, Jason Smogorzewskyj, restitutionem suorum iurium in institutione Coadiutoris in ampla longaque ac

(64) KAMINSKYJ E., *o. c.*, p. 147-148.

(65) APF, *Congr. Part.*, vol. 74, ff. 4rv, 39.

(66) *IBID.*, vol. 74, f. 1.

(67) APF, *Scrilt. rif. n. Congr. Gen.*, vol. 870, f. 390v.

(68) *IBID.*, vol. 870, f. 392.

(69) *Conc. Trid.*, Sess. XXV, Cap. 7, de refoi.

(70) APF, *Scrilt. rif. n. Congr. Gen.*, vol. 870, f. 393; *Lett.*, vol. 175, f. 142 (ad Nuntium Polon. die 8 Augusti 1750).

historicis documentis roborata epistula a Sede Apostolica postulavit. Cui autem responsum est: « non esse locum petitaee concessioni », necnon « Coadiutoriae non concedentur ab Apostolica Sede, nisi admonito Metropolitano et ordinatione eidem commissa » (71), quam sententiam Pius PP. VI comprobavit. Et haec disciplina de Coadiutoribus Episcoporum etiam in restaurata Metropolia Haliciensi inde al anno 1807 invaluit.

3. Tractantes vero de Metropolitanarum in sua provincia potestate, quaestionem translationis Episcoporum silentio praetermittere non possumus, quare hoc in loco summa lineamenta praedictae quaestionis tradere studebimus.

Hac de re tractantes, Auctores generatim negant, quod in Metropolia Kioviensi, saltem ad saeculum XVI translationes Episcoporum ex una ad aliam Sedem habitas fuisse (72). Attamen ex antiquis documentis quaedam indicia talis translationis invenimus; cum, ex. gr., tempore translationis Sedis metropolitanae de Kiovia Volodymyriam ad Klazma, Volodymyriensis Episcopus Simeon a Kioviensi Metropolita Maximo ad tunc vacantem Rostoviensem Eparchiam translatus fuit (73).

A decimo sexto vero saeculo iam frequentius translationes Episcoporum perficiebantur, in quibus magnam, ne maximam dicamus, Reges Poloniae habuerunt partem. Ita anno 1526 Volodymyriensis Episcopus, Paphnutius, a rege Poloniae, Sigismundo I, ad Luceoriensem Episcopatum post Cyrilli, eiusdem Eparchiae Episcopi, mortem, licentiam transitus obtinuit (74).

Post mortem autem nominati Paphnutii, tamquam Luceoriensis Episcopi, Macarius Turoviensis et Pinscensis Episcopus Luceoriensem Eparchiam die 24 Aprilis 1528 obtinuit (75). Postea vero tales Episcoporum ex una ad alteram Eparchiam translationes in dies creverunt et secum magna mala attulerunt, quare Synodus Berestensis, anno 1591 celebrata, sine ratione Episcoporum translationes, ad normam canonum primevae Ecclesiae, prohibuit.

Post Unionem Berestensem, Metropolitanae Kiovienses Haliciensesque sicut propria auctoritate Coadiutores Episcoporum instituebant, ita et suos Suffraganeos Episcopos ex una ad aliam Eparchiam transferebant. Hac potestate iam Josephus V. Rutskyj usus est, cum anno 1633 Raphaëlem Korsak, suum Coadiutorem cum futura successione, de Haliciensi ad Pinscensem Turovien-

(71) APF, *Acta*, vol. 155, f. 43.

(72) Cf. KAPTEREV N., *Vlast' patriaršaja i archijerejskaja v drevnej Rusi v jich otnošeniji k vlasti tsarskoj i k prichodskomu duchovenstvu*, in « *Bogoslovskij Vjestnik* » 1905, t. II, p. 47-48; SOKOLOV P., *Russkij Archijerei ...*, p. 75; GOLUBINSKIJ E., o. c., t. I, 1, p. 371.

(73) PSRL, t. X, (Nikonovska) p. 172: t. I, (Troicka) p. 228.

(74) RIB, t. VI, app. N. 12, col. 66.

(75) AkZR, t. II, N. 151, p. 187.

semque promovit Ecclesiam (76). Ita quoque Metropolita Antonius Sielava fecit, cum Andream Kvasninskyj, Smolenscensem Archiepiscopum, a moscovitis de Eparchia pulsum, ad Pinscensem vacantem Eparchiam anno 1654 transtulit (77). Leo Zalenskyj, Kioviensis Haliciensisque Metropolita, anno 1697, Episcopum Pinscensem, Martianum Bialozor, ad Polocensem Archieparchiam transtulit (78). Anno vero 1730 Metropolita Athanasius Szeptycky Theophilum Godebskyj ex Pinscensi ad Volodymyriensem Eparchiam transtulit (79). Attamen iam anno 1748 (10 Decembris) apud S. Congregationem de Propaganda Fide Congregatio Particularis habita est, unde resolutio emanavit, quod « translationes Episcoporum de una ad aliam Ecclesiam fieri nequeant a Metropolita sine licentia Romani Pontificis » (80). Hac de causa in posterum translationes Episcoporum cum recursum ad Sedem Apostolicam factae sunt.

Primus autem, qui, post praedictam decisionem Congregationis Particularis, antiqua iura Metropolitatum Kioviensium atque Haliciensium in translatione Episcoporum sibi a Sede Apostolica restituere postulavit, Metropolita Jason Smogorzewskyj fuit, qui etiam Maximilianum Rylo, sine ad Sedem Apostolicam recursum, de Cholmensi ad Peremyshliensem Eparchiam transtulit (81). Hanc vero Episcopi M. Rylo a Metropolita translationem peractam Pius PP. VI, previo decreto S. Congregationis de Propaganda Fide, die 27 Februarii 1785 sanavit (82). Mense Septembri die 10 eiusdem anni resolutio S. Congregationis de Propaganda Fide data est, secundum quam in posterum huiusmodi translationes a Sede Apostolica perfici deberent et ad Metropolitam private deferri, quae resolutio a Pio PP. VI approbata fuit (83). Ita enim re-

(76) « ... mortuus est noster Episcopus Pinscensis ... Ill. mus Metropolita apud Serenissimum obtinuit Privilegium pro me; atque ita iam Episcopatus Haliciensis vacat, me ad Pinscensem translato Episcopatum ... Convocatione hac absoluta, recta cum Ill. mo Domino Metropolita Pinscensem peto possessionem episcopatus accepturus ... »; APF, *Scrilt. rif. n. Congr. Gen.*, vol. 75, f. 373 (Litt. R. Korsak ad S. Congr. de Prop. Fide, die 5 Iulii 1633); Cfr. AkJZR, t. IV, N. 234, p. 529.

(77) PELESZ J., o. c., t. II, p. 324.

(78) APF, *Scrilt. rif. n. Congr. Gen.* vol. 870, f. 401v.

(79) PELESZ J., o. c., t. II, p. 330.

(80) APF, *Congr. Part.*, vol. 103, f. 526v.

(81) Si quis plura hac de re scire vult, videat: KAMINSKYJ E., o. c., p. 162-167; ЧОМА J., o. c., p. 39-42.

(82) « Maximilianus Rylo ... nullo iure, atque adeo illegitime, utpote sine praevio Sedis Apostolicae permissu, ... ab Metropolitanato translatus iuerit, ... Pius PP. VI ... eiusque translationem ad Sedem Premisliensem hucusque nulliter factam, eiusque facto si quae peregerit auctoritate Apostolica benigne sanavit ... »; ASV, *Arch. Nunc. Vienna*, vol. 149, f. 521.

(83) IBID., vol. 149, f. . 67-68.

soluta est quaestio translationis Episcoporum; attamen posterioribus temporibus nunquam facta est translatio iuxta praedictam resolutionem, cum casus datus non fuerit.

4. Secundum praxim antiquae Ecclesiae ad Metropolitam iudicium causarum ecclesiasticarum pertinebat, ad quarum solutionem Synodos provinciales convocare ipse tenebatur. Quae vero praxis in Metropolia Kioviensi adhibita fuit, etiamsi de ipsa solummodo ex saeculo XVI accuratiores notitias habemus. Attamen non desunt casus antecedentis aetatis, in quibus praefata disciplina vigeat.

Iam anno 1055 in Novhorodensibus Chronicis legimus, quod Episcopus Novhorodensis Luca a servo calumniatus, Kioviam profectus, a Metropolita Ephrem iudicatus fuit (84). Nihil autem dicitur de modo iudicii, utrum nempe coram solo Metropolita an in Synodo hoc iudicium peractum sit. Ex litteris tamen Patriarchae Constantinopolitani, Lucae Chrysoberges, ad Andream Boholubskyj scriptis, scimus, quod anno 1156 Episcopus Rostoviensis, Nestorius, a Metropolita Kioviensi Constantino in Synodo provinciali iudicatus fuit (85).

Vertente saeculo XIV Ioannes, Luceoriensis Episcopus, in iudicium a Cypriano, Kioviensi Metropolita, vocatus est. Cum autem Ioannes non Kioviam, sed Constantinopolim versus, ubi ex voluntate regis Jagello dignitatem Haliciensis Metropolitae obtinere studuit, iter arripisset atque Constantinopoli nihil perficiens Patriam reversus esset, Cyprianus iterum Ioannem in iudicium vocavit. Ne hac vice quidem Ioannes Kioviam se contulit et Metropolita, non obstante absentia litigantium Episcoporum, Ioannem de Luceoriensi Eparchia deposuit (86).

Anno 1590 in Berestensi Synodo causae iudiciales et quidem litigia Gedeonis Balaban cum Confraternitate Stauropigiana Leopoliensi, examinatae fuerunt, quae vero in annos protrahantur ita, ut in Synodo Berestensi anno 1593 Episcopus Leopoliensis, Gedeon Balaban, excommunicatus fuit (87). Postea, in ipso actu Unionis Ecclesiae Ucrainae et Bielarussiae cum Ecclesia Romana, nempe in Berestensi Synodo (a. 1596), Kioviensis Haliciensisque Metropolita Michaël Ragoza una cum suis Suffraganeis Leopoliensem Episcopum - Gedeonem Balaban et Peremysliensem - Michaëlem Kopystenskyj,

(84) PSRL, t. III, (Novhorodska II) p. 122.

(85) Scribebat enim Patriarcha: « ... quia autem certiores facti sumus Metropolita et Episcoporum scriptis ... tales accusationes saepe motas fuisse in *synodo vestra* ... a quibus absolutus est Episcopus a synodo sua ... »; RIB, t. VI, col. 66.

(86) Hac de re cfr. p. 37.

(87) Cfr. p. 57.

qui ab Unione desciverant, deposuit et excommunicavit (88). Hanc vero sententiam Rex Poloniae, Sigismundus III, in universa provincia exequendam promulgavit (89).

Anno vero 1625 Urbanus PP. VIII Metropolitae Josepho V. Rutskyj praecepit, ut Synodi provinciales, singulis quadriennis, celebrentur. Nominatis Synodis autem facultatem puniendi Episcopos comprovinciales concessit (90).

Dicta autem potestate iudicandi Episcopos in posterum Metropolitae Kiovienses usi sunt. Haud dubie praedicta potestas etiam ad Metropolitas Halicienses a Pio PP. VII, per Bullam « *In universalis Ecclesiae regimine* », devoluta est, cum in praedicta Bulla Halicienses Metropolitae omnibus iuribus gaudere dicuntur, quae antea Kioviensibus Metropolitis Clemens PP. VIII concesserat.

5. Ad metropolitaneam potestatem etiam visitatio Eparchiarum provinciarum pertinet, quam praxim Metropolitae Kiovienses, statim ac suam cathedram occuparunt, exercebant. Chronica autem non de omnibus Metropolitis particularia ex eorum pastoralis activitate referunt, unde nihil mirum, quod in historia activitatis Kioviensium, necnon Haliciensium Metropolitae non parvae dantur lacunae. His non obstantibus, ob praesentiam non paucorum documentorum hanc activitatem illustrantium, ex Chronicis deducere possumus, quod visitationes Eparchiarum provincialium locum habuerunt. Ita in quibusdam Chronicis (91) legimus, quod Metropolita Kioviensis Cyrillus (1249-1281) secundum suum morem ex Kiovia egressus est, omnes civitates « Rusy » docendo, instruendo ordinemque restaurando percurrerebat. Similiter etiam Metropolita Maximus, Cyrilli successor, fecerat (92).

Post vero translationem sedis metropolitanae Volodymyriam ad Klazma, praxis visitationis Eparchiarum suorum Suffraganeorum a Metropolitis relaxari coepit, qua in re non parvum influxum causae politicae habuerunt (93). Quod praefatae visitationes Metropolitis praescribebantur etiam hoc indicat, quod tempore primae restorationis Metropoliae Haliciensis Constantinopoli-

(88) « ... ino my zverhnostiu mni danoju, vladoju soborovoju i z vidomostiui nyh jeh mylostnyh epyskopov, bratiji mojeji, pry nas budučyoh, skladajem ... z stolycey epyskopstva abyš ne derznul petrachyla na šyju svoju vzložyty i ottod nykojeho sviaščenodijstva pravyty vično i nerazrišelnoho ot Boha ... »; AkZR, t. IV, N. 107, p. 146 (decretum excommunicationis a Metropolita M. Rahoza, die 9 Octobris 1596 datum).

(89) HARASIEWICZ M., o. c., p. 234-240.

(90) WELYKYJ A., *Documenta* ..., vol. I, N. 390, p. 458-459.

(91) PSRL, t. X, (Nikonivska) pp. 157, 137.

(92) *IBID.*, p. 166.

(93) *IBID.*, pp. 195, 201, 203, 206, 212.

tanus Patriarcha, Philoteus, suum actum negligentia Metropolitae Kioviensis Alexii, in visitatione Haliciae, iustificat (94).

Post Unionem Berestensem (a. 1596) Eparchias suae provinciae Metropolita Josephus V. Rutskyj primus visitavit, qui, secundum testimonium Jacobij Suša, magnum numerum animarum ad gremium Ecclesiae Catholicae reduxit (95). Anno vero 1633, Coadiutor metropolitae cum futura successione, Raphael Korsak, de sua, nomine Metropolitae Eparchiarum provincialium visitatione ad Sedem Apostolicam relationem dedit (96). Etiam posteriores Metropolitae, si Metropolitam Antonium Sielava excipiamus, visitationes Eparchiarum suorum Suffraganeorum, sive per se, sive per specialiter ad hoc delegatum Episcopum, perfecerunt (97).

Dubium tamen oriri potest, utrum dictae visitationes etiam post Zamostianam Synodum perficerentur, cum ex documentis nobis notis hoc deducere difficile sit. Attamen ex hoc quod Metropolita usque ad annum 1756 ius visitandi Archimandritas habebant, a fortiori deduci potest, quod ius suos Suffraganeos eorumque Eparchias visitandi non solum ad annum 1756, sed etiam ulterius ipsis competeat.

6. Secundum privilegium regis Poloniae Ioannis Casimiri, Metropolitae Kioviensi Haliciensique Gabrieli Kolenda eiusque successoribus (29. VIII. 1668) datum, administratio Eparchiarum vacantium usque ad novam Eparchiae provisionem ad Metropolitam pertinebat (98). Dictum privilegium a posterioribus Regibus Poloniae confirmatum specialiterque roboratum fuit (99).

Hac tamen ordinatione regis Ioannis Casimiri plures Episcopi male con-

(94) Cfr. p. 33-34 sq.

(95) « Quot autem Ruthenis animas converterit, testatur solus status Metropolitanus, ubi rarissimi disuniti testantur, aliae Dioeceses, quas ille vel per administrationem tenuit, vel uti pastor visitavit, certe non solum tres milliones, ut quodam probatum est, sed etiam plures ad S. Ecclesiae gremium reduxit »; SUSZA J., *De laboribus Unitorum, promotione, propagatione, et protectione Divina unionis ab initio eius usque ad haec tempora* Jacobi Susza Episcopi Chelmensis anno D.ni 1664, in « *Annales Ecclesiae Ruthenae* », p. 310.

(96) APF, *Scrith. rif. n. Congr. Gen.*, vol. 75, f. 372-373.

(97) ODUM, t. I, N. 871, p. 324; N. 883, p. 329; N. 980, p. 363; WELYKYJ A., *Acta ...*, vol. III, N. 943, p. 119.

(98) « ... iz po zejściu Archijepiscopów, Episcopów ... wszelkie jich dobra wakuje ... Gabrijelowi Koledzie ... Metropolicie, i po nim następującym Metropolitom Unitom, ... moc zupełna dajemy i de facto pozwalamy ... vacantia beneficia cerkewne Religiej Greekiej administrowac, i onemi władc póty, az od nas, albo suksesorów Naszych inclusive na wakuje mianowany i od Metropolity konsekrowany bedzie »; *Obro-na ...*, p. 44.

(99) *IBID.*, p. 46-47; APF, *Scrith. rif. n. Con. MPR*, vol. 2, f. 141.

tenti erant, quia secundum perantiquam praxim Ecclesiae Orientalis, in casu mortis Episcopi, administratio Eparchiae ad archipresbyterum vel ad Clerum primum, seu ad Capitulum vacantis Eparchiae spectabat (100).

Praxis autem metropolitanae administrationis Eparchiarum vacantium inde ab Unione Berestensi introducta est ita, tu Metropolita Iosephus V. Rutskyj post mortem Cholmensis Episcopi, Theodosii Meleşko (a. 1626), Cholmensem Eparchiam administrabat (101) et ab hoc tempore administratio Eparchiarum vacantium ad Metropolitas pertinebat, quam rem non unus casus talis administrationis illustrat (102).

Rex Ioannes Casimirus vero suo privilegio nihil aliud fecit, quam ut iam introductam in administratione vacantium Eparchiarum praxim lege sanciret, ad cuius privilegii concessionem damna Eparchiis, tempore vacationis, tum ex parte patronorum, quam disunitorum, illata eum impulerunt. Quapropter in posterum administratio Eparchiarum vacantium ad Metropolitas vel alios ab ipso specialiter ad hoc delegatos perficiebatur (103).

Metropolita enim etiam aliis ex causis administrationem Eparchiarum gerere potuit. Et ita, anno 1669, Metropolita Gabriel Kolenda, ob infirmitatem Antonii Terleckyj, Peremysliensis Episcopi, Jacobo Suša, Cholmensi Episcopo, Permysliensem Eparchiam administrandam tradidit (104). Metropolita Georgius Vynnyckyj vero, cum Eparchia Luceoriensis, post Dionysii Zabokryckyj Moscoviam a moscoviensi exercitu abductionem, vacasset, atque Cyrillus Szumlankyj, a praefato Metropolita in Administratorem ipsius deputatus, episcopalem consecrationem a disunito Kioviensi Episcopo accepisset, Iosephum Levyckyj, Cholmensem Episcopum (a. 1711), in Administratorem praefatae Luceoriensis Eparchiae deputavit (105). Attamen Iosephus Levyckyj, post duos annos, praefatam administrationem in manus Metropolitae reposuit (106) et Metropolita Georgius Vynnyckyj Iosephum Vyhovskyj in Episcopum Mstyslaviensem consecravit et in Administratorem Luceoriensis

(100) Cfr. BLAŻEJOWSKYJ D., o. c., p. 143.

(101) PŁOŚCANSKYJ V. M., o. c., p. 280-285.

(102) ODUM, t. I, N. 590, p. 216; N. 820, p. 305; SUSZA J., o. c., p. 332; Cfr. SKRUTEN J., *Basilianorum vitae, excerptae e chirogr. collectione metrp. Leonis Kiszka*, in « *Analecta OSBM* », (a. 1931) t. IV, fasc. 1-2, p. 233, 235.

(103) ODUM, t. II, N. 1170, p. 37.

(104) « ... Intanto si ha, che il Metropolita vi ha inviato Monsignor Vescovo di Chelma con titolo di Visitatore, con Patenti loro. ... »; WELYKYJ A., *Acta ...*, vol. II, N. 568, p. 22.

(105) WELYKYJ A., *Acta ...*, vol. III, N. 860, p. 26-27.

(106) « È stato rappresentato a questa S. Congregazione da Monsignor Metropolita ..., che Monsignor Vescovo ... di Kelma deputato amministratore della diocesi di Luceoria, il cui Pastore si trova tuttavia prigioniero de' Moscoviti non possa per le gravi sue occupazioni circa al governo della propria Diocesi ... supplere adeguamente al

Eparchiae, quem post mortem Dionysii Zabokryckyj in Luceoriensem etiam Episcopum (a. 1715), instituit (107).

Haec praxis in administratione Eparchiarum vacantium, a Metropolitanis Kioviensibus Haliciensibusque post Unionem Berestensem introducta, canonicis Synodi Zamostianae sancita fuit. In qua vero Synodo legimus: « cum vacaverit aliqua Sedes Episcopalis, Metropolitanus, vel per se ipsum, vel per Episcopum viciniorem Ecclesiam administrabit tam in spiritualibus, quam in temporalibus; si vero Sedes ipsa Metropolitana vacaverit... aliam autem Ecclesiam, si quam praeter Metropolitanam, prout fieri solet, obtinebat, vicinior Episcopus administrabit, ita tamen, ut Administrator, quicumque is fuerit, exactissimam rationem futuro Episcopo reddere teneatur » (108). Tali modo administratio vacantium eparchiarum, quae primaeve penes Capitula aut archipresbyteros erat, paulatim per praxim regiumque privilegium, in fine per Synodum Zamostianam, in manus Metropolitanarum devoluta est (109).

Praefata iura, post restaurationem Haliciensis Metropoliae, Antistiti istius, in sua provincia, competere coeperunt. Antonius Anhelovyč vero, iam ante suam ad metropolitanam dignitatem elevationem, ut diximus, Administrator vacantium Halicensium Eparchiarum (Leopoliensis et Cholmensis) constitutus fuit et, post suam in Metropolitam institutionem, cum ad sedem metropolitanam Leopolim translatus fuerit, tam Peremysliensem quam Cholmensem Eparchiam ulterius administrabat.

Cum autem anno 1813, Leopoli, penes metropolitanam cathedram, anno vero 1816 penes episcopalem Peremysliensem cathedram, et, quibusdam annis postea, tempore nempe Cholmensis Episcopi F.Ciechanovskyj, penes Cholmensem cathedram, Capitula erecta fuerint, Capitula in posterum, sedibus vacantibus, determinatas Eparchias administrarunt. Administratio autem Metropoliae Haliciensis, sede vacante, secundum Synodi Zamostianae praescriptiones, ad viciniorem Episcopum pertinebat.

ART. 3. — DE SYNODIS PROVINCIALIBUS.

Secundum praescriptionem sacrorum canonum, Synodi provinciales, certis praescriptis intervallis, celebrandae erant. Cui autem antiquae Ecclesiae praxi in Rus-Ucraina obtemperatum non est, cum praefatae Synodi non certis intervallis (1), sed tantum instante Ecclesiae necessitate celebrarentur. Fre-

bisogno della detta Diocesi di Luceoria ... »; APF, *Lett. (di Mons. Segret.)*, vol. 101, f. 296rv (ad Nuntium Poloniae die 9 Julii 1712).

(107) *IBID.*, f. 296v; Cfr. ASV, *N. P.*, vol. 149, f. 50.

(108) *Synodus Zamosciensis, o. c.*, tit. V, p. 93.

(109) Cfr. KAMINSKYJ E. *o. c.*, p. 205-211.

(1) GOLUBINSKIJ E., *o. c.*, t. I, l, p. 295.

quentius vero in antiqua Rus conventus Episcoporum pro novi Episcopi electione celebrati fuerunt. Dabantur quoque conventus Episcoporum ad peragendas sollemnitates (2), ad damnandos haereticos (3), necnon ad quaestiones disciplinares tractandas ac abusus corripiendos.

De his Episcoporum conventibus hinc a labente saec. XI notitiam habemus, secundum quam Metropolita Kioviensis Ioannes corripiendos dicit Episcopos, utpote non recte agentes, qui in Synodum a Metropolita vocati non comparuissent (4). Ad coercendos abusus etiam a Metropolita Kioviensi Cyrillo II (a. 1274), Volodymyriae, Synodus convocata fuit, in qua post Episcoporum sententias statuta atque promulgata sunt quaedam decreta (5). Subsequentibus vero annis similes Synodi convocatae sunt (6).

Cum introductione in Regno Poloniae iuris patronatus, necessitas celebrationis Synodorum quam maxime sentiebatur, cum nominarentur Episcopi nonnulli, qui de suo grege minime curantes atque ad Synodum pro orthodoxae fidei confirmatione advenire nolentes, profanis actionibus potius et negotiis excusabantur. Quapropter a Metropolita Kioviensi Iosepho II Soltan Vilnae anno 1509 Synodus convocata est, in qua Patres statuerunt: « ... iubemus omnibus [Episcopis], ut nisi urgenti quadam necessitate excusentur, sine ulla contradictione in Synodos convenient » (7). Attamen dicta Synodo non obstante, necnon posterioribus Synodis itidem (8), res suo inveterato cursu procedebant. Solummodo inde a tempore visitationis Ecclesiae Ucrainae et Bielarussiae ab Hieremia II, Constantinopolitano Patriarcha (a. 1588), facta, ad annuam celebrationem Synodi, cum quibusdam exceptionibus, perventum est (9).

In prima vero Synodo (Volodymyriensis a. 1274), de qua acta supersunt, sine dubio Episcopi partes activas habuerunt, cum dicitur: Metropolita « cogitavit cum sancta Synodo et cum *venerabilibus Episcopis* quamdam perscrutationem de rebus ecclesiasticis facere » (10). De aliis in hac Synodo praesentibus

(2) MALYŠEVSKIJ I., *Kijevskije Sobory*, in « TKDA » 1884, t. III. p. 494 sq.

(3) GOLUBINSKIJ E., *o. c.*, t. I, 2, p. 795.

(4) « ... iže ne poslušajut epyskopy svojego mytropolyta sovokupliatysia pryzyvajemiji ot neho sbor tvoryty, iže zli tvorjaščaja pončyty jich otečeskyj nakazaniem »; RIB, t. VI, col. 18; Cfr. *Fonti*, Ser. II, fasc. VII, N. 4, p. 2.

(5) Cfr. HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 198.

(6) Cfr. PSRL, t. X, (Nikonivska) p. 162; RIB, t. VI, col. 172.

(7) EUGENIJ, *o. c.*, app. N. 10, p. 47.

(8) Cfr. AkZR, t. III, N. 3, p. 3; AS, t. IX, p. 55-56.

(9) AkZR, t. IV, N. 25, p. 34; MILKOWICZ W., *o. c.*, t. I, N. 157, p. 250; N. 157, p. 251; ArJZR, P. I, t. X, N. 50, p. 92-96.

(10) « Nyni že az pomyslych so sviatym soborom i s prepodobnymy epyskopy nikako o tserkovnych veščech ispytanije izvistno tvoryty »; RIB, t. VI, N. 6, col. 86.

solummodo cum probabilitate dici possumus, deductione facta ex eo, quod in praefata adnotatione « sancta synodus » a « venerabilibus Episcopis » distinguatur.

In Vilnensi (a. 1509) autem Synodo, praeter Metropolitam enumerantur Episcopi (septem) Archimandritae (septem), Hegumeni (sex), Protopresbyteri (septem), et alii presbyteri, de quibus in genere dicitur: « et cum omnibus hic praesentibus presbyteris synodum celebravimus » (11).

Sub fine vero saeculi XVI, et quidem in Berestensi Synodo (a. 1590), statutum est: « hac scriptura nostra disponimus concilia et synodos semel in anno celebrare... ad synodos sese conferre debemus omnes nos et totus clerus », necnon enumerantur, qui, praeter Episcopos, ad Synodos venire tenentur, nempe: « omnes archimandritas, hegumenos, protopresbyteros et alios sacerdotes in scientia Dei instructos e sua quisque Eparchia secum portare unusquisque nostrum tenebitur » (12).

Usque ad Unionem Berestensem in Synodis provincialibus Kioviensis Metropoliae ius decisivum solum ad Metropolitam et Episcopos spectabat; Archimandritae, Hegumeni et Protopresbyteri solummodo voto consultivo gaudebant et, praeterquam in Synodo Berestensi (a. 1594) et hoc quidem « iussu Seniorum », Acta Synodi nunquam subscripserunt. Saeculares autem omni voto carebant etsi, vel ut pars in causa vel honoris causa, suas partes in Synodis habebant.

In Catholica Kioviensi Metropolia antiqua praxis in Synodi celebratione, nempe, quod solum ob necessitates Ecclesiae et non determinatis intervallis Synodi celebrarentur, adhibita est. Prima vero Synodus Catholicae Hierarchiae, si Synodus Berestensis (a. 1596), in qua Unio ucrainorum et bielarussorum cum Sede Apostolica proclamata fuit, excipiat, post 30 ab Unione annos locum habuit.

Anno enim 1625 Metropolitae Kioviensi Catholico Josepho V. Rutskyj ab Urbano PP. VIII commissum atque mandatum fuit, ut infra annum proximum, iuxta praescriptum sacrorum canonum necnon Generalium Conciliorum, ad celebrandum provinciale Concilium suos Suffraganeos Episcopos convocaret. Praeterea, idem *Romanus Pontifex*, *Apostolica auctoritate perpetuo statuit et ordinavit* ex tunc futuris temporibus *singulo quoque quadrienio* similes *provinciales Synodos non minus unius hebdomadae spatio duraturas*, secundum praedictum modum et formam, *convocandas celebrandasque esse*. Insuper praedicto Metropolitae eiusque successoribus plena et ampla

(11) EUGENIJ, o. c., app. N. 10, p. 42.

(12) AkZR, t. IV, N. 25, p. 34; - Dicta vero Synodus a Metropolita et quinque Episcopis celebrata fuit.

facultas auctoritasque quoad tempus et locum pro celebratione Synodi, necnon poenas infligendi, concessa est (13).

Cum autem tales Synodi provinciales licentia Regum Poloniae ligati essent, Metropolita Josephus V. Rutskyj, ut praescripto paedicti Romani Pontificis satisfieri posset, a Sigismundo III Poloniae rege permissum pro celebranda Synodo petiit, quod et obtinuit (14), necnon Synodum provincialem Kobrynensem pro die 6 Septembris 1626 indicavit (15). Rex autem studens obtinere pacem catholicorum cum disunitis, hos ultimos ad praefatam Synodum convocavit (16), cui disunitorum convocationi Sedes Apostolica fortiter sese opposuit mandavitque Nuntio Apostolico in Polonia, Joanni F. Lancellotti, ut omnibus modis Synodum disunitiorum cum catholicis impediret (17).

Kobrynensis vero Synodus, praestabilito a Metropolita tempore, celebrata fuit, attamen absentibus disunitis, qui sua sponte ad hanc Synodum venire noluerunt (18). Ad Synodum iuxta antiquam praxim omnes Archiepiscopi atque Episcopi, Protoarchimandrita ac Archimandritae Hegumenique Ordinis Sancti Basilii Magni, necnon aliqui Protopresbyteri convocati sunt. Iussu autem Sedis Apostolicae, Vilmensis Episcopus latini ritus, Eustachius Wolowicz, Synodo assistere illudque curare debuit, ut constitutiones Synodi, antequam executioni demandatae essent, pro confirmatione ad S. Sedem mitterentur (19). Secundum hanc S. Sedis dispositionem factum est et die 6 Decembris 1629 Romanus Pontifex Urbanus VIII auctoritate Apostolica

(13) « Dantes plenam et amplam facultatem et auctoritatem eidem Archiepiscopo nunc et pro tempore existenti tempus et locum celebrationis conciliorum huiusmodi praefigendi et assignandi, ac poenas sibi benevisas Episcopis legitime non impeditis ad Concilia huiusmodi non venientibus, et, qui venerint, ante finem celebrationis conciliorum huiusmodi praefigendum absque eiusdem Archiepiscopi licentia recedentibus, imponendi et infligendi »; WELYKYJ A., *Documenta* ..., vol. I, N. 390, p. 459.

(14) « Aliquot ante annos scilicet 1626 anno missum fueram ab Ill.mo Domino meo Metropolita Varsaviam ... ad obtinendas a Serenissimo litteras pro celebranda Synodo nostra Provinciali ... Ego autem illis quas dixi Serenissimi litteris pro Synodo Provinciali Cobrini celebranda obtentis, descendi Varsaviam, publicantur ergo litterae Serenissimi et Ill.mi Metropolitae et Synodus celebrabatur ... »; APF, *Scritt. rif. n. Congr. Gen.*, vol. 337, f. 492rv. (Litt. Episc. R. Korsak die 1 Februarii 1630).

(15) RUDOVYČ J., *De Synodo Kobrynensi a. 1626 habita*, in « *Bohoslavica* » t. II, (a. 1924), p. 202.

(16) AkZR, t. IV, N. 226, p. 515-516.

(17) « ... Sac. Congregatio (de Prop. Fide) mandavit scribi Nuntio Poloniae, ut Synodum Schismaticorum cum Ruthenis unitis modis omnibus impediret, quia non potest esse communicatio lucis ad tenebras, et huiusmodi adunationes seu Congregationes potius acerbiores discordias, et inimicitias, quam pacem producere solent »; WELYKYJ A. *Acta* ..., vol. I, N. 56, p. 37-38.

(18) RUDOVYČ J., *De Synodo* ..., p. 198-199.

(19) WELYKYJ A., *Acta* ..., vol. I, N. 53, p. 36.

decreta praedictae Synodi perpetuo approbavit et confirmavit, necnon inviolabile apostolicae auctoritatis robur eis adiecit (20).

In Kobrynensi vero Synodo educatio Cleri et erectio Seminarii constituerunt centrum disputationum (21). Tandem decretum est: « Intra quadriennium quovis tempore et loco a Metropolita praestitutis, Synodus generalis celebretur, de quo loco et tempore quarta de hinc anni parte admonebuntur » (22).

Posteriori autem tempore, iuxta Breve Urbani PP. VIII, quod singulis quadriennis Synodos Provinciales celebrari iubebat, huiusmodi Synodi, paucis exceptis (23), a Metropolitis Kioviensibus Haliciensibusque celebrari non potuerunt. Varias enim causas hoc non permittebant, quas inter, nisi fallimur, necessitas licentiae Regis pro Synodi celebratione regumque conamen ad praefatas Synodos Disunitas convocare, cui conamini semper Sedes Apostolica sese opposuit, timens ne in Synodis provincialibus de materia ad Synodos Generales seu Oecumenicas pertinenti, ageretur (24), necnon legatorum Regis in Synodis provincialibus praesentiae praetensio (25) erat.

Inde a primis Ecclesiae annis tam ad incrementum fidei quam ad extir-

(20) WELYKYJ A., *Documenta ...*, vol. I, N. 407, p. 474.

(21) KULCZYNSKI I., *o. c.*, (Synodus Kobrynensis), app. p. 215-218.

(22) *IBIDEM*, p. 218.

(23) Hae enim Synodi erant: Anno 1643 (8. XI.) Metropolita Antonius Sielava Synodum celebravit, in qua tam de oppressionibus ex parte polonici Cleri quam de restauratione disciplinae ecclesiasticae actum est. (Cfr. HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 550-552). Anno vero 1720 sub Metropolita Leone Kiška Synodus Zamostiana locum habuit, quam Benedictus PP. XIII, die 29 Iulii 1724, Apostolica auctoritate confirmavit. Cfr. *Synodus Zamostiensis. o. c.* p. VII-VIII.

(24) Iussu enim regis Sigismundi III Metropolita Iosephus V. Rutskyj pro die 28 Octobris 1629 Leopoli Synodum Generalem catholicorum cum disunitis indixit (Cfr. RYŻEVSKYJ V., *De Ucrainorum episcoporum Leopoliensi conventu a. 1629*, in « *Bohoslovia* », t. VI, (a. 1928), L. 4, p. 165). In hac Synodo etiam examinanda erat quaestio de erectione Patriarchatus in terris Ucrainae et Bêlorussiae, a polonis occupatis. (Cfr. KRYPJAKEYVYĖ I., *Novi materialy do istoriji soboriv 1629 r.*, in « *ZNTS* », t. CXVI (a. 1913), L. IV, p. 32; RYŻEVSKYJ V., *o. c.*, p. 170). Attamen Sedes Apost. sese opposuit huiusmodi Synodi celebrationi (Cfr. DE MARTINIS R., *o. c.*, P. II, p. 42; WELYKYJ A., *Acta ...*, vol. I, N. 56, p. 37-38) et die 28 Octobris 1629 Metropolita suis Episcopis communicavit prohibitionem Sedis Apostolicae quoad Synodum catholicorum cum disunitis, necnon intimatam Synodum his verbis revocavit: « In istis ergo positis angustiis rem commendavimus D.no Deo et consulimus, ut iremus Leopolim et ibi non tantum celebraremus ullam synodum communem cum schismaticis, quod prohibet nobis dicta inhibitio, sed nec nostram particularem ... »; KRYPJAKEYVYĖ I., *o. c.*, p. 35; RYŻEVSKYJ V., *o. c.*, p. 165; HARASIEWICZ M., *o. c.*, p. 445-448.

(25) Metropolita Philippus WolodkovyĖ anno 1765 Synodum Provinciale celebrare voluit, qua de causa litteras ad Regem Poloniae misit, qui ad celebrandam Synodum consensum dedit, attamen cum clausula, mittendi suos legatos, qui Synodo praeesse debuissent. (Cfr. PELESZ J., *o. c.*, t II, p. 503-504). Huic autem ingerentiae

pandos abusus Synodi provinciales celebratae sunt suamque in sacris canonibus sancitam habuerunt disciplinam. In Metropolia Kioviensi Haliciensique vero celebratio talium Synodorum saepe saepius, ut diximus, impedita fuit. Attamen cum eorum necessitas, ut disciplina atque mores totius ecclesiasticae provinciae meliorarentur, quam maxime sentiretur, Hierarchia Ucrainae et Bielarussiae, ut his necessitatibus satisfaceret, in Capitulis Generalibus Ordinis Sancti Basilii Magni de omnibus necessitatibus provinciae pertractabat ita, ut recte quidem A. M. Ammann hac de re agens asserit: «I capitoli provinciali dell'Ordine divennero dunque praticamente sinodi della Chiesa unita » (26). Talia Capitula saepe a Sede Apostolica approbata fuerunt, unde quodammodo deerat necessitas singulis quadrienniis Synodos provinciales celebrari.

Ad Metropolitam et nullum alium pertinebat quoque omnia, quae ad celebrationem provincialis Synodi referebantur, diligenter praedisponere. Praeter loci temporisque assignationem, Metropolita in antisynodalibus sessionibus tam consilia quam materiam colligere atque decreta, quae in futuro Synodo examini approbationique tradi debebant, formare, necnon hos, quibus ius in Synodis provincialibus competeret, per litteras convocare debuit.

Quoad personarum ad Synodos provinciales convocationem, post Berestensem Unionem eadem, quae ante Unionem viguit, adhibita est praxis, cum hac sola differentia, quod, probabiliter, a Kobrynensi Synodo Protoarchimandrita et Archimandritae Ordinis S. Basilii Magni voto decisivo (27), dum Hegumeni ac Protopresbyteri, qui itidem secundum antiquam praxim ad Synodos provinciales vocabantur, unice voto consultivo gavisii sunt. Attamen praeter Ecclesiasticos, in praefatis Synodis tam Legati regii, non autem ut membra Synodi, sed tantum tamquam protectores Synodi, quam Delegati Confraternitatum (28), omni voto carentes, adfuerunt.

Anno vero 1765 praeter Protoarchimandritam et Archimandritas cum voto deliberativo etiam Consultores Generales Ordinis S. Basilii Magni Synodo provinciali adesse praetendebant. Res Romam pro solutione missa fuit, unde

Regis in res ecclesiasticas Sedes Apostolica sese opposuit (Cfr. APF, *Scritt. rif. n. Congr. MPR*, vol. 9, f. 489-490). Cum Rex in suis propositionibus insisteret (Cfr. WICARUK S., o. c., p. 89-95; THEINER A., *Vet. Mon. Pol. Lit.*, t. IV, P. II, N. 34, p. 80-85) Metropolita, audito consilio Nuntii quorumdamque Episcoporum, die 7 Augusti 1765, ad sequentem annum (26. VIII) celebrationem Synodi transtulit (Cfr. ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, vol. 99, f. 21). Attamen ne sequenti anno quidem Synodus locum habuit.

(26) AMMANN A. M., o. c., p. 285.

(27) DE MARTINIS R., o. c., P. I, t. I, p. 117.

(28) In Synodo Zamostiana Delegati Confraternitatis Leopoliensis aderant. Cfr. *Synodus Zamosciensis*, o. c., p. 39.

responsum pervenit, ius voti deliberativi solummodo ad Protoarchimandritam et Archimandritas spectare, etiamsi in Synodum provincialem Consultores Generales ingredi deberent. (29).

Competentia Synodi provincialis satis ampla fuit atque haud pauca obiecta revera pertractata sunt. Dictae enim Synodi omnia negotia provinciae ordinabant, his exceptis, quae ad competentiam Synodi Generalis seu Oecumenicae pertinebant, nempe enuntiatio dogmatis fidei (30), neque de dogmatibus iam in Conciliis Oecumenicis definitis disceptare potuerunt. Attamen enuntiata et definita Ecclesiae dogmata Synodus provincialis sollemniter recepit atque ea, non secus ac probatam doctrinam catholicam, sua itidem auctoritate proposuit erroresque profligavit. Latius vero dicta Synodus in re disciplinari patet ubi tum legiferam, tum administrativam, tum denique, sed rarius, iudicalem et coactivam exercet potestatem. In re disciplinari nihil potest contra ius commune statuere, sed solum studiose inquirere atque decernere, quae ad fidei incrementum, moderandos mores, corrigendos abusos, sedandas controversias, eandem disciplinam servandam vel introducendam spectant. In hac enim directione Synodi provinciales Metropoliæ Kioviensis Haliciensisque (31) et deinde restauratae Haliciensis Metropoliæ celebratae sunt (32).

Confirmatio decretorum Synodi provincialis in Metropoli Kioviensi, ante Berestensem Unionem, ad Metropolitam pertinebat. Post dictam Unionem approbatio et confirmatio decretorum Synodi provincialis ad Romanum Pontificem devoluta est. Tali modo statuta Synodi in executione suspendebantur, donec a Sede Apostolica decreta Synodi confirmarentur (33). Quapropter statim post celebrationem Synodi Kobrynensis, Zamostianae, necnon in restaurata Haliciensi Metropoli, Leopolitanae, decreta praefatarum Synodorum Romam missa sunt pro confirmatione et postea promulgata (34).

(29) « ... avendo l'EE. Loro esaminato la materia e considerate le ragioni addotte dal P. Protoarchimandrita hanno giudicato rispetto al primo e secondo dubbio, che debbano intervenire al Sinodo li soli Consultori oltre il Protoarchimandrita e gli Abbati i Provinciali, con questa differentia però, che il voto definitivo spetti solamente al Protoarchimandrita, ed Abbati suddetti »; APF, *Lett.*, vol. 206, f. 342.

(30) PAPP-SZILAGYI J., o. c., p. 128.

(31) ZUKOVYČ P., *Kobryn'skyj sobor i Torun'skyj sejm 1626 hoda*, in « *Chrystianskoje Ctenije* » S. Petersburg 1910, p. 20; HARASIEWICZ M., o. c., p. 350-351; *Synodus Zamosciensis*, o. c.,

(32) *Acta et decreta Synodi provincialis Ruthenorum Galiciae*, (habita Leopoli a. 1891), Romae 1896, p. 1-187.

(33) APF, *Istruzioni diverse*, vol. I, f. 2-3; - « ... suspensa tamen executione, donec a S. Congregatione resolutiones sive Decreta Synodalia confirmentur »; WELYKYJ A., *Acta ...*, vol. III, N. 943, p. 120.

(34) WELYKYJ A., *Documenta ...*, vol. I, N. 406, p. 474; *Synodus Zamosciensis*, o. c., p. VII-X; *Synodus Leopolitana*, o. c., p. 187.

Sedes Apostolica Metropolitae Leoni Kiška praecepit, ut decreta Zamostianae Synodi « observentur in tota Provincia, eaque de causa, et post necessariam Sanctae Sedis approbationem, statim Suffraganeis innotescant, et in tota Provincia promulgentur » (35). Post Synodi promulgationem, a Metropolita in Metropolia et ab Episcopis in propriis Eparchiis factam, decreta in universa provincia vim suam habebant. Haec enim praxis Kioviensis Metropolitae etiam in Halicensi Metropolia adhibita est, quod haud dubie Synodus provincialis Leopolitana comprobatur (36).

ART. 4. — DE METROPOLITARUM HALICIENSIVM IN RELIGIOSOS POTESTATE.

Ut tractationem nostram de iuribus Metropolitarum Halicensium persolvamus (1), de ipsorum iuribus in monachos aliqua delibare opportunum esse duximus.

In primaeve Ecclesia monachi eorumque monasteria iurisdictioni respectivi Episcopi loci subiecta erant. Hanc generalem normam iuris orientalis iam Synodus Chalcedonensis (a. 451) expresse proposuit (2). Posteriores vero Ecclesiae Orientalis Synodi hanc normam sanxerunt, sive canones praedictae Synodi repetentes sive clarius determinantes (3). Totam hanc legislationem tam canonicam quam civilem nomocanones graeci in unum collegunt (4). Haec vero norma iuris uti fundamentalis et communis in toto Oriente usque ad nostra tempora viguit et viget.

In Ecclesia Ucraina aequo iure a primordiis vitae monasticae hanc normam viguisse patet ex eo, quod in antiqua Rus' christiana praefati nomocanones (5) graeci tamquam unica norma canonica introducti sunt et, ut ex antiquis documentis deducitur, in vigore fuit (6).

(35) *Synodus Zamosciensis*, o. c., tit. V, p. 92-93.

(36) Cfr. *Synodus Leopolitana*, o. c.

(1) Ut ex superioribus patet, de quibusdam iuribus Metropolitarum Halicensium tractare omisimus, quae iura a Metropolitarum Kioviensium iuribus propriis nullo modo distinguuntur, de quibus videre potes apud: LOSOVEJ P., o. c., pp. 156-178, 198-201, 209-216; KAMINSKYJ E., o. c., pp. 188-197, 275-298.

(2) In canone 4 dictae Synodi legimus enim: « Placuit igitur, neminem aut aedificare, aut construere monasteria, aut oratorii domum, sine conscientia ipsius civitatis Episcopi. Eos vero, qui per singulas civitates, seu possessiones in monasteriis sunt, ..., Episcopo subiectos esse debere »; CARRANZA B., o. c., t. I, (Conc. Chalcedon. a. 451, can. 4) p. 502-503; PITRA J. B., o. c., t. I, p. 524; *Fonti*, fasc. IX, NN. 659, 672.

(3) Cfr. CARRANZA B., o. c., t. I, (Conc. Trullan. a. 692, can. 41) t. II, (Conc. Nicaen. a. 787) can. 4, p. 293; can. 17, p. 296; PITRA J., B., o. c., t. II, pp. 46, 106, 117.

(4) WOJNAR M., o. c., p. 30-31.

(5) In usu erant etiam: Nomocanon 50 titularum, seu Ioannis Scholastici et Nomocanon 14 titularum, seu Photii.

(6) Cfr. WOJNAR M., o. c., p. 32 sq.; HARASIEWICZ M., o. c., pp. 178, 182; MAKARIJ,

Successu autem temporis, sive per motivum centralisationis monachorum Ordinis S. Basilii Magni (7), sive per regia privilegia, Metropolitae Kiovienses Haliciensesque sat amplam possidebant potestatem. Quapropter dissensiones Ordinem inter et Hierarchiam ortae sunt, quae circa ipsum officium in regimine Basilianorum centrale seu Protoarchimandritam versabantur. A tempore enim constitutionis novae Congregationis SS. Trinitatis Basilianorum (a. 1617), officium illud usque ad annum 1675 ipsi Metropolitae Kiovienses Haliciensesque ad vitam retinebant. Inde a Capitulo Zyrovicensi (a. 1675) munere Protoarchimandritae simplices monachi fungi coeperunt ac hoc ipso tempore plures quaestiones circa relationem Ordinem inter et Hierarchiam evenerunt quae, dum hoc munere Metropolitae fungebantur, locum non habebant. Praefatae dissensiones in Capitulo Novhorodensi (a. 1686), vi sic dicti «*Nexus*», quodammodo sopitae sunt (8).

Praedictus «*Nexus*» variis punctis continebatur, quae summatim sumpta haec erant:

1. Protoarchimandrita post suam electionem in manibus Metropolitae iuramentum, a Josepho V. Rutskyj praescriptum, praestabit, cum explicatione clausulae in eodem iuramento positae, quae obedientiam Metropolitae in omnibus sonat (9). Omnibus autem Capitulis praesidere ius habet Metropolita.

2. Metropolita Religioni eiusque Protoarchimandritae ordinem internum religiosum plene relinquit, reservatis sibi quae ordinariae iurisdictionis sunt.

3. Protoarchimandrita quotannis eorum omnium, quae in Religione fiunt, Hierarchiae rationem reddat et si quae ad augendam Religionem ei opus sint, a suo Hierarcha exposcat. Similiter Consultores generales de necessitatibus Religionis, semel saltem in anno, Metropolitae scribere debent.

4. Si quis forte gravetur a Protoarchimandrita et Consultoribus in re gravi, recursus ei pateat ad Metropolitam et si inique appellet, graviter castigabitur.

o. c., t. VI, p. 172; APF, *Congr. Partic.*, vol. 120, f. 123-124.

(7) Transformationem vero Ordinis SBM in monasticam Congregationem iam tertius a Berestensi Unione Kioviensis Haliciensisque Metropolita, Josephus V. Rutskyj, peregit.

(8) Si quis hac de re maiora cupit, videat: BIAŻEJOWSKYJ D., o. c.; WOJNAR M., o. c.

(9) Formula dicti iuramenti talis erat: «Ego NN. Ordinis S. Basilii Magni hieromonachus, iuro Domino Deo Uni et Trino me Religioni s. patris nostri Basilii Magni, praesertim vero Congregationi eiusdem religionis Vilnensis Sanctae ac Vivificae Trinitatis me debitum fidelemque fore, bonumque ac incrementum eius viribus meis curaturum, cum perseverantia in unione cum Sancta Romana Ecclesia obedientiamque in omnibus iuxta nexum praescriptum domino et patri meo illustissimo ac reverendissimo Metropolitae Kijoviensi Haliciensi totiusque Russiae domino NN. successoris»

5. Capitula intimabit Protoarchimandrita, consulto Metropolita de tempore et loco; ad Episcopos intimatoriae dabuntur, Metropolitae simul et Protoarchimandritae manibus sigillisque munitae.

6. Protoarchimandrita visitabit sive per se sive per alium omnia monasteria incorporata Congregationi SS. Trinitatis, pro qua tamen visitatione accipiet a Metropolita expeditionem ad Episcopos titulo Archimandritae gaudentes, necnon Metropolitae reddet rationem de rebus Religionis.

7. Suppeditabit Metropolitae dignas personas tam pro Synodis dioecesanis pastoralique iuvandae curae quam pro suis sublevandis laboribus.

8. Protoarchimandrita visitabit ecclesias parochiales, curae regularium subiectas, earumque Metropolitae reddet rationem. Visitatio autem Archimandritarum Metropolita, archimandriarum vero, episcopalibus non exceptis, Protoarchimandrita peragere debet, sed, quod has ultimas spectat, Protoarchimandrita expeditionem seu auctorisationem a Metropolita recipere debet.

9. Protoarchimandrita, iuxta suas leges, conferet omnes Superioratus, Polocensi Cathedralis Ecclesiae et Cassutensi exceptis, Archimandrias aliosque advitales Hegumenatus vero conferet Metropolita, consultis Protoarchimandrita et Consultoribus.

10. Monasterium Berezvecense cum bonis redditibusque ex nunc applicantur Novitiatui erigendo in hoc ipso monasterio traditurque Protoarchimandritae, qui ei Superiorem praeficiet.

11. Metropolita in Episcoporum aliorumque dignitatum advitalium institutione super qualitatibus promovendorum confert cum Protoarchimandrita et Consultoribus.

12. Omnes contractus, tam acquisitivi quam alienativi, praevisio Metropolitae consensu fient.

13. Depositiones Superiorum temporalium penes Protoarchimandritam, advitalium autem penes Metropolitam et Protoarchimandritam erunt.

14. In casu obitus Protoarchimandritae, primus Consultor, cum scitu Metropolitae, reget Religionem, novum autem Capitulum congregabit Metropolita.

15. Confessarium, Theologum et alios, lateri suo assistentes, quos requirit Metropolita, providere obligabitur Protoarchimandrita, debitis qualitatibus pro eiusmodi muneribus praeditos (10).

busque eius. Munus vero protoarchimandritae, ad quod capitulariter sum electus, peracturum iuxta leges, mihi nunc a domino meo et patre Metropolita, itemque a Religione congregationis nostrae traditas, atque ad praescriptum eorum in omnibus gesturum. Ita me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia »; WOJNAR M., *o. c.*, p. 172.

(10) Cfr. APF, *Congr. Part.*, vol. 29, f. 297-298; AS, t. XII, p. 122-123; WOJNAR M., *o. c.*, p. 170-171.

Haec omnia mutuae connexionis puncta ab utraque parte subscripta ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide, Sanctamque Sedem Apostolicam, pro confirmatione missa sunt, attamen approbationem non obtinuerunt. Dicta approbatio ob novas querelas instantiasque a Basilianis motas locum non habuit. Querelae enim Basilianorum praecipuae contra nonum et decimum septimum punctum « Nexus » (11) motae sunt. Suis vero instantiis Basiliani decretum S. Congregationis de Propaganda Fide, quo Episcopi ad officium Protoarchimandritae inhabiles declarabantur, obtinere studebant.

De approbatione « Nexus » et de Constitutionibus illis Basilianorum duabus vicibus (12) in S. Congregatione de Propaganda Fide mota est quaestio, sed utraque sine effectu. In praxi tamen Constitutiones illae, consequenter etiam relatio Metropolitam inter et novam Congregationem SS. Trinitatis illis determinata, quae, ut facile animadverti potest, in pluribus nihil aliud erat, nisi praxeos, iam prius a Metropolita Rutskyj introductae, receptio, usque ad reformationem Benedicti XIV perdurarunt et quidem in eadem vi iuridica, exceptis paucis, quae per Synodum Zamostianam mutata sunt.

Inde a Synodo Zamostiana, ut superius diximus (13), nova exorta est quaestio, nempe institutionis alterius Congregationis Basilianorum, quae Congregatio anno 1739 in Capitulo Leopoliensi erecta est et denominationem « Congregatio Protectionis B. M. Virginis » sumpsit. Attamen post finitum Capitulum Consultorium Congregationis SS. Trinitatis operavit, ut nova Congregatio antiquae subiiceretur (14). His de causis Benedictus PP. XIV Nuntio Poloniae, Fabritio Sorbelloni, praecepit Capituli Generalis Basilianorum intimationem. Praefatum Capitulum, cui Metropolita praesidebat, revera die 26 Maii 1743 in Dubnensi monasterio locum habuit. Post longas et non leves disceptationes utraque Congregatio ad communes resolutiones devenit et unio utriusque in unum Ordinem, duabus provinciis constantem, conclusa est.

In praedicto Capitulo, ob instantiam Congregationis « Protectionis B. M. Virginis », inter Ordinem et Metropolitam novus, similis illi anni 1686, conclusus est « Nexus » (14). Acta vero Capituli Romam transmissa et die

(11) Materia 17.mi puncti « Nexus » in nostro decimo quinto invenitur puncto

(12) Prima vice in Congregatione Particulari die 19 Februarii 1688 (Cfr. APF, *Congr. Part.*, vol. 29, f. 284-285; WOJNAR M., *o. c.*, p. 176-177), altera vero vice, propter instantiam Protoarchimandritae ad Innocentium PP. XII et S. Congr. de Prop. Fide factam (Cfr. APF, *Lett. di Mons. Segr.*, vol. 82, f. 74), die 12 Januarii 1693 in Congr. Part. res acta est. Cfr. APF, *Congr. Part.*, vol. 29, f. 862.

(13) Cfr. p. 98 sq.

(14) In dicto « Nexu » inveniebantur nova puncta, secundum quae Metropolita inspicere debuit de observatione alternativae in electione Protoarchimandritae, nec-

30 Martii 1744 in Congregatione Particulari S. Congregationis de Propaganda Fide coram Benedicto PP. XIV examinata sunt promulgataque necnon in pontificiam decretalem « *Inter plures* », die 11 Maii 1744 editam, inserta (15).

Subsequens vero Capitulum Generale, nempe Berestense anni 1747, constitutiones primi Generalis Capituli (a. 1743) ad mentem decreti « *Inter plures* » corregit atque tribus novis constitutionibus complevit (16). Anno 1751 in Berestensi itidem, tertio Generali Capitulo, constitutiones secundi Generalis Capituli, cum quibusdam tantum mutatis et una tantum nova addita constitutione, conservatae sunt. Decreto autem S. Congr. de Propaganda Fide (a. 1752), ultimum hoc Capitulum adprobante, quaedam magis determinata sunt (17). Anno vero 1756 Benedictus PP. XIV in decretali « *Super familiam* » quamdam emendationem in relatione Archimandritarum ad Metropolitam fecit. Ex decretali « *Super familiam* » (18) scimus, quod die 23 Novembris 1755 coram Benedicto PP. XIV, in Congregatione Particulari S. Congr. de Propaganda Fide, quaestio submissionis Archimandritarum soluta est.

In praefata decretali legimus: « ... Archimandritas monasteriorum praefatae Congregationis immediatae iurisdictioni Proto Archimandritae pro tempore existentis subesse debere; ita tamen ut unusquisque eorum, institutionem quidem a Metropolitano, installationem vero a Proto Archimandrita suscipere teneantur; obedientiae autem iuramentum in Metropolitanis manibus praestent » (19). Eodem modo, nempe Metropolita instituyente et Protoarchimandrita installante, ad aliam archimandriam Archimandritae transferuntur. Statutum quoque erat, quod Archimandritae tam in provincialibus, suarum respective provinciarum, quam in generalibus Capitulis, activi et passivi suffragii iure gaudere debent atque in numerum vocalium pro generalibus Capitulis, in epistula « *Inter plures* » designatum, includantur.

Decretum etiam fuit, Protoarchimandritae licitum fore, Archimandritas monasteriorum « *Ordinis S. Basilii Magni Ruthenorum* » visitare atque tempore visitationis huiusmodi, si bonum monasteriorum id exigat, ab officio suspendere; reservato tamen suspensis iure appellandi in devolutivo ad Metropolitam, tamquam Sedis Apostolicae Delegatum. Si vero in tali visitatione ad alias poenas corporis Protoarchimandrita processerit, apud Archimandritas re-

non ad electionem Metropolitanae intrat Protoarchimandrita cum Consultorio. Attamen ultimum punctum, uti superius diximus, a Romano Pontifice proscriptum est.

(15) WELYKYJ A., *Documenta* ..., vol. II, N. 704, p. 88-100.

(16) APF, *Congr. Part.*, vol. 114, f. 396-417.

(17) *Bullae et brevia*, P. II, p. 80-86.

(18) WELYKYJ A., *Documenta* ..., vol. II, N. 747, p. 162; - Constitutio « *Super familiam* » die 30 Martii 1756 exarata est.

(19) *IBIDEM*.

manet ius appellandi ad Metropolitam, etiam in suspensivo. Attamen si Protoarchimandrita extra visitationis actum adversus Archimandritas procedere velit, una cum Consultorio suo poenam statuere debet, a qua vero Archimandritae ad Metropolitam tamquam Sedis Apostolicae Delegatum in suspensivo appellare possunt. Similiter quibuscumque monachis appellatio ad Metropolitam permissa fuit (20).

Etiam post exaratam Constitutionem « *Super familiam* », ad Metropolitam Kioviensem Haliciensemque alia iura, praeter supra nominata, in Basilianorum Ordinem spectabant:

1. Metropolita inspicere debuit observantiam alternativae, id est altera vice ex una, alia vero ex altera provincia, in electione Protoarchimandritae.

2. Metropolita Capitulo Generali tamquam Delegatus Apostolicus sive per se sive per alium Episcoporum sui ritus praesidet.

3. Metropolita, Capitulo convocato, iudicat scandalosum Protoarchimandritam.

4. Protoarchimandrita obedientiam secundum « *Nexum* » Metropolitae iurare tenebatur.

5. Post mortem vel ascensum Protoarchimandritae Religionem primus Consultor, certiorato prius de obitu Protoarchimandritae Metropolita, regere debuit.

6. Metropolita Archimandritas ad conventus hierarchicos convocare potest et debet, certiorato Protoarchimandrita. Archimandritae vero ad Synodum vocati obedire debent, seu Synodo adesse.

7. Archimandrias vacantes propriae Eparchiae administrat Metropolita.

8. Tam Metropolitae quam Episcopis necessarias idoneasque personas dare Protoarchimandrita obligatus erat.

Jurisdictionis Metropolitanorum Kioviensium Haliciensiumque in monachos Basilianos supra enumerata puncta vi Bullae « *In universalis Ecclesiae regimine* » ad Metropolitas restauratae Haliciensis Metropolitae devoluta sunt.

Etiam si *de iure* Metropolitanis Haliciensibus omnia iura, quibus Metropolitae Kiovienses Haliciensesque ornati erant, concessa sunt, *de facto* Halicienses Metropolitae non omnibus gavisii sunt, aut quia non dabantur casus applicationis talium iurium, aut politicae vicissitudines hoc non permittebant. Ita quoque erat cum Metropolitanorum Haliciensium in monachos Basilianos iurisdictione.

Tempore enim restorationis Metropolitae Haliciensis «Ordo S. Basilii Magni Ruthenorum» iam ab anno 1780 (21) in quatuor et quidem: Bielarussiae, Hali-

(20) *IBID.*, p. 163.

(21) *ASV, Arch. Nunz. Varsavia*, vol. 76, p. 395; Cfr. WOJNAR M., *o. c.*, p. 101.

ciae, Lithuaniae et Poloniae provincias divisus est, quae post tertiam divisionem Poloniae pro maiori parte (tres provinciae) in Dominio Moscoviae, una autem (Haliciensis) provincia in Dominiis Austriae inveniebantur.

Cum secundum decreta tam Moscoviensis quam Austriae Imperialis Aulae iurisdictio extraneorum in suos subditos prohibita fuit, primi restauratae Haliciensis Metropolitae atque unici (22) ucrainorum Metropolitae, Antonii Anhelovyč, metropolitana iurisdictio non ad totum Basilianorum Ordinem, sed solum ad Haliciensem praefati Ordinis provinciam extendebatur. Halicienses vero Metropolitae, uti pluries diximus, omnia iura, quibus Kiovienses Haliciensesque Metropolitae gavisi sunt, habebant.

Iurisdictio autem Metropolitum Haliciensium in monachos Basilianos adhuc magis diminuta est, cum anno 1882, ad normam constitutionis Leonis PP. XIII « *Singulare praesidium* », diei 12 Maii 1882 (23), generalis, sic dicta Doromyliensis, praefati Ordinis reformatio peracta est, necnon monachi Basiliani ab ordinaria non solum Episcoporum, verum etiam ipsius Metropolitae auctoritate et iurisditione, a Leone PP. XIII, secundum canones Concilii Tridentini, exempti declarati sunt (24).

A praedicto anno, decennio non expleto, et quidem anno 1891 iura Metropolitum Haliciensium a Synodo Leopolitana adhuc magis diminuta sunt. Suam vero decisionem ita probavit praefata Synodus: « ... eo quod regimen praesens Ecclesiarum etiam nostrarum ferme ad Concilii Tridentini normam redactum fuerit, ideo etiam iura Metropolitae Haliciensis *plus minusve* eadem sunt, quae de communi iure omnibus metropolitae competunt, *hoc uno excepto*, quo usque nunc Metropolita Haliciensis utitur, nempe Sedis Apostolicae nomine confirmandi atque instituendi Episcopum Premisliensem eique munus consecrationis conferendi atque ex novissima S. Sedis concessione etiam relate ad Episcopum Stanislaopolitanum » (25).

(22) Revera in Dominiis Moscoviae in Metropolitam Unitorum Polocensis Archiepiscopus, Hieracius Lisovskyj, a tsar nominatus fuit, attamen nec ipse nec eius successores confirmationem a Sede Apostolica acceperunt.

(23) WELYKYJ A., *Documenta ...*, vol. II, N. 997, p. 454-459.

(24) « Hanc itaque sodalitatem Basilianorum ab ordinaria Episcoporum et ipsius etiam Metropolitae Ruthenorum auctoritate et iurisditione omnino eximimus et exemptam esse declaramus; salva tamen potestate, quam Tridentina Synodus Episcopis in hoc genere attribuit, etiam uti Apostolicae Sedis Delegatis »; *IBID.*, o. c., p. 457.

(25) *Synodus Leopolitana*, o. c., p. 118.

CONCLUSIO

Ut uno oculorum obtutu plura paucis perstringamus, hoc in loco conclusionem harum omnium de quibus decursu nostrae dissertationis locuti sumus, indicare fas est.

Dissertatio nostra duabus componitur partibus, quarum prima Haliciensis Metropoliae historiam, altera vero Metropolitaram Haliciensium iura comprehendunt.

Brevem Introductionem, in qua tum de territorio tum de praehistoria quasi Metropoliae Haliciensis res agitur, pars historica nostrae dissertationis subsequitur, quae tria in capita dividitur. Quorum secundum tamquam pons est, qui ab erectione Haliciensis Metropoliae ad eiusdem restaurationem (a. 1807) ducit. Hoc caput in nostram dissertationem inserere ex eo necessarium esse visum est, quod Metropolita restauratae Haliciensis Metropoliae (a. 1807) Leopoli sedem suam fixit. Quapropter, tam de disunita quam, post annum 1700, de unita cum Romana Ecclesia Leopoliensi Eparchia sermonem institimus. Haec omnia magna cum cura ac minuta claritate exponere conati sumus, quamvis forsitan non omni ex parte sufficienter, a quo nos excusare poterit tam amplitudo materiae, quae specialem tractationem exigere videtur, quam ratio, ob quam praedictum caput in nostram dissertationem inseruimus, nempe ut veluti pontem habeamus inter erectionem Haliciensis Metropoliae et eiusdem restaurationem (a. 1807).

Tertium autem caput primae partis nostrae dissertationis punctum principale huius dissertationis constituit, cui secundum caput itidem in secunda parte addere oportet. Supra nominatum vero primae partis caput cum prima (a. 1772) Poloniae divisione incipimus, ex quo tempore et praesertim post tertiam (a. 1795) Poloniae divisionem negotia intuitu restaurationis antiquae Haliciensis Metropoliae initium capiunt.

Cum tertia Poloniae divisione Hierarchia Ucrainae et Belorussiae inter tres Status (Austria, Borussia, Moscovia) divisa fuit. Et quia hoc tempore in nominatis Statibus emanata sunt decreta, influxum extraneorum Episcoporum super subditos alterius Status prohibentia, Metropolita Kioviensis Halicenisque, Theodosius Rostockyj, in exercitio suae iurisdictionis extra Dominia Moscoviae impeditus erat donec, decreto die 6 Septembris 1795 a Catherina II exarato, omni sua metropolitana iurisdictione, etiam in Dominiis Moscoviae, destitutus fuit. Quapropter in Regno Haliciae et Volodymyriae, quod post

tertiam Poloniae divisionem Imperio Romano cessit, tam ex parte Gubernii Haliciensis quam Cleri ucraini mota est quaestio restorationis antiquae Haliciensis Metropolitae, ne Ecclesia Haliciae et Volodymyriae sine suo legitimo Capite remaneret. Propositum quoque fuit, ut etiam ex aliis Dominiis Austriae Hierarchia fidelesque eiusdem ritus Metropolitae Halicensi subicerentur, quod oppositionem Gubernii Hungariae nactum est. Hac de causa intuitu restorationis Metropolitae Haliciensis nihil conclusum est.

Attamen Hierarchia ucraina Haliciae praedictum propositum restaurandae antiquae Haliciensis Metropolitae non reliquit, ac denuo sua conamina renovavit, sed neque hac vice huiusmodi conamina felicem effectum habuerunt, cum hoc tempore nova orta sint obstacula.

Iam die 24 Iulii 1806 a tsar Moscoviae Alexandro I in Metropolitam unitorum in Dominiis Moscoviae Polocensis Archiepiscopus, Heraclius Lisovskyj, nominatus fuit; quare Sedes Apostolica, spe Metropoliam Kioviensem Haliciensemque restaurandi concepta, negotia intuitu restorationis antiquae Haliciensis Metropolitae suspendit. In qua negotiorum suspensione haud dubie etiam opera Cleri polonici, qui a Sede Apostolica postulavit, ut Clerus ucrainus Archiepiscopo Leopolitano latini ritus subiceretur, dignoscitur.

Contra hanc ultimam Cleri polonici postulationem, Hierarchia ucraina fortiter sese opposuit restorationemque antiquae Haliciensis Metropolitae a Sede Apostolica postulavit, cui postulationi etiam Aula Caesarea Regia efficacem praebeuit assensum. Qua de causa Sedes Apostolica, postquam de impossibilitate Metropolitae Kioviensis Haliciensisque restaurandae certior facta est, Bullam restorationis Metropolitae Haliciensis, iam primis mensibus anni 1807 exaratam, mense Maio 1808 Viennam misit. Cum autem in praefata Bulla duae clausulae (observantia Synodi Zamostianae et petitio renuntiationis iuribus metropolitanis quoad Haliciensem Metropoliam Hieraclii Lisovskyj) invenirentur, « placet regium » Bullae denegatum fuit, necnon Bullam Romam ad revisionem remittere decisum est. Postquam tamen Cancellariae ministerii externorum negotiorum Vicarius Generalis Leopoliensis, Michael Harasievych, pericula ex Bullae remissione explicavit, « placet regium » solummodo supra nominatis clausulis denegatum est ac die 25 Septembris 1808 sollemnis introductio primi restauratae Haliciensis Metropolitae Metropolitae, Antonii Anhelovych, peracta fuit atque ita dignitas metropolitana Haliciensis, quae a quique saeculis interierat, resuscitata est.

Secunda vero pars nostrae dissertationis duobus capitibus componitur ac characterem mere iuridicum habet. In ea enim, et quidem in primo capite, generalem figuram iuridicam Metropolitanorum tam Orientalium quam Occidentalium delineavimus, in secundo vero capite de peculiari figura iuridica Metropolitanorum Halicensium tractamus.

Cum vero Metropolitae Halicensibus in Bulla « *In universalis Ecclesiae*

regimine » a Pio PP. VII eadem iura, quae olim a Clemente PP. VIII in Bulla « *Decet Romanum Pontificem* » Metropolitae Kioviensibus Haliciensibusque data fuerant, concessa sunt, nos de iuribus Metropolitae Haliciensium tractantes, ea ex his Kioviensibus Haliciensibusque Metropolitae propriis deduximus. Unde facilis patet conclusio, quae etiam expresse in Bulla « *In unievrſalis Ecclesiae regimine* » invenitur, quod Halicienses Metropolitae iuribus oneribusque iisdem utebantur, quibus Metropolitae Kiovienses Haliciensesque gavisī sunt. Proinde, sicuti Metropolitae Kioviensibus, secundum codificationem iuris orientalis, competit titulus Archiepiscopi maioris, idem titulus etiam Metropolitae Haliciensibus agnoscendus est.

Haec tamen Metropolitae Haliciensium iura Synodus Leopolitana dimi-
nuit eaque ad normas Tridentini Concillii cum iuribus Metropolitae Latinae
Ecclesiae plus minusve aequiparavit, hoc unum excipiendo, nempe quod etiam
in posterum potestas nomine Sedis Apostolicae confirmandi atque instituendi
Episcopos suae provinciae apud Metropolitae Halicienses remanere debet.
Sed, non obstante hac diminutione iurium, nemini expresse vel tacite conclu-
dere licet, Metropolitae Halicienses *in omnibus* simplicibus Episcopis aequi-
paratos fuisse. Eorum figura iuridica ex supradictis si non iam clara evasit,
meretur, ut autentice in luce tum historiae tum iuris novi declaretur.

Ad M. D. G. et B. M. Virginis

Romae 1954, in festo Immaculatae Conceptionis B. M. Virginis.

p. Joanikij OSBM
Roma, 23.02.2021

